7969

n-6223.
6355

BIBLIOTECA CENTRAL DE LA RIOJA
EX-LIBRIS

SACRORVM BIBLIORVM

PARS ALTERA

BIBLIOTECA PROVINCIAL LOGROÑO
R/7.456

PRÆFATIO
SANCTI HIERONYMI
PRESBYTERI

Ad Domnionem & Rogatianum in ESDRAM & NEHEMIAM.

VTRVM difficilius sit, facere quod poscitis, an negare, nedum statui. nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere, sententiæ est: & magnitudo oneris impositi ita ceruices premit, vt ante sub fasce ruendum sit, quàm leuandum. Accedunt ad hoc inuidorum studia; qui omne quod scribimus, reprehendendum putant: & interdum contra se conscientia repugnante, publice lacerant quod occulte legunt, intantum vt clamare compellar, & dicere: Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Tertius annus est quod semper scribitis atque rescribitis, vt Esdræ librum & Esther, vobis de Hebræo transferam: quasi non habeatis Græca & Latina volumina: aut quidquid illud est quod à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustra autem, vt ait quidam, niti, neque aliud fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos mi Domnion & Rogatiane charissimi, vt priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicum, nec fastidiosis cibos ingeratis: vitetisque eorum supercilium, qui iudicare tantum de aliis, & ipsi facere nihil nouerunt. Si qui autem fratrum sunt quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar; admonentes vt Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte & per interualla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio, librariorum diligentia, conseruetur. Nec quemquam moueat quod vnus à nobis liber editus est: nec apocryphorum tertij & quarti somniis delectetur: quia & apud Hebræos Esdræ Nehemiæque sermones in vnum volumen coarctantur, & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quattuor senibus sunt, procul abjicienda. Siquis autem Septuaginta vobis opposuerit interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata & inuersa demonstrat; nec potest vtique verum asseri quod diuersum est: mittite eum ad Euangelia: in quibus multa ponuntur quasi de Veteri testamento, quæ apud Septuaginta interpretes non habentur, velut illud, Quoniam Nazaræus vocabitur. &, Ex Ægypto vocaui filium meum. &, Videbunt in quem compunxerunt. multaque alia, quæ latiori operi reseruamus: & quærite ab eo vbi scripta sint. cumque proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus quæ nuper à nobis

Psal. 119.

edita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed vt ad compendium veniam, certe quod illaturus sum, æquissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in Græco, aut aliter habetur quam à me versum est? Quid interpretem laniant? interrogent Hebræos: & ipsis auctoribus, translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem. Porro aliud est, si clausis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere, & non imitantur Græcorum studium ac beneuolentiam, qui post Septuaginta translatores, iam CHRISTI Euangelio corruscante, Iudæos & Hebionitas legis veteris interpretes, Aquilam videlicet & Symmachum, & Theodotionem, & curiose legunt, & per Origenis laborem in hexaplis, ecclesiis dedicarunt. Quanto magis Latini grati esse deberent, quod exultantem cernerent Græciam à se aliquid mutuari? Primum enim magnorum sumptuum est & infinitæ difficultatis, exemplaria posse habere omnia: deinde etiam qui habuerint, & Hebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, vt interdum Scripturæ sensum relinquens, vniuscuiusque interpretis sequeretur errorem. Nos autem qui Hebrææ linguæ saltem paruam habemus scientiam, & Latinus nobis vtcumque sermo non deest, & de aliis magis possumus iudicare, & ea quæ ipsi intelligimus, in nostra lingua promere. Itaque licet hydra sibilet, victorque Sinon incendia iactet: numquam meum iuuante CHRISTO, silebit eloquium: etiam præcisa lingua balbutiet. Legant qui volunt: qui nolunt abjiciant. Euentilent apices, litteras calumnientur: magis vestra charitate prouocabor ad studium, quam illorum detractione & odio deterrebor.



EIVS-

EIVSDEM AD CHROMATIVM & Eliodorum in TOBIAM præfatio.

MIRARI non desino exactionis vestræ instantiam. exigitis enim vt librum Chaldæo sermone conscriptum, ad Latinum stylum traham; librum vtique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo diuinarum scripturarum secantes, his quæ hagiographa memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt & nos Hebræorum studia: & imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse iudicans Pharisæorum displicere iudicio, & Episcoporum iussionibus deseruire, institi vt potui. Et quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico; vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui: & quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus Latinis exposui. Orationibus vestris mercedem huius operis compensabo cum gratum vobis didicero, me, quod iubere estis dignati, complesse.

EIVSDEM PRÆFATIO in Librum IVDITH.

APVD Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa quæ in cõtentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, immo exactioni: & seposítis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quam ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaui: sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expressi. Accipite Iudith viduam, castitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum fœminis, sed & viris imitabilem dedit, qui castitatis eius remunerator, virtutem ei talem tribuit, vt inuictum omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret.

EIVSDEM IN LIBRVM ESTHER *præfatio.*

LIBRVM Esther variis translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de archiuiis Hebræorum reuelans, verbum è verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata, lacinioſis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis, ſumpto themate, excogitare quibus verbis vti potuit qui iniuriã paſſus eſt, vel qui iniuriam fecit. Vos autem ô Paula & Euſtochium, quoniam & bibliothecas Hebræorum ſtuduiſtis intrare, & interpretum certamina comprobaſtis, tenentes Esther Hebraicum librum, per ſingula verba noſtram tranſlationem aſpicite; vt poſſitis agnoſcere, me nihil etiam augmentaſſe addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam Latinæ linguæ tradidiſſe. Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expaueſcimus. DEO enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus: quoniam Deus diſſipat oſſa eorum qui hominibus placere deſiderant: & ſecundũ Apoſtolum, Qui eiuſmodi ſunt, ſerui CHRISTI eſſe non poſſunt. Rurſum, in libro Esther alphabetum ex minimo vſque ad Teth litteram fecimus diuerſis in locis, volentes ſcilicet Septuaginta interpretum ordinem per hoc inſinuare ſtudioſo lectori. Nos enim iuxta morem Hebraicum, ordinem proſequi etiam in Septuaginta editione maluimus.

Pſal. 51.

Gal. 1.

EIVSDEM PRÆFATIO
in Librum IOB.



OGOR per ſingulos ſcripturæ diuinæ libros aduerſariorum reſpondere maledictis: qui interpretationem meam, reprehẽſionem Septuaginta interpretum criminantur: quaſi non & apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex vtroque cõmixtum, & medie temperatum genus trãſlationis expreſſerint: & omnia Veteris inſtrumẽti volumina Origenes obelis aſteriſciſque diſtinxerit, quos vel additos, vel de Theodotione ſumptos, tranſlationi antiquæ inſeruit, probans defuiſſe, quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperunt, aut interpretationem meam cum aſteriſcis ſuis radere. Neque enim fieri poteſt, vt quos plura intermiſiſſe ſuſceperint, non eoſdem etiam in quibuſdam erraſſe fateãtur, præcipuè in Iob: cui ſi ea quæ ſub aſteriſcis addita ſunt, ſubtraxerit, pars maxima detruncabitur. & hoc dumtaxat apud Græcos. Cæterum apud Latinos, ante eam tranſlationem, quam ſub aſteriſcis, & obelis nuper edidimus, ſeptingenti fermè aut octingenti verſus deſunt; vt decurtatus & laceratus, corroſuſque liber fœditatem ſui publicè legentibus præbeat. Hæc autem tranſlatio nullum de veteribus ſequitur interpretem: ſed ex ipſo Hebraico, Arabicoque ſermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc ſenſus, nunc ſimul vtrumque reſonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur, & lubricus: & quod Græci rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum qui aliud loquitur, aliud agit: vt ſi velis anguillam, vel murenulam ſtrictis tenere manibus, quãto fortius preſſeris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam huius voluminis, Lyddæũ quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non paruis redemiſſe nummis: cuius doctrina an aliquid profecerim, neſcio: hoc vnum ſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis, vſque ad verba Iob, apud Hebræos proſa oratio eſt. Porro à verbis Iob, in quibus ait; Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, cõceptus eſt homo: vſque ad eũ *Iob 42* locum, vbi ante finem voluminis ſcriptum eſt. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere: hexametri verſus ſunt, dactylo, ſpondeoque currentes: & propter linguæ idioma, crebo recipientes, & alios pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed eorumdem temporum. Interdum quoque rythmus ipſe dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum ſolutis: quod metrici magis, quàm ſimplex lector intelligunt. A ſupradicto autem verſu vſque ad finem libri, paruum comma quod remanet, proſa oratione contexitur. Quod ſi cui videtur incredulum, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Ieremiæ, vel omnia fermè ſcripturarum cantica cõprehendi; legat Philonem, Ioſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laboraſſe, non vt interpretationem antiquam reprehenderem, ſed vt ea quæ in illa, aut obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certè ſcriptorum vitio deprauata, manifeſtiora noſtra interpretatione fierent: Vt qui Hebræorum ſermonem ex parte didicimus, & in Latino penè ab ipſis cunabulis inter grammaticos, & rhetores, & philoſophos detriti ſumus. Quòd ſi apud Græcos poſt Septuaginta editionem, iam CHRISTI Euangelio coruſcante, Iudæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotio, Iudaizantes hæretici ſunt recepti, qui multa myſteria Saluatoris ſubdola interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud eccleſias, & explanantur ab eccleſiaſticis viris: quanto magis ego Chriſtianus, & de parentibus Chriſtianis natus, & vexillum crucis in mea fronte portans, cuius ſtudium fuit omiſſa repetere, de-

prauata corrigere, & ſacramenta Eccleſiæ puro, & fideli aperire ſermone; vel à faſtidioſis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari? Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro, argentoque deſcriptos, vel vncialibus, vt vulgo aiunt, litteris onera magis exarata, quàm codices: dummodo mihi, meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Vtraque autem editio, & Septuaginta iuxta Græcos, & mea iuxta Hebræos, in Latinum meo labore tranſlata eſt. Eligat vnuſquiſque quod vult: & ſtudioſum me magis, quàm maleuolum probet.

ALIA EIVSDEM
Præfatio.

SI aut fiſcellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in ſudore vultus mei comederem panem, & ventris opus ſollicita mente pertractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia iuxta ſententiam Saluatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam diuinorum voluminum viam ſentibus virgultiſque purgare, error mihi geminus infligitur: corrector vitiorum, falſarius dicor, & errores non auferre, ſed ſerere. Tanta eſt enim vetuſtatis conſuetudo, vt etiam confeſſa pleriſque vitia placeant: dum magis pulchros habere volunt codices, quàm emendatos. Quapropter, ô fratres dilectiſſimi, vnicum nobilitatis, & humilitatis exemplar, pro flabello, calathis, ſportelliſque, munuſculis monachorum, ſpiritalia hæc, & manſura dona ſuſcipite; ac beatum Iob, qui adhuc apud Latinos iacebat in ſterçore, & vermibus ſcatebat errorum, integrum immaculatumque gaudete. Quomodo enim poſt probationem atque victoriam, duplicia ſunt ei vniuerſa reddita; ita ego in lingua noſtra, vt audacter loquar, feci eum habere, quæ amiſerat. Igitur & vos, & vnumquemque lectorem ſolita præfatione commoneo, & in principiis librorum eadem ſemper annectens, rogo, vt vbicumque præcedentes virgulas videritis, ſciatis ea quæ ſubiecta ſunt, in Hebraicis voluminibus non haberi. Porro vbi ſtellæ imago præfulſerit, ex Hebræo in ſermone noſtro addita ſunt. necnon & illa, quæ haberi videbantur, & ita corrupta erant, vt ſenſum legentibus tollerent, orantibus vobis magno labore correxi: magis vtile quid ex otio meo eccleſiis CHRISTI venturum ratus, quàm ex aliorum negotio.

EIVSDEM IN PSALTERIVM, QVOD *secundum Septuaginta editionem correxit, præfatio.*

PSALTERIVM Romæ dudum positus emendaram: & iuxta Septuaginta interpretes, licet cursim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, ò Paula, & Eustochiū, scriptorum vitio deprauatum, plusq; antiquum errorem, quàm nouam emēdationem valere: me cogitis, vt veluti quodam nouali, scissum iam aruum exerceam, & obliquis sulcis renascētes spinas eradicem: æquum esse dicētes, vt quod crebro male pullulat, crebrius succidatur. Vnde consueta præfatione cōmoneo tam vos, quibus fortè labor iste desudat, quàm eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, vt quæ diligenter emendaui, cum cura, & diligentia transcribantur. Notet sibi vnusquisque vel iacentem lineam, vel radiantia signa, id est obelos, vel astericos. Et vbicumque viderit virgulam præcedentem, ab ea vsque ad duo puncta, quæ impressimus, sciat in Septuaginta translatoribus plus haberi. Vbi autem perspexerit stellę similitudinem, de Hebræis voluminibus additum nouerit ęquè vsque ad duo puncta, iuxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui simplicitate sermonis à Septuaginta interpretibus non discordat. Hæc ergo & vobis, & studioso cuique feciſſe me sciens, non ambigo multos fore qui vel inuidia, vel supercilio malint contemnere videri præclara, quàm discere: & de turbulento magis riuo, quàm de purissimo fonte potare.

EIVSDEM PRÆFATIO *in libros* SALOMONIS.

VNGAT epistola, quos iungit sacerdotium: immo charta non diuidat, quos CHRISTI nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum: notarios nostros, & librarios sustentatis, vt vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diuersa poscentium: quasi aut æquum sit, me vobis esurientibus, aliis laborare: aut in ratione dati, & accepti, cuiquam, præter vos, obnoxius sim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, & apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecraui, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, משלי quas Hebræi Parabolas, vulgata autem editio Prouerbia vocat קוהלת, quem Græcè Ecclesiasten, Latinè concionatorem possumus dicere: שיר השירים, quod in nostra lingua vertitur Canticū canticorum. Fertur & Panæretos Iesu filij Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem, Hebraicum reperi: non Ecclesiasticum, vt apud Latinos, sed Parabolas prænotatum, cui iuncti erant Ecclesiastes, & Canticum canticorum: vt similitudinem Salomonis, non solum librorum numero, sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus, Græcam eloquentiam redolet: & nōnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affirmant. Sicut ergo Iudith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidē Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum cōfirmandam. Si cui sanè Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam à nobis olim emendatam. Neque enim noua sic cudimus, vt vetera destruamus. Et tamen cū diligētissimè legerit, sciat magis nostra scripta intelligi, quę nō in tertiū vas trāsfusa coacuerint, sed statim de prælo purissimæ cōmendata testæ, suum saporē seruauerint.

AD

AD PAVLAM, ET EVSTOCHIVM *in translationem* ISAIÆ *ex Hebraica veritate, eiusdem præfatio.*

NEMO cum prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de Psalmis & operibus Salomonis: sed quod in Demosthene, & Tullio solet fieri, vt per cola scribantur, & commata, qui vtique prosa, & non versibus conscripserunt. Nos quoque vtilitati legentium prouidentes, interpretationem nouam, nouo scribendi genere distinximus. Ac primum de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit: quippe vt vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admistum. Vnde accidit, vt præ cæteris, florem sermonis eius, translatio non potuerit conseruare. Deinde etiam hoc adjiciendum, quod non tam propheta dicendus sit, quàm euangelista. Ita enim vniuersa CHRISTI, Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Vnde conjicio noluisse tunc temporis Septuaginta interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè Ethnicis prodere: ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent: quæ, cum hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit prophetas intelligere: nec facile quempiam posse iudicare de interpretatione, nisi intellexerit antequam legerit: nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante inuidia, quod consequi non valent, despiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum: & nihilominus hoc à fastidiosis lectoribus precor, vt quomodo Græci post Septuaginta, translatores Aquilam & Symmachum & Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinæ suæ, vel vt Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: sic & isti saltem vnum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius, & postea despiciant: ne videantur, non ex iudicio, sed ex odij præsumptione, ignorata damnare. Prophetauit autem Isaias in Ierusalem, & in Iudæa, necdum decem tribubus in captiuitatem ductis: ac de vtroque regno, nunc commistim, nunc separatim texit oraculum. Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babylonicæ captiuitatem reditum populi significet in Iudæam: tamen omnis eius cura de vocatione Gentium, & aduentu CHRISTI est. Quem quanto plus amatis, ô Paula & Eustochium, tanto magis ab eo petite, vt pro obtrectatione præsenti qua me indesinenter æmuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro: qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione laudasse, ne Iudæi de falsitate Scripturarum ecclesiis eius diutius insultarent.

EIVS

EIVSDEM IN IEREMIAM
præfatio.

IEREMIAS Propheta, cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebræos Isaiæ & Oseæ & quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetauerit. Porro simplicitas eloquij, à loco ei in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est vsque hodie viculus, tribus ab Ierosolymis distans millibus, sacerdos ex sacerdotibus, & in matris vtero sanctificatus: virginitate sua euangelicum virum CHRISTI Ecclesiæ dedicans. Hic vaticinari exorsus est puer: & captiuitatem vrbis atque Iudææ, non solum spiritu, sed & oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus Israel Assyrij in Medos transtulerant: iam terras earum, coloniæ Gentium possidebant. Vnde in Iuda tantum, & in Beniamin prophetauit: & ciuitatis suæ ruinas quadruplici plaxit alphabeto, quod nos mensuræ metri, versibusque reddidimus. Præterea ordinem visionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarij eius, qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior: quia vos me cogitis. Cæterum ad compendium mali, rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quam quotidie noui aliquid scriptitantem, inuidorum insaniam prouocare.

EIVSDEM IN EZECHIELEM
præfatio.

EZECHIEL Propheta cum Ioachin rege Iuda captiuus ductus est in Babylonem: ibique iis qui cum eo captiui fuerant, prophetauit, pœnitentibus quòd ad Ieremiæ vaticinium se vltro aduersariis tradidissent, & viderent adhuc vrbem Ierosolymam stare, quam ille casuram esse prædixerat. Tricesimo autem ætatis suæ anno, & captiuitatis quinto, exorsus est ad cõcaptiuos loqui, Et eodem tẽpore, licet posterior, hic in Chaldæa, Ieremias in Iudæa prophetauerunt. Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est: sed ex vtroque medie temperatus. Sacerdos & ipse fuit, sicut Ieremias: principia voluminis & finem magis habens obscuritatibus inuoluta. Sed & vulgata eius editio non multum distat ab Hebraico. Vnde non satis miror quid causæ extiterit, vt si eosdem in vniuersis libris habemus interpretes: in aliis eadem, in aliis diuersa transtulerint. Legite igitur & hunc iuxta translationem nostram: quoniam per cola scriptus & commata, manifestiorem legentibus sensum tribuit. Si autem amici mei & hunc subsannauerint; dicite eis quòd nemo eos compellat vt scribant. Sed vereor ne illud eis eueniat quod Græce significantius dicitur, vt vocentur φαγολοίδορoι, quod est, manducantes sannas.

EIVSDEM IN DANIELEM
præfatio.

DANIELEM Prophetam iuxta Septuaginta interpretes, Domini Saluatoris ecclesiæ non legunt, vtētes Theodotionis editione: & hoc cur acciderit, nescio. Siue enim quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat, noluerunt Septuaginta interpretes easdem linguæ lineas in translatione seruare: siue sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis Chaldæam linguam sciente, editus est liber: siue aliud quid causæ extiterit ignorans: hoc vnum affirmare possum, quod multum à veritate discordet, & recto iudicio repudiatus sit. Sciendum quippe est Danielem maxime & Esdram Hebraicis quidem litteris, sed Chaldæo sermone conscriptos; & vnam Ieremiæ pericopen: Iob quoque cum Arabica lingua plurimam habere societatem. Denique & ego adolescentulus post Quintiliani & Tullij lectionem, ac flores rethoricos, cum me in linguæ huius pistrinum reclusissem: & multo sudore, multoque tempore vix cœpissem anhelantia stridentiaque verba resonare, & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi nouissime in Danielem: & tanto tædio affectus sum, vt desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, Labor improbus omnia vincit: & qui mihi videbar sciolus, inter Hebræos cœpi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et vt verum fatear, vsque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere & intelligere, quàm sonare. Hæc idcirco refero, vt difficultatem vobis Danielis ostenderem: qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, draconisque fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositо, easque iugulante subiecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audiui ego quendam de præceptoribus Iudæorum, cum Susannæ derideret historiam, & à Græco nescio quo eam diceret esse confictam: illud opponere quod Origeni quoq; Africanus opposuit, etymologias has ἀπὸ τῶν χοίνιξ χοίσαι, καὶ ἀπὸ τῶν πρίνιξ πρίσαι, de Græco sermone descendere. Cuius rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: Vt verbi gratia, dicamus de arbore illice dixisse eum, illico pereas: & à lentisco, in lentem te comminuat Angelus: vel non lente pereas: aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem: siue aliud quid ad arboris nomen cōueniens. Deinde tantum fuisse otij tribus pueris cauillabatur, vt in camino æstuantis incendij metro luderent: & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa prouocarent, aut quod miraculum, diuinæque aspirationis indicium, vel draconem interfectum offa picis, vel sacerdotum Belis machinas deprehensas: quæ magis prudentia solertis viri, quam prophetali essent spiritu perpetrata? Cum vero ad Habacuc veniret, & de Iudæa in Chaldæā raptum discophorum lectitaret, quærebat exemplum vbi legissemus in toto veteri testamento quemquam sanctorum graui volasse corpore, & in puncto horæ tanta terrarum spatia transisse, cui cum quidam è nostris satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in medium, & diceret eum de Chaldæa in Iudæam fuisse translatum: derisit hominem, & ex ipso volumine demonstrauit Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique & Apostolum nostrum, videlicet vt eruditum virum, & qui legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore, sed dixisse, Siue in corpore, siue extra corpus: nescio, Deus scit. His & talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio iudiciū derelinquens, illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebræos inter prophetas: sed inter eos qui hagiographa conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis

Scri-

Scriptura diuiditur: in legem, in prophetas, & in hagiographa, id est in quinque & octo, & in vndecim libros: de quo non est huius temporis differere. Quæ autem ex hoc propheta, immo contra hunc librum Porphyrius obijciat: testes sunt Methodius, Eusebius, & Apollinarius: qui multis versuum millibus eius vesaniæ respondentes, nescio an curioso lectori satisfecerint. Vnde obsecro vos O Paula & Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces: vt quamdiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid gratum vobis, vtile Ecclesiæ, dignum posteris. Præsentium quippe iudicijs oblatrantium non satis moueor: qui in vtramque partem, aut amore labuntur, aut odio.

EIVSDEM IN XII.

Prophetas præfatio.

NOn est idem ordo duodecim prophetarum apud Hebræos, qui est apud nos. Vnde secundum id quod ibi legitur, hic quoque dispositi sunt, Osee commaticus est, & quasi per sententias loquens. Ioel planus in principiis: in fine obscurior. Et vsque ad Malachiam, habent singuli proprietates suas: quem Esdram scribam, legisq; doctorem Hebræi autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere: hoc tantum vos ò Paula & Eustochium admonitas volo, vnum librum esse duodecim prophetarum: & Osee synchronon Isaiæ: Malachiam vero Aggæi & Zachariæ fuisse temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo; sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos prophetauerunt.



LIBRI PRIMI

ESDRAE.

Vulgat. Editio.

CAPVT PRIMVM.

Ier. 25. 12. & 29. 10. 2. Par. 36. 22.

IN anno primo Cyri regis Perſarum vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum: & transduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens:

Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa.

Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus qui eſt in Ieruſalem.

Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco ſuo argento & auro, & ſubſtantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod eſt in Ieruſalem.

Et ſurrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis, cuius Deus ſuſcitauit ſpiritum, vt aſcenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Ieruſalem.

Vniuerſique qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vaſis argenteis & aureis, in ſubſtantia & iumentis, in ſupellectili, exceptis his, quæ ſponte obtulerant.

Rex quoque Cyrus protulit vaſa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem, & poſuerat ea in templo Dei ſui.

Protulit autem ea Cyrus rex Perſarum per manum Mithridatis filij Gazabar, & annumerauit ea Saſſabaſar principi Iuda.

Et hic eſt numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti nouem, ſcyphi aurei triginta,

Scyphi argentei ſecundi quadringenti decem: vaſa alia mille.

Omnia vaſa aurea & argentea quinque millia quadringenta: vniuerſa tulit Saſſabaſar cum his, qui aſcendebant de tranſmigratione Babylonis in Hieruſalem.

CAP. II.

2. Eſdr. 7. 6.

HI ſunt autem prouinciæ filij, qui aſcenderunt de captiuitate, quam tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis in Babylonem, & reuerſi ſunt in Ieruſalem & Iudam vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.

Qui venerunt cum Zorobabel, Ioſue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belſan, Meſphar, Begnai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Iſrael:

LIBRI PRIMI

HEZRAE.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAPVT PRIMVM.

1 *ET anno primo Chores regis Paras, vt perficeretur verbum Domini ex ore Irmeiah, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Chores regis Paras: & tranſire fecit vocem per omne regnum ſuum, & etiam per ſcripturam, dicendo:*

2 *Sic dixit Chores rex Paras: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli: & ipſe præcepit mihi, vt ædificem ei domum in Ieruſalaim, quæ eſt in Iehudah.*

3 *Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus eius cum eo. Et aſcendat in Ieruſalaim quæ eſt in Iehudah, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus qui eſt in Ieruſalaim.*

4 *Et omnem* Iehudæum, *qui remanſit ex omnibus locis in quibus peregrinatur, ſubleuabunt viri loci ſui argento, & auro, & ſubſtantia, & iumentis, cum oblatione ſpontanea domui Dei quæ eſt in Ieruſalaim.*

5 *Et ſurrexerunt principes patrum Iehudah, & Biniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, omnis cuius ſuſcitauit Deus ſpiritum, vt aſcenderet ad ædificandum domum Domini, quæ eſt in Ieruſalaim.*

6 *Et omnes qui erant in circuitu eorum roborauerunt manus eorum vaſis argenteis, & aureis, ſubſtantia, & iumentis, & precioſis præter omne ſponte oblatum.*

7 *Rex autem Chores protulit vaſa domus Domini quæ eduxerat Nebuchadneſar de Ieruſalaim, & poſuerat in domo Dei ſui.*

8 *Et eduxit ea Chores rex Paras per manum Mithredath theſaurarij, & numerauit ea ipſi Sesbaſar principi Iehudah.*

9 *Et iſti numeri eorum pollubra aurea triginta, pollubra argentea mille, cultri nouem, & viginti, cochlearia aurea triginta.*

10 *Cochlearia ex argento ſecundo quadraginta, & decem, vaſa alia mille.*

11 *Omnia vaſa aurea, & argentea, quinque millia, & quadringenta: omnia aſcendere fecit Sesbaſar cum aſcendere faceret captiuitatem è Babel in Ieruſalaim.*

CAP. II.

1 *ET iſti ſunt filij prouinciæ aſcendentes de captiuitate tranſmigrationis, quam tranſmigrare fecit Nebuchadneſar rex Babel in Babel: & reuerſi ſunt in Ieruſalaim, & in Iehudah, vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.*

2 *Qui venerunt cum Zerubabel, Ieſuah, Nechemiah, Seraiah, Reheliah, Mordochai, Bilſan, Miſpar, Biguai, Rechum, Bahanah. Numerus virorum populi Iſrael.*

LIBRI PRIMI

ESDRAE.

Transl. ex Septuag.

CAPVT PRIMVM.

In Transl. ex Sep. Ro. libet hic secũdi locum obtinet, primi vero sedẽ habet qui sub nomine tertii Esdræ extra canonem reiicitur, & in fine huius Secũdi Tomi habetur iuxta textum vulgatę editionis.

ET in primo anno Cyri regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, 1
suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & transmisit vocem in omni regno suo, etiam in scriptura, dicens:

Sic dixit Cyrus rex Persarum. Omnia regna terræ 2
dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse requisiuit super me, ad ædificandum ipsi domum in Hierusalem, quæ in Iudæa.

Quis in vobis de vniuerso populo eius? Et erit 3
Deus illius cum eo & ascendet in Hierusalem, quæ in Iudæa, & ædificet domum Dei Israel: ipse est Deus, qui in Hierusalem.

Et omnis residuus ex omnibus locis, vbi ipse habitat ibi, & sument eum viri loci eius in argento, & 4
auro, & apparatu, & pecoribus vna cum voluntario in Domum Dei, quæ in Hierusalem.

Et surrexerunt principes patriarum Iuda, & Ben- 5
iamin, & sacerdotes, & Leuitæ, omnes quorum suscitauit Deus spiritum eorum ascendere ad ædificandam domum Domini, quæ in Hierusalem.

Et omnes, qui in circuitu, confortauerunt in 6
manibus eorum in vasis argenti, in auro, in apparatu, & in xenijs præter voluntaria.

Et rex Cyrus protulit vasa domus Domini, quæ 7
tulerat Nabuchodonosor de Hierusalem, & dederat ea in domo Dei sui.

Et protulit ea Cyrus rex Persarum super manum 8
Mithridatis Gasbareni. Et numerauit ea ipsi Sasabasar principi Iuda.

Et hic numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, & 9
phialæ argenteæ mille, mutatoria nouem & viginti,
Cephures aurei triginta,

Et argentei duplices quadraginta decem, & vasa 10
alia mille:

Omnia vasa auro, & argento quinque millia qua- 11
dringenta: omnia ascendentia cum Sasabasar à tranſmigratione è Babylone in Hierusalem.

CAP. II.

ET hi filij prouinciæ, ascendentes de captiui- 1
tate transmigrationis, quam transmigrare fecerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem; & reuersi sunt in Hierusalem, & Iuda, vir in ciuitatem suam.

Qui venerunt cum Zorobabel, Iesus, Neemias, Sa- 2
raias, Reelias, Mardochæus, Balasan, Masphar, Beguè, Reum, Baana. Virorum numerus populi Israel:

LIBRI PRIMI

HEZRAE.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAPVT PRIMVM.

ANno primo Chores regis Paras, vt perficeretur 1
verbum Iehouæ ex Iorermeiah, excitauit Iehouah spiritũ Chores regis Paras, qui edictum promulgauit per vniuersum regnum suum, & etiam scripto, dicendo,

Sic dixit Chores rex Paras, Omnia regna terræ dedit 2
mihi Iehouah Deus cœli: & ipse præcepit mihi vt ædificem ei domum in Ierusalaim quæ est in Iehudah.

Quis est inter vos de vniuerso populo eius? sit Deus 3
eius cum eo, & ascendat in Ierusalaim quæ est in Iehudah, atque ædificet domum Iehouæ Dei Israelis (ipse est Deus) quæ est in Ierusalaim.

Quisquis autem remanserit ex omnibus locis in quibus peregrinatur, subleuabunt viri loci sui argento & 4
auro, et substantia, et iumentis, cum oblatione spontanea domui Dei quæ est in Ierusalaim.

Surrexerunt itaque principes patrum Iehudah et Bin- 5
iamin, ac Sacerdotes et Leuitæ, omnes quorum excitauerat Deus spiritum, vt ascenderent ad ædificandum domum Iehouæ quæ est in Ierusalaim.

Omnes præterea qui erant in circuitu eorum roborauer- 6
unt manus eorum vasis argenteis & aureis, substantia, & iumentis, & rebus pretiosis, præter omne quod sponte oblatum est.

Rex autem Chores protulit vasa domus Iehouæ quæ 7
transtulerat Nebuchadnesar de Ierusalaim, & posuerat in domo dei sui.

Protulit inquam ea Chores rex Paras per manum Mi- 8
thredath thesaurarii, qui numerauit ea ipsi Sesbasar principi tribus Iehudah.

Et iste numerus eorum: polubra aurea triginta, polu- 9
bra argentea mille, cultri nouem & viginti:

Crateres aurei, triginta, crateres argentei, secundi, 10
quadringenti & decem: vasa alia, mille.

Omnium vasorum aureorum & argenteorum, quin- 11
que millia quadringenta: omnia extulit Sesbasar, quando ascendit captiuitas è Babel in Ierusalaim.

CAP. II.

ISti autem sunt filii prouinciæ, qui ascenderunt de cap- 1
tiuitate transmigrationis, quos transmigrare fecerat Nebuchadnesar rex Babel in Babel: & reuersi sunt in Ierusalaim & in Iehudah, singuli in ciuitatem suam.

Qui venerunt cum Zerubbabel, Iesua, Nehemiah, Se- 2
raiah, Reelaiah, Mordechai, Bilsan, Misphar, Biguai, Rehum, Baanah. Numerus autem virorum populi Israelis:

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Filii Pharos duo millia centum ſeptuaginta-duo.	3	*Filii Parhos duo millia centum ſeptuaginta & duo.*
Filii Sephatia, trecenti ſeptuagintaduo.	4	*Filii Sephathiah trecenti ſeptuaginta, & duo.*
Filii Area, ſeptingenti ſeptuagintaquinque.	5	*Filii Arach, ſeptingenti quinque, & ſeptuaginta.*
Filii Phahath Moab, filiorum Ioſue: Ioab duo millia octingenti duodecim.	6	*Filii Pachathmoab, filiorum Ieſuah, Ioab, duo millia octingenti, & duodecim.*
Filii Aelam mille ducenti quinquagintaquattuor.	7	*Filii Hela, mille ducenti, quinquaginta, & quattuor.*
Filii Zethua, nongenti quadragintaquinque.	8	*Filii Zattu, nongenti, & quadraginta, & quinque.*
Filii Zachai, ſeptingenti ſexaginta.	9	*Filii Zacchai, ſeptingenti, & ſexaginta.*
Filii Bani, ſexcenti quadragintaduo.	10	*Filii Bani, ſexcenti quadraginta, & duo.*
Filii Bebai, ſexcenti vigintitres.	11	*Filii Bebai, ſexcenti viginti, & tres.*
Filii Azgad, mille ducenti vigintiduo.	12	*Filii Haſgad, mille ducenti viginti, & duo.*
Filii Adonicam, ſexcenti ſexagintaſex.	13	*Filii Adonicham, ſexcenti ſexaginta, & ſex.*
Filii Beguai, duo millia quinquagintaſex.	14	*Filii Biguai, duo millia quinquaginta, & ſex.*
Filii Adin, quadringenti quinquagintaquattuor.	15	*Filii Hadin, quadringenti quinquaginta, & quattuor.*
Filii Ather, qui erant ex Ezechia, nonaginta-octo:	16	*Filii Ather ipſi Chizchiiah, nonaginti, & octo.*
Filii Beſai, trecenti vigintitres.	17	*Filii Beſai, trecenti viginti, & tres.*
Filii Iora, centum duodecim.	18	*Filii Iorah, centum, & duodecim.*
Filii Haſum, ducenti vigintitres.	19	*Filii Chaſum, ducenti viginti, & tres.*
Filii Gebbar, nonagintaquinque.	20	*Filii Ghibbar, nongenti, & quinque.*
Filii Bethlehem, centum vigintitres.	21	*Filii Bethlechem, centum viginti, & tres.*
Viri Netupha, quinquagintaſex.	22	*Viri Nethophah, quinquaginta, & ſex.*
Viri Anathoth, centum vigintiocto.	23	*Viri Hanathoth, centum viginti, & octo.*
Filii Azmaueth, quadragintaduo.	24	*Filii Haſmaueth, quadraginta, & duo.*
Filii Cariathiarim, Cephira, & Beroth, ſeptingenti quadragintatres.	25	*Filii Chiriathharim Chephirah, & Beeroth, ſeptingenti quadraginta, & tres.*
Filii Rama, & Gabaa, ſexcenti vigintiunus.	26	*Filii Ramah & Ghabah, ſexcenti viginti & vnus.*
Viri Machmas, centum vigintiduo.	27	*Viri Michmas, centum, & viginti, & duo.*
Viri Bethel, & Hai, ducenti vigintitres.	28	*Filii Bethel, & Hai, ducenti viginti, & tres.*
Filii Nebo, quinquagintaduo.	29	*Filii Nebo, quinquaginta, & duo.*
Filii Megbis, centum quinquagintaſex.	30	*Filii Maghbis, centum quinquaginta, & ſex.*
Filij Aelam alterius, mille ducenti quinquagintaquattuor.	31	*Filii Helam alterius mille ducenti quinquaginta & quattuor.*
Filij Harim, trecenti viginti.	32	*Filii Harim, trecenti, & viginti.*
Filij Lod Hadid, & Ono, ſeptingenti vigintiquinque.	33	*Filii Lod Chadid, & Ono, ſeptingenti viginti, & quinque.*
Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque.	34	*Filii Iericho, trecenti quadraginta, & quinque.*
Filij Senaa, tria millia ſexcenti triginta.	35	*Filii Senaah, tria millia, & ſexcenti, & triginta.*
Sacerdotes: Filii Iadaia in domo Ioſue, nongenti ſeptuaginta tres.	36	*Sacerdotes filii Iedahiah domui Ieſuah nongenti ſeptuaginta, & tres.*
Filii Emmer, mille quinquaginta duo.	37	*Filii Immer, mille quinquaginta, & duo.*
Filii Pheshur, mille ducenti quadraginta ſeptem.	38	*Filii Paſchur, mille ducenti quadraginta, & ſeptem.*
Filii Harim, mille decem & ſeptem.	39	*Filii Harim, mille, & ſeptem decem.*
Leuitæ: Filii Ioſue & Cedmihel filiorum Odouiæ ſeptuagintaquattuor.	40	*Leuitæ filii Ieſuah, & Chadmiel filiis Hodaniah ſeptuaginta, & quattuor.*
Cantores: Filii Aſaph, centum vigintiocto.	41	*Cantores, filii Aſaph, centum viginti, & octo.*
Filii Ianitorum: filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: vniuerſi centum trigintanouem.	42	*Filii Ianitorum filii Sallum, filii Ather, filii Talmon, filii Hacob, filii Chathithah, filii Sobai, omnes centum triginta, & nouem.*
Nathinæi: filii Siha, filii Haſupha, filii Tabbaoth,	43	*Nethinim filii Sichah, filii Chaſupha, filii Tabaoth.*
Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon,	44	*Filii Cheros, filii Sihaha, filii Padon,*
Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub,	45	*Filii Lebanah, filii Chaghabah, filii Hacub,*
Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan,	46	*Filii Chaghab, filii Samali, filii Chanan,*
Filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia,	47	*Filii Ghiddel, filii Ghachar, filii Reaiah,*
Filii Raſin, filii Necoda, filii Gazam,	48	*Filii Reſin, filii Nechuda, filii Ghazam,*
Filii Aza, filii Phaſea, filii Beſee,	49	*Filii Huzza, filii Paſeach, filii Beſai,*
Filii Aſena, filii Munim, filii Nephuſim,	50	*Filii Aſna, filii Mehunim, filii Nephuſim,*
Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,	51	*Filii Bachbuch, filii Chachupha, filii Charchur,*
Filii Belluth, filii Mahida, filii Harſa,	52	*Filii Baſluth, filii Mechida, filii Charſa,*
Filii Bercos, filii Siſara, filii Thema,	53	*Filii Barchum, filii Siſra, filii Tamach,*
Filii Naſia, filii Hatipha,	54	*Filii Neſiach, filii Chathipha,*
Filii ſeruorum Salomonis, filii Sotai, filii Sophereth, filii Pharuda,	55	*Filii ſeruorum Selomoh, filii Sothai, filii Sophereth, filii Peruda,*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Filii Phares, duo millia centum ſeptuaginta-duo.	3	*Filii Paros duo millia centum ſeptuaginta duo.*
Filii Saphatia, trecenti ſeptuaginta duo:	4	*Filii Sephatiah, trecenti ſeptuagintaduo.*
Filii Ares, ſeptingenti ſeptuaginta quinque:	5	*Filii Arah, ſeptingenti & ſeptuagintaquinque.*
Filii Phaath Moab de filiis Ieſue Ioab, duo millia octingenti duodecim:	6	*Filii Pahath, Moab, filiorum Ieſua, Ioab, duo millia octingenti, & duodecim.*
Filii Ailam, mille ducenti quinquaginta quattuor:	7	*Filii Elam, mille ducenti, quinquagintaquattuor.*
Filii Zattua, nongenti quadraginta quinque:	8	*Filii Zathu, nongenti & quadragintaquinque.*
Filii Zacchu, ſeptingenti ſexaginta:	9	*Filii Zacchai, ſeptingenti & ſexaginta.*
Filii Banui, ſexcenti quadraginta duo,	10	*Filii Bani, ſexcenti quadragintaduo.*
Filii Babai, ſexcenti viginti tres:	11	*Filii Bebai, ſexcenti vigintitres.*
Aſgad, mille ducenti viginti duo:	12	*Filii Azgad, mille ducenti & vigintiduo.*
Filii Adonicam, ſexcenti ſexaginta ſex:	13	*Filii Adonicam, ſexcenti ſexagintaſex.*
Filii Bague, duo millia quinquaginta ſex:	14	*Filii Biguai, duo millia quinquagintaſex.*
Filii Addin, quadringenti quinquaginta quattuor:	15	*Filii Adin, quadringenti quinquagintaquatuor.*
Filii Ater ex Ezecia, nonaginta octo:	16	*Filii Ater ipſi Hizciiah, nonagintaocto.*
Filii Baſſa, trecenti viginti tres:	17	*Filii Beſai, trecenti vigintitres.*
Filii Iora, centum duodecim:	18	*Filii Iorah, centum & duodecim.*
Filii Aſum, ducenti viginti tres:	19	*Filii Haſum, ducenti vigintitres.*
Filii Gaber, nonaginta quinque:	20	*Filii Gibbar, nonagintaquinque.*
Filii Bethleem, centum viginti tres:	21	*Filii Beth-lehem, centum vigintitres.*
Filii Netopha, quinquaginta ſex:	22	*Viri Netophah, quinquagintaſex.*
Filii Anathot, centum viginti octo:	23	*Viri Anathoth, centum vigintiocto.*
Filii Aſmoth, quadraginta tres:	24	*Filii Azmaueth, quadragintaduo.*
Filii Cariathiarim, Caphira, & Beroth, ſeptingenti quadraginta tres:	25	*Filii Ciriath-arim, Chephirah, & Beeroth, ſeptingenti quadragintatres.*
Filii Rama, & Gabaa, ſexcenti viginti vnus:	26	*Filii Haramah & Gaba, ſexcenti vigintivnus.*
Viri Machmas, centum viginti duo:	27	*Viri Michmas, centum vigintiduo.*
Viri Bæthel, & Aia, quadringenti viginti tres:	28	*Filii Beth-el, & Ai, ducenti vigintitres.*
Filii Nabu, quinquaginta duo:	29	*Filii Nebo, quinquagintaduo.*
Filii Magebis, centum quinquaginta ſex.	30	*Filii Magbis, centum quinquagintaſex.*
Filij Elamar, mille ducenti quinquaginta quattuor.	31	*Filii Elam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.*
Filij Elam, trecenti viginti:	32	*Filii Harim, trecenti & viginti.*
Filij Lodadi, & Ono, ſeptingenti viginti quinque.	33	*Filii Lod hadid & Ono, ſptingenti vigintiquinque.*
Filij Hiericho, trecenti quadraginta quinque:	34	*Filii Iereho, trecenti quadragintaquinque.*
Filij Senaa, tria millia ſexcenti triginta.	35	*Filii Senaah, tria millia ſexcenti & triginta.*
Et Sacerdotes filii Iedua, de domo Ieiu, nongenti ſeptuagintatres:	36	*Sacerdotes: filii Iedaaiah domus Ieſua, nongenti ſptuagintatres.*
Filii Emmer, mille quinquaginta duo:	37	*Filii Immer, mille quinquagintaduo.*
Filii Phaſſur, mille ducenti quadraginta ſeptem:	38	*Filii Pashur, mille ducenti quadragintaſeptem.*
Filii Erem, mille ſeptem.	39	*Filii Harim, mille & ſeptemdecim.*
Et Leuitæ filii Ieſu, & Cadmiel ex filiis Oduia, ſeptuaginta quattuor,	40	*Leuitæ, filii Ieſua & Cadmiel filiorum Hodauia, ſeptuagintaquatuor.*
Cantores filii Aſaph, centum viginti octo:	41	*Cantores: filii Aſaph, centum vigintiocto.*
Filii Ianitorum, filii Sellum, filii Ater, filii Telman, filii Acub, filii Atita, filii Sobai, omnes centum triginta nouem.	42	*Filii Ianitorum: filii Sallum, filii Ater, filii Talmon, filii Accub, filii Hatitah, filii Sobai, omnes centum trigintanouem.*
Nathinæi, filii Suthia, filii Aſupha, filii Tabaoth,	43	*Nethinæi: filii Sihah, filii Haſupha, filii Tabaoth.*
Filii Cades, filii Siaa, filii Phaeon,	44	*Filii Ceros, filii Siaha, filii Padon,*
Filii Labano, filii Agaba, filii Acub,	45	*Filii Lebanah, filii Hagabah, filii Accub,*
Filii Agab, filii Selami, filii Anan,	46	*Filii Hagab, filii Samlai, filii Hanan,*
Filii Geddel, filii Gaar, filii Raia,	47	*Filii Giddel, filii Gahar, filii Reaiah,*
Filii Raſon, filii Necoda, filii Gazem,	48	*Filii Reſin, filii Necoda, filii Gazam,*
Filii Azo, filii Phaſa, filii Baſi,	49	*Filii Vzza, filii Paſeah, filii Beſai,*
Filii Aſena, filii Mounim, filii Nephuſim,	50	*Filii Aſna, filii Meunim, filii Nephuſim,*
Filii Bachuc, filii Acupha, filii Arur,	51	*Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,*
Filii Baſaloth, filii Mauda, filii Arſa,	52	*Filii Baſluth, filii Mehida, filii Harſa,*
Filii Barios, filii Siſara, filii Thema,	53	*Filii Barcos, filii Siſra, filii Thamah,*
Filii Naſthie, filii Atupha,	54	*Filii Neſiah, filii Hatipha,*
Filii ſeruorum Salomon, filii Sotai, filii Sephera, filii Phadura,	55	*Filii ſeruorum Selomoh, filii Sotai, filii Sophereth, filii Peruda,*

Vulgat. Editio.

Filij Iala, filij Dercon, filij Geddel,
Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erant de Aſebaim, filij Ami.
Omnes Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
Et hi qui aſcenderunt de Thelmala, Thelharſa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum & ſemen ſuum, vtrum ex Iſrael eſſent.
Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, ſexcenti quinquaginta duo.
Et de filiis Sacerdotum: Filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, vxorem, & vocatus eſt nomine eorum:

Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de ſacerdotio.
Et dixit Atherſatha eis vt non comederent de Sancto ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus.
Omnis multitudo quaſi vnus, quadraginta duo millia trecenti ſexaginta:
Exceptis ſeruis eorum, & ancillis, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem: & in ipſis cantores, atque cantatrices ducenti.
Equi eorum ſeptingenti triginta ſex, muli eorum ducenti quadraginta quinque,
Cameli eorum quadringenti triginta quinque, aſini eorum, ſex millia ſeptingenti viginti.
Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Domini, quod eſt in Ieruſalem, ſponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco ſuo.
Secundum vires ſuas dederunt impenſas operis, auri ſolidos ſexaginta millia & mille, argenti minas quinque millia, & veſtes ſacerdotales centum.
Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores: & ianitores, & Nathinæi in vrbibus ſuis, vniuerſuſque Iſrael in ciuitatibus ſuis.

CAP. III.

IAmque venerat menſis ſeptimus, & erant filij Iſrael in ciuitatibus ſuis: congregatus eſt ergo populus quaſi vir vnus in Ieruſalem.
Et ſurrexit Ioſue filius Ioſedec, & fratres eius ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Iſrael vt offerrent in holocauſtomata, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi viri Dei:
Collocauerunt autem altare Dei ſuper baſes ſuas deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino mane & veſpere:
Feceruntque ſolemnitatem tabernaculorum, ſicut ſcriptum eſt, & holocauſtum diebus ſingulis per ordinem ſecundum præceptum opus diei in die ſuo.
Et poſt hæc holocauſtum iuge tam in Calendis quam in vniuerſis ſolemnitatibus Domini, quæ erant conſecratæ, & in omnibus in quibus vltro offerebatur munus Domino.
A primo die menſis ſeptimi cœperunt offerre holocauſtum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

56 *Filii Iahalah filii Darcon, filii Ghiddel,*
57 *Filii Sephathiah, filii Chattil, filii Pochereth Haſbaim filii Ami.*
58 *Omnes Nethinim, et filii ſeruorum Selomoh trecenti nonaginta, et duo.*
59 *Et iſti aſcendentes de Telmelach, Tolcharſa, Cherub, Addan, Immer: et non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, et ſemen ſuum, an ex Iſrael eſſent.*
60 *Filii Delaiah, filii Thobiah, filii Necuda ſexcenti quinquaginta, et duo.*
61 *Et de filiis ſacerdotum filii Chabaiah, filii Cos, filii Barzillai qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhaditis vxorem, et vocatus eſt nomine earum.*
62 *Hi queſierunt ſcripturam ſuam, genealogias, & non ſunt inuentæ, & elongati ſunt à ſacerdotio.*
63 *Et dixit Tirſatha ad eos, vt non comederent de ſanctitate ſanctitatum, donec ſtaret ſacerdos in Vrim, & Tummim.*
64 *Omnis congregatio tanquam vnus quater decem millia, & duo millia trecenti ſexaginta.*
65 *Præter ſeruos eorum, & ancillas eorum ſeptem millia trecenti, triginta & ſeptem, & eis erant cantores, & cantatrices ducenti.*
66 *Equi eorum ſeptingenti triginta & ſex, muli eorum ducenti quadraginta, & quinque.*
67 *Cameli eorum quadringenti triginta, et quinque, aſini ſex millia ſeptingenti, et viginti.*
68 *Et de principibus patrum quum ingrederentur domum Domini quæ eſt in Ieruſalaim ſponte obtulerunt ſe ad domum Dei, vt ſtare facerent eam in loco ſuo.*
69 *Secundum vires ſuas dederunt in theſaurum operis auri dragmas ſexies decem millia, & mille, & argenti minas quinque millia, & tunicas ſacerdotales centum.*
70 *Et habitauerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo & cantores, & ianitores, & Nethinim in vrbibus ſuis, & omnis Iſrael in vrbibus ſuis.*

CAP. III.

ET attingit menſis ſeptimus, & filii Iſrael erant in vrbibus: & congregati ſunt populus, tamquam vir vnus in Ieruſalaim.
2 *Et ſurrexit Ieſuah filius Ioſadach, & fratres eius ſacerdotes, & Zerubabel filius Sealthiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Iſrael, vt offerrent ſuper illud holocauſta ſicut ſcriptum eſt in lege Moſeh viri Dei.*
3 *Et firmauerunt altare in loco ſuo eo quod timerent ſibi ipſi à populis terrarum: & obtulit ſuper illud holocauſta Domino, holocauſta mane, & veſpere.*
4 *Et fecerunt ſolemnitatem tabernaculorum ſicut ſcriptum eſt, & holocauſta per ſingulos dies in numero ſecundum conſuetudinem per ſingulos dies.*
5 *Et poſtea holocauſtum iuge, & in Kalendis, & omnibus ſolemnitatibus Domini ſanctificatis, & omni ſponte offerenti ſpontaneum Domino.*
6 *A die primo menſis ſeptimi cœperunt offerre holocauſta Domino: templum autem Domini non erat fundatum.*

Transl. ex Septuag.

Filij Ieela, filij Darcon, filij Gediel, 56
Filij Saphatia, filij Atil, filij Phacherath, filii Asebóim, filij Hemei. 57
Omnes Nathinæi, & filij Abdeselma trecenti nonaginta duo. 58
Et hi, qui ascenderunt de Thelmelech, Thelaresa, Cherub, Hedan, Emmer, & non potuerunt indicare domum patriæ suæ, & semen suum, si ex Israel sunt, 59
Filij Dalaia, filij Bua, filii Thobiæ, filij Necoda, sexcenti quinquagintaduo: 60
Et de filiis sacerdotum, filij Labia, filij Anchus, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditæ vxorem, & vocatus est in nomine eorum: 61

Hi quæsierunt scripturam suam Methœsim, & non sunt inuenti, & abdicati sunt à sacerdotio. 62
Et dixit Atherſaltha eis, vt non comederent de sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos illuminantibus, & perfectis. 63
Omnis autem Ecclesia simul, quasi quadraginta duo millia trecenti sexaginta: 64
Absque seruis eorum, & ancillis eorum: hi septem millia trecenti triginta septem: & hi cantores, & cantatrices bis centum. 65
Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum, ducenti quadraginta quinque, 66
Cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini eorum, sex mille septingenti viginti. 67
Et ex principibus patriarum, in ingrediendo ipsos in domum Domini, quæ in Hierusalem, sponte obtulerunt in domum Dei, ad statuendam eam super stabilitatem suam, 68
Sicut potentia eorum, dederunt in thesaurum operis, aurum purũ minæ millia sexaginta vnum, & argenti minas quinque millia, & Cothoni sacerdotum centum. 69
Et sederunt sacerdotes, & Leuitæ, & qui de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinim in ciuitatibus suis, & omnis Israel in ciuitatibus suis. 70

CAP. III.

ET aduenit mensis septimus, & filij Israel in ciuitatibus suis: Et congregatus est populus tamquam vir vnus in Hierusalem. 1
Et surrexit Iesus filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius: & ædificauerunt altare Dei Israel, ad offerendum super illud holocaustoses, secundum ea, quæ scripta sunt in lege Moysi hominis Dei: 2
Et stabilierunt altare super stabilitatem suam: quoniam in terrore super ipsos à populis terrarum. Et ascendit super Israel holocaustosis Domino mane, & ad vesperam. 3
Et fecerunt solemnitatem tabernaculorum, secundum quod scriptum est, diem in die in numero, ficut iudicium, verbum diei in die suo. 4

Et post hæc holocaustum iugis sacrificii, & ad Neomenias, & ad omnes festiuitates Domino sanctificatas, & omni sponte offerenti spontaneum Domino. 5
In die vna mensis septimi cœperunt offerre holocaustoses Domino: & domus Domini fundata non erat. 6

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Filii Iaalah, filii Darcon, filii Giddel,
Filii Sephatiah, filii Hattil, filii Pochereth Hasbaim, filii Ami.
Omnes Nethinæi, et filii seruorum Selomoh trecenti nonagintaduo.
Hi quoque qui ascenderunt de Thelmelah, Thel-harsa, Cherub, Addan, Immer: qui non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, an ex Israele essent.
Filii Delaiah, filii Tobiiah, filii Necoda, sexcenti quinquagintaduo.
Et de filiis Sacerdotum: filii Habaiah, filii Cos, filii Barzillai, qui accepit de filiabus Barzillai Giladitis vxorem, et vocatus est de nomine eorum.

Hi quæsierunt scripturam suam, id est genealogias, & non sunt inuenti, & elongati sunt à Sacerdotio.
Dixitque Thirsatha illis ne comederent de sanctitate sanctitatum, donec staret Sacerdos cum Vrim & Thummim.
Tota congregatio tanquam vir vnus, quater decem millia, atque duo millia trecenti sexaginta.
Præter seruos eorum & ancillas eorum: hi erant septem millia trecenti triginta septem, erant autem illis cantores & cantatrices ducenti.
Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadragintaquinque.
Cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti, et viginti.
Et de principibus patrum quum ingressi sunt domum Iehouæ quæ erat in Ierusalaim, sponte obtulerunt in domum Dei, vt erigerent eam super basim suam.

Secundum vires suas dederunt in thesaurum operis auri drachmarum sexies decem millia, & mille: argenti vero minarum quinque millia: & tunicas sacerdotales centum.
Habitauerunt itaque Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, atque Nethinæi in vrbibus suis, & vniuersus Israel in vrbibus suis.

CAP. III.

QVumque aduenisset mensis septimus, essentque filii Israelis in vrbibus: congregati sunt populus, tamquam vir vnus in Ierusalaim.
Tum surrexit Iesua filius Iosadac, & fratres eius sacerdotes, & Zerubbabel filius Sealthiel, & fratres eius, ædificauerunt altare Dei Israelis, vt offerrent super illud holocausta, sicut scriptum est in lege Mosch viri Dei.
Firmauerunt autem altare illud super bases suas, quod timerent sibi à populis terrarum: & obtulerunt super illud holocausta Iehouæ, holocausta inquam mane, & vesperi.
Fecerunt quæ solennitatem tabernaculorum sicut scriptum est, & holocausta per singulos dies, iuxta numerum secundum consuetudinem, per singulos dies.

Et postea holocaustum iuge, & in Calendis, & in omnibus solennitatibus Iehouæ sanctificatis, & omnium spontanee offerentium spontaneum Iehouæ.

A die primo mensis illius septimi cœperunt offerre holocausta Iehouæ: templum autem Iehouæ non erat fundatum.

Vulgat. Editio.

Dederunt autem pecunias latomis & cœmentariis: cibum quoque, & potum, & oleum Sidoniis, Tyriisque vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis.

Anno autem secundo aduentus eorum ad templum Dei in Ierusalem mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem, & constituerunt Leuitas à viginti annis & supra, vt vrgerent opus Domini.

Stetitque Iosue & filii eius, & fratres eius, Cedmihel, & filii eius, & filii Iuda, quasi vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, & filii eorum, & fratres eorum Leuitæ.

Fundato igitur à cœmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Leuitæ filii Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid regis Israel.

Et concinebant in hymnis, & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Domini.

Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, eleuabant vocem.

Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

CAP. IIII.

AVdierunt autem hostes Iudæ, & Beniamin quia filii captiuitatis ædificarent templum Domino Deo Israel;

Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum, dixerunt eis: Aedificemus vobiscum, quia ita vt vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolauimus victimas à diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.

Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui principes patrum Israel: Non est vobis vt ædificemus domum Deo nostro, sed nosipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

Factum est igitur vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando.

Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores, vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsque ad regnum Darij regis Persarum.

In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Ierusalem.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Et dederunt argentum latomis & opificibus, & cibum, & potum, & oleum Sidoniis, & Soriis, vt adducerent ligna Cedrina de Lebanon ad mare Iappo iuxta voluntatem Chores regis Paras eis.*

8 *Anno autem secundo aduentus eorum ad domum Dei in Ierusalaim, mense secundo, cœperunt Zerubabel filius Sealthiel, & Iesuah filius Iosadach, & reliqui fratres eorum sacerdotes, & Leuitæ, omnes qui venerunt de captiuitate in Ierusalaim, & statuerunt Leuitas à filio viginti annorum, & supra, vt præessent operi domus Domini.*

9 *Stetitque Iesuah filii eius & fratres eius, Chadmiel, & filii eius, & filii Iehudah tamquam vnus, vt præessent facienti opus in domo Dei filii Chenadad, filii eorum, & fratres eorum Leuitæ.*

10 *Et fundauerunt ædificantes templum Domini, & stare fecerunt sacerdotes indutos cum tubis, & Leuitas filius Asaph cum cymbalis, vt laudarent Dominum per manus Dauid regis Israel.*

11 *Et concinebant, dum laudarent Dominum, & confiterentur Domino, quoniam bonus quoniam in sæculum misericordia eius super Israel: & omnis populus vociferati sunt vociferatione magna dum laudaret Dominum, eo quod fundata esset domus Domini.*

12 *Et multi ex sacerdotibus, & Leuitis, & principibus patrum, seniores qui viderunt domum primam, dum fundarent hanc domum in oculis eorum flebant voce magna, & multi in vociferatione in letitia, & eleuando vocem.*

13 *Et non agnoscebat populus vocem clamoris letitiæ à voce fletus populi, quia populus vociferabatur vociferatione magna, & vox audiebatur vsque ad longinquum.*

CAP. IIII.

1 *AVdierunt autem hostes Iehudah, & Biniamin, quod filii transmigrationis ædificarent templum Domino Deo Israel.*

2 *Et accesserunt ad Zerubabel & ad capita patrum, & dixerunt eis: Aedificabimus vobiscum, quia sicut vos quærimus Deum vestrum, & ei immolauimus à diebus Esrechadon regis Assur, qui ascendere fecit nos huc.*

3 *Et dixit eis Zerubabel, & Iesuah, & reliqui principes patrum Israel: non vestra, sed nostra interest ædificare domum Deo nostro: sed nos pariter ædificabimus Domino Deo Israel, quemadmodum præcepit nobis rex Chores rex Paras.*

4 *Et populus terræ dissoluebat manus populi Iehudah, & perturbabat eos, ne ædificarent.*

5 *Et conduxerunt contra eos consiliarios, vt dissiparent consilium eorum omnibus diebus Chores regis Paras, & vsque ad regnum Dariaues regis Paras.*

6 *Et in regno Achasueros in principio regni eius scripserunt accusationem contra habitatores Iehudah, & Ierusalaim.*

Transl. ex Septuag.

Et dederunt argentum latomis,& fabris,& cibos, & poculenta,& oleũ Sydonijs,& Tyrijs, ad afferendum ligna cedrina è Libano,ad mare Ioppes,ſecundum permiſſionem Cyri regis Perſarum ſuper eos.

Et in anno ſecundo aduentus eorum ad domum Dei in Hieruſalem, in menſe ſecundo cœpit Zorobabel filius Salathiel , & Ieſus filius Ioſedec, & reliqui ex fratribus eorum ſacerdotes , & Leuitæ,& omnes qui veniebant è captiuitate in Hieruſalem. Et ſtatuerunt Leuitas à viginti annis, & ſupra, ſuper facientes opera in domo Domini.

Et ſtetit Ieſus,& filij eius,& fratres eius,Cadmiel, & filij eius,filij Iuda,ſuper facientes opera in domo Dei:filij Ennadad,filij eorum , & fratres eorum Leuitæ,

Et fundamenta iecerunt ad ædificandam domum Domini. Et ſteterunt ſacerdotes amicti ſtolis in tubis,& Leuitarum filij Aſaph in cymbalis ad laudandum Dominum ſuper manus Dauid regis Iſrael.

Et reſponderunt in laude, & confeſſione Domino quoniam bonum,quoniam in ſæculum miſericordia eius ſuper Iſrael. Et omnis populus ſignificabat voce magna laudando Dominum ſuper fundatione domus Domini.

Et multi de ſacerdotibus, & Leuitis,& principes patriarum,ſeniores,qui viderant domum primam in fundatione eius,& hanc domum in oculis ſuis, plorabant voce magna. Et turba in ſignificatione cum lætitia ad eleuandum canticum.

Et non erat populus agnoſcens vocem ſignificationis lætitiæ à voce fletus populi : quoniam populus vociferabatur voce magna , & vox audiebatur vſque à longe.

CAP. IIII.

ET audierunt ij,qui tribulabant Iudà,& Beniamin,quia filii tranſmigrationis ædificant domum Domino Deo Iſrael.

Et acceſſerunt ad Zorobabel , & ad principes patriarum,& dixerunt eis : Aedificabimus vobiſcum quoniam ſicut vos,quærimus Deum noſtrum,& ei nos ſacrificamus à diebus Aſaradan regis Aſſur,qui adduxit nos huc.

Et dixit ad eos Zorobabel , & Ieſus , & reliqui principum patriarum Iſrael : Non nobis,& vobis ædificare domum Deo noſtro : quoniam nos ipſi in idipſum ædificabimus Domino Deo noſtro ; ſicut mandauit nobis Cyrus rex Perſarum.

Et erat populus terræ diſſoluens manus populi Iuda : & impediebat eos ædificare, etiam mercede conducentes ſuper eos,

Conſultantes ad diſſipandum conſilium ipſorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum,& vſque ad regnum Darij regis Perſarum.

Et in regno Aſſueri , & in principio regni eius ſcripſerunt epiſtolam ſuper habitantes Iuda,& Hieruſalem.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Dederunt autem pecuniam latomis, & opificibus, cibum,& potum,atque oleum Sidoniis,ac Tyriis, vt adducerent ligna cedrina de Lebanon ad mare Iapho , iuxta voluntatem Chores regis Paras ſuper eos.

Anno autem ſecundo aduentus eorum ad domum Dei in Ieruſalaim,menſe ſecundo,cœperunt Zerubbabel filius Sealthiel,& Ieſua filius Ioſadac, & reliqui fratres eorum,Sacerdotes, & Leuitæ , & omnes qui venerant de captiuitate in Ieruſalaim : ſtatueruntque Leuitas à filio viginti annorum & ſupra, vt præeſſent operi domus Iehouæ.

Stetitque Ieſua,filii eius & fratres eius : Cadmiel, & filii eius,filii Iehudah, tanquam vir vnus , vt præeſſent facientibus opus in domo Dei filii Henadad , & filii eorum,& fratres ipſorum Leuitæ.

Fundamenta itaque iecerunt architecti templi Iehouæ, conſtituerunteque Sacerdotes aliquot indutos cum tubis, & Leuitas filios Aſaph cum cymbalis, vt laudarent Iehouam per manus Dauidis regis Iſraelis.

Concinebant autem, dum laudarent, & confiterentur Iehouæ, Quoniam bonus , quoniam in ſeculum miſericordia eius ſuper Iſraelem. vniuerſus præterea populus vociferabantur vociferatione magna,dum laudarent Iehouam,quod fundata eſſet domus Iehouæ.

Quamplurimi autem de Sacerdotibus & Leuitis ac principibus patrum,ſenes qui viderant domum priorem, dum fundarent hanc domum in oculis eorum , flebant voce magna , & alii multi vociferabantur præ lætitia, alta voce:

Ita vt populus non diſcerneret vocem vociferationis lætam à voce fletus populi : quod populus ille vociferaretur vociferatione magna ; adeo vt exaudiretur vox procul.

CAP. IIII.

AVdierunt autem hoſtes Iehudah & Biniamin, quod filii tranſmigrationis ædificarent templum Iehouæ Deo Iſraelis:

Et acceſſerunt ad Zerubbabel & ad capita patrum, dixeruntque eis,Aedificabimus vobiſcum,quia ſicut vos, quæremus Deum veſtrum,& ei immolauimus à diebus Eſarhaddon regis Aſſur,qui aſcendere fecit nos huc.

Tum dixit eis Zerubbabel, & Ieſua, ac reliqui principes patrum Iſraelis, Non veſtra,ſed noſtra intereſt ædificare domum Deo noſtro : idcirco nos pariter ædificabimus Iehouæ Deo Iſraelis, quemadmodum præcepit nobis rex Chores rex Paras.

Populus autem eius regionis diſſoluebat manus populi Iehudah,& perturbabat eos ne ædificarent.

Et conduxerunt contra eos conſiliarios vt diſſiparent conſilium eorum omnibus diebus Chores regis Paras , & vſque ad regnum Dariaues regis Paras.

Quum autem regnaret Ahaſueros,in principio regni eius ſcripſerunt accuſationem contra habitatores Iehudah & Ieruſalaim.

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct.Pagn.
Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, & Thabeel & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat Syriace, & legebatur sermone Syro.	7	*Et in diebus Arthachsasta scripsit verbis pacificis Mithredath, Thabel, & reliqui socii eius, ad Arthachsasta regem Paras, & scriptura epistolæ scripta erat Syriace, & interpretata erat Syriace.*
Reum Beelteem, & Samsai scriba scripserunt epistolam vnam de Ierusalem Artaxerxi regi, huiusce modi:	8	*Rechum à commentariis, & Simsai scriba scripserunt epistolã vnam super Ierusalaim ad Arthachsasta regem huiusce modi.*
Reum Beelteem, & Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum, Dinæi, & Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonij, Susanechæi, Dieui, & Aelamitæ.	9	*Tunc Rechum à commentariis, & Simsai scriba, & reliqui socii eorum, Dinaie, & Apharsathchaie Tharpelaie, Apharsaie, Archanaie, Bablaie Susanchaie, Dehaue, Helmaie.*
Et cæteri de Gentibus, quas trãstulit Asenaphar magnus, & glorioſus: & habitare eas fecit in ciuitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen in pace:	10	*Et reliquæ gentes quas transtulit Asnaphar magnus & glorioſus: & habitare fecit eas in vrbibus Samariæ, & reliquæ gentes quæ sunt trans flumen, et Cheheneth.*
(Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum.) Artaxerxi regi, serui tui, viri qui sunt trans fluuium salutem dicunt.	11	*Hoc exemplar epistolæ quam miserunt ad ipsum, ad Arthachsasta regem. Serui tui quicumque sunt trans flumen, & Cheheneth.*
Notum sit regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes.	12	*Notum sit regi quod Iehudæi, qui ascenderunt à te ad nos venerunt in Ierusalaim, ciuitatem rebellem & malam ædificantes, & muros fundauerunt, & parietes composuerunt.*
Nunc igitur notum sit regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vsque ad reges hæc noxa perueniet.	13	*Nunc notum sit regi, quod si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri fuerint, tributum, vectigal, & redditum annuum non dabunt, & tributum regum læditur.*
Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nunciauimus regi,	14	*Nunc pro omni vicissitudine salis palatii, quem comedimus; contemptum regis non est pulchrum nobis videre: propterea misimus et notificauimus regi,*
Vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & inuenies scriptum in commẽtariis: & scies quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est, & nocens regibus & prouincijs, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem & ciuitas ipsa destructa est.	15	*Vt quæras in libro historiarum patrum tuorum, & inuenies in libro historiarum: & scies quod vrbs illa vrbs est rebellis et nocens regibus et defectionem facientes* fuerunt *in medio eius à diebus seculi: propterea ciuitas hæc destructa est.*
Nunciamus nos regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis.	16	*Notificamus regi, quia si ciuitas hæc ædificata fuerit et muri ipsius fundati fuerint, pro vice illa, portio quæ tibi debetur ab iis qui sunt trans flumen, non erit tibi.*
Verbum misit rex ad Reum Beelteem, & Samsai scribam, & ad reliquos, qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, & cæteris trans fluuium, salutem dicens & pacem:	17	*Verbum misit rex ad Rechum à commentariis, et Simsai scribam, et reliquos socios eius qui habitant in Samaria, et reliquos qui erant trans flumen, Selam, et Cheheth.*
Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me:	18	*Epistola quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me.*
Et à me præceptum est; & recensuerunt, inueneruntque, quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduersum reges rebellat, & seditiones, & prælia concitantur in ea:	19	*Et à me positum est decretum, et quæsierunt, et inuenerunt, quod ciuitas illa à diebus seculi eleuatur aduersum reges, et rebellat, et rebellio fiebat in ea.*
Nam & reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui & dominati sunt omni regioni, quæ trans fluuium est: tributum quoque & vectigal, & reditus accipiebant.	20	*Et reges fortes fuerunt in Ierusalaim, et dominati sunt omnibus, qui erant trans flumen, et tributum, vectigal, et redditus annualis dabatur eis.*
Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos vt vrbs illa non ædificetur, donec si forte à me iussum fuerit.	21	*Nunc ponite edictum, vt cessent viri illi, et vrbs illa non ædificetur, donec à me præceptum positum fuerit.*
Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum contra reges.	22	*Et moniti estis vt faciatis iuxta hoc: cur crescet corruptio ad nocendum regibus?*
Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, & Samsai scriba, & consiliariis eorum, & abierunt festini in Ierusalem ad Iudæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore.	23	*Cumque exempla epistolæ Arthachsastæ regis lectum esset coram Rechum, et Simsai scriba, et sociis eorum, abierunt festinanter in Ierusalaim ad Iehudæos, et cessare fecerunt eos brachio et robore:*
Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.	24	*Tunc cessauit opus domus Dei quæ erat in Ierusalaim, et cessauit vsque ad annum secundum Dariaues regis Paras.*

Transl. ex Septuag.

Et in diebus Arthasastha scripsit in pace Mithridati Tabeel, & reliquis conseruis: ad Arthasastha regem Persarum scripsit tabellarius scripturam Syriace,& interpretatam:

Rheum Baltam, & Sampsa scriba scripserunt epistolam vnam contra Hierusalem Arthasastha regi.

Hæc iudicabat Rheum Balthan, & Sampsa scriba,& reliqui conserui nostri, Dinæi, Apharsathachæi, Tarphalæi, Apharsæi, Archyæi, Babylonij, Susanachæi, Danæi,

Et reliqui ex gentibus, quas trãstulit Assenaphar magnus,& glorioſus, & habitare fecit eos in ciuitatibus ipsius Somoron, & reliquum trans flumen.

Hæc est dispositio epistolæ, quam miserunt ad eum. A D A Rthasasta regem pueri tui viri trans flumen.

Notum sit regi, quia Iudæi, qui ascendunt à te ad nos, venerunt in Hierusalem, ciuitatem refugam,& malignam,quam ædificant: & mœnia eius extructa sunt, & fundamenta eius exaltauerunt.

Nunc igitur notum sit regi, quia si ciuitas illa reædificata fuerit, & mœnia eius extructa; tributa non erunt tibi,neque dabunt. Et hoc regibus nocet,

Et turpitudinem regis non licet nobis videre. Propter hoc misimus,& notum fecimus regi,

Vt requirat in libro admonitionis patrum tuorum: & inuenies, & cognosces, quia ciuitas illa, ciuitas refuga, & malefaciens regibus, & prouincijs: & perfugia seruorum fiunt in medio eius à diebus sæculi. Propter hæc ciuitas ista desolata est.

Notum igitur facimus nos regi; quia si ciuitas illa ædificata fuerit,& mœnia eius extructa;non est tibi pax.

Et misit rex ad Rheum Baltam, & Sampsa scribam, & reliquos conseruos eorum, habitantes in Samaria,& reliquos trans fluuium, pacem:

Et ait: Tabellarius quem misistis ad nos, vocatus est coram me:

Et à me posita est sententia, & requisiuimus, & inuenimus,quia ciuitas illa à diebus sæculi super reges eleuatur,& rebelliones,& transfugia fiunt in ea:

Et reges fortes fuerunt in Hierusalem, & obtinentes totam transfluuialem: & tributa plena & pars dabantur eis.

Et nunc ponite edictum, cessare viros illos: & ciuitas illa non ædificabitur vltra:

Vt ex edicto cauti sitis remisse agere de hoc; ne forte multiplicetur perditio in nocumentum regibus.

Tunc Tabellarius Arthasasta regis legit coram Rheum Baltham, & Sampsa scriba, & conseruis eius. Et iuerunt festinanter in Hierusalem & in Iuda;& cessare fecerunt eos in equis,& virtute.

Tunc cessauit opus domus Dei, quod in Hierusalem: & fuit cessans vsque ad secundum annum regni Darij regis persarum.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

7 *Nam in diebus Arthahsasta scripsit in pace Mithredath, Tabel, & reliqui socii eius, ad Arthahsasthe regem Paras: porro scriptura eius epistolæ scripta erat Syriace, & explicata Syriace.*

8 *Rehum à commentariis, & Simsai scriba scripserunt epistolam vnam contra Ierusalem ad Arthahsasthe regẽ, huiusmodi.*

9 *Tunc Rehum à commentariis, & Simsai scriba, & reliqui socii eorum, Dinaie, & Apharsathchaie, Tarpelaie, Apharsaie, Archauaie, Bablaie, Susanchaie, Dehaue, Elmaie,*

10 *Et reliqui populi quos transtulit Asnappar magnus & glorioſus, & habitare fecit eos in vrbibus Samariæ, & reliqui populi qui sunt trans flumen, & Cheeneth.*

11 *Istud est exemplar epistolæ quam miserunt ad eum, nempe ad Arthahsasthe regem, Serui tui viri qui sunt trans flumen, & Cheeneth.*

12 *Notum sit regi quod Iehudæi qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem, vrbem rebellem & pessimam ædificantes, & muros fundauerunt, & parietes composuerunt.*

13 *Nunc notum sit regi quod si vrbs illa ædificata fuerit, & muri fundati fuerint, tributum, vectigal, & reditum annuum non dabunt, & tributum regum lædes.*

14 *Præterea pro omni vicissitudine salis palatii quem comedimus, & contemptum regis non est pulchrum nobis videre: propterea misimus et notum fecimus regi,*

15 *Vt quæras in libro historiarum patrum tuorum, & inuenies in libro historiarum, ac scies quod vrbs ista, vrbs est rebellis, et nocens regibus et prouinciis, et defectionem faciunt in medio eius à diebus seculi: propterea vrbs hæc destructa fuit.*

16 *Notum insuper facimus regi, quod si vrbs hæc ædificata fuerit, et muri extructi fuerint, ob id portio quæ est trans flumen, non erit tibi.*

17 *Verbum misit rex ad Rehum à commentariis, et Simsai scribam, et reliquos socios eorum qui habitabant in Semariah, et reliquos qui erant trans flumen, pacem et Cheeth.*

18 *Epistola quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me.*

19 *Et à me positum est decretum, et quæsierunt, atque inuenerunt quod vrbs illa à diebus seculi insurgit aduersum reges, et rebellat, et rebellio fit in ea.*

20 *Reges præterea fortes fuerunt in Ierusalem, et domini fuerunt omnium qui erant trans flumen, ac tributum, vectigal, et reditus annuus dabatur illis.*

21 *Nunc ergo ponite edictum vt cessent viri illi, et vrbs illa non extruatur, donec à me præceptum positum sit.*

22 *Et cauete vt errorem faciatis in hoc: cur crescet corruptio ad nocendum regibus?*

23 *Quumprimum autem exemplar epistolæ Arthahsasthe regis lectum fuit coram Rehum et Simsai scriba, et sociis eorum, abierunt festinanter in Ierusalem ad Iehudæos, et cessare fecerunt eos brachio et robore:*

24 *Tunc cessauit opus domus Dei quæ erat in Ierusalem, et cessauit vsque ad annum secundum regni Dariaues regis Paras.*

Vulgat. Editio.

CAP. V.

PRophetauerunt autem Aggæus propheta,& Zacharias filius Addo prophetantes ad Iudæos,qui erant in Iudæa, & Ieruſalem, in nomine Dei Iſrael.

Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Ieruſalem : & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos.

In ipſo autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen,& Stharbuzanai,& conſiliarij eorum : ſicque dixerunt eis : Quis dedit vobis conſilium vt domum hanc ædificaretis, & muros eius inſtauraretis?

Ad quod reſpondimus eis : quæ eſſent nomina hominum auctorum ædificationis illius

Oculus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum , & non potuerunt inhibere eos. Placuitque vt res ad Darium referretur, & tunc ſatisfacerent aduerſus accuſationem illam.

Exemplar epiſtolæ, quam miſit Thathanai dux regionis trans flumen, & Stharbuzanai, & conſiliatores eius Arphaſachæi, qui erant trans flumen ad Darium regem.

Sermo,quem miſerant ei, ſic ſcriptus erat : Dario regi pax omnis,

Notum ſit regi iuiſſe nos ad Iudæam prouinciam,ad domum Dei magni,quæ ædificatur lapide impolito,& ligna ponuntur in parietibus:opuſque illud diligenter extruitur, & creſcit in manibus eorum.

Interrogauimus ergo ſenes illos, & ita diximus eis : Quis dedit vobis poteſtatem vt domum hanc ædificaretis , & muros hos inſtauraretis ?

Sed & nomina eorum quæſiuimus ab eis,vt nunciaremus tibi:ſcripſimuſque nomina eorum virorum qui ſunt principes in eis.

Huiuſcemodi autem ſermonem reſponderunt nobis , dicentes:Nos ſumus ſerui Dei cœli,& terræ: & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos,quodq; rex Iſrael magnus ædificauerat,& extruxerat.

Poſtquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres noſtri Deum cœli,tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis Chaldæi , domum quoque hanc deſtruxit, & populum eius tranſtulit in Babylonem.

Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex propoſuit edictum vt domus Dei hæc ædificaretur.

Nam & vaſa templi Dei aurea, & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo , quod erat in Ieruſalem, & aſportauerat ea in templum Babylonis,protulit Cyrus rex de templo Babylonis,& data ſunt Saſſabaſar vocabulo,quem & principem conſtituit,

Dixitque ei:Hæc vaſa tolle, & vade,& pone ea in templo,quod eſt in Ieruſalem , & domus Dei ædificetur in loco ſuo.

Tunc itaque Saſſabaſar ille venit & poſuit fundamenta templi Dei in Ieruſalem , & ex eo tempore vſque nunc ædificatur , & nedum completum eſt.

Tranſl.ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. V.

1 *ET prophetauit Chaggai propheta , & Zechariah filius Hiddo Prophetæ,qui erant in Iudea & in Ieruſalaim, in nomine Dei Iſrael ſuper eos.*

2 *Tunc ſurrexerunt Zerubabel filius Sealthiel,& Ieſuah filius Ioſadach , & cœperunt ædificare domum Dei, quæ eſt in Ieruſalaim, & cum eis erant prophetæ Dei auxiliantes eis.*

3 *In illo tempore venit ad eos Tattenai dux eorum qui trans flumen , & Setharboznai, & ſocii eorum, & ſic dixerunt eis : Quis poſuit vobis præceptum , vt domum hanc ædificaretis,& fundaretis ?*

4 *Tunc adhuc diximus eis: Quæ ſunt nomina virorum qui hoc ædificium ædificant?*

5 *Et oculus Dei eorum fuit ſuper ſenes Iehudæorum,& non ceſſare fecerunt eos,donec res ad Darianes pergeret: & tunc reſponderunt per epiſtolam ſuper his.*

6 *Exemplar epiſtolæ, quam miſit Tattenai dux eorum qui erant trans flumen, & Setharboznai, & ſocii eius, Apharſachaie qui erant trans flumen ad Dariaues regem.*

7 *Verbum miſerunt ad eum & iuxta hoc ſcriptum erat in medio eius Dariaues regi pax omnis.*

8 *Notum ſit regi quod iuimus in Iehudæam prouinciam ad domum Dei magni, & ipſa ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus,& opus ipſum feſtinanter fit,& proſperatur in manibus eorum.*

9 *Tunc interrogauimus ſeniores illos , huiuſcemodi diximus eis : Quis poſuit vobis præceptum vt domum hanc ædificaretis,& parietes hos fundaretis?*

10 *Et etiam de nominibus eorum interrogauimus eos, vt notificaremus tibi , vt ſcriberemus nomina virorum qui ſunt duces eorum.*

11 *Et eiuſcemodi verborum reſponderunt nobis, dicendo: Nos ſumus ſerui Dei cœli, & terræ, & reædificamus domum quæ fuit ædificata ante hos annos multos : & rex Iſrael magnus ædificauit eam, & fundauit eam.*

12 *Verumtamem ex quo prouocauerunt patres noſtri Deũ cœli,tradidit eos in manu Nebuchadneſar regis Babel,& domum hanc deſtruxit , & populum eius tranſmigrare fecit in Babel.*

13 *Verumtamen anno primo Chores regis Babel,Chores rex poſuit edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur.*

14 *Et etiam vaſa domus Dei aurea & argentea , quæ Nebuchadneſar è templo quod eſt in Ieruſalaim attulerat in templum Babel,eduxit Chores rex è templo Babel,& data ſunt ipſi Seshaſar , quem ducem conſtituerat.*

15 *Dixitque ei: Hæc vaſa tolle,& vade,deferre fac ea in templum,quod eſt in Ieruſalaim, & domus Dei ædificetur in loco ſuo.*

16 *Tunc Seshaſar ille venit, poſuit fundamenta domus Dei,quæ eſt in Ieruſalaim,& ex eo tempore vſque ad hoc tempus ædificatur,& non eſt perfecta.*

Transl. ex Septuag.

CAP. V.

ET prophetauit Aggæus propheta, & Zacharias filius Addo prophetiam ſuper Iudæos, qui in Iuda, & in Hieruſalem in nomine Dei Iſrael ſuper ipſos. 1

Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec: & cœperunt ædificare domum Dei, quæ in Hieruſalem: & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos. 2

In ipſo tempore venit ſuper eos Thanthanai ſubregulus trans flumen, & Satharbuzanai, & conſerui eorum: & talia dixerunt eis: Quis poſuit vobis decretum ædificare domum hanc, & apparatum hunc perficere? 3

Tunc iſta dixerunt eis: Quæ ſunt nomina virorum ædificantium ciuitatem hanc? 4

Et oculi Dei ad captiuitatem Iuda: & non fecerunt ceſſare eos, donec ſententia ad Darium delata fuit. Et tunc data eſt tabellario ſuper hoc. 5

Explicatio epiſtolæ, quam miſit Thanthanai ſubregulus regionis trans flumen, & Satharbuzanai, & conſerui eorum Apharſachæi, qui in trans fluuiali, Dario regi: 6

Verbis miſerunt ad eum. Et hæc ſcripta ſunt in eo. Dario regi pax omnis: 7

Notum ſit regi, quia iuimus in Iudæam prouinciam ad domum Dei magni: & ipſa ædificatur lapidibus electis, & ligna imponuntur in parietibus, & opus illud valde dexterum fit, & bene procedit in manibus eorum. 8

Tunc interrogauimus ſeniores illos, & ſic diximus eis: Quis poſuit vobis decretum, domum hanc ædificare, & apparatum hunc perficere? 9

Et nomina eorum interrogauimus eos ad notificandum tibi: vt ſcriberemus tibi nomina virorum principum eorum. 10

Et huiuſmodi verbum reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſerui Dei cœli, & terræ: & ædificamus domum, quæ erat ædificata ante hunc annos multos: & rex Iſrael magnus ædificauit eam, & perfecit eam ipſis. 11

Ex quo autem irritarunt patres noſtri Deum cœli, dedit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis Chaldæi: & domum hanc diſſoluit, & populum tranſtulit in Babylonem. 12

Sed in anno primo Cyri regis, Cyrus rex poſuit decretum, domum Dei hanc ædificari: 13

Et vaſa domus Dei aurea, & argentea, quæ Nabuchodonoſor extulerat de domo, quæ in Hieruſalem, & aſportauerat ea in templum regis, protulit ea Cyrus rex è templo regis, & dedit Sabanaſar cuſtodi theſaurorum, qui ſuper theſaurum, 14

Et dixit ei: Omnia vaſa ſume, & vade: pone ea in domo, quæ in Hieruſalem, in locum eorum. 15

Tunc Sabanaſar ille venit, & dedit fundamenta domus Dei in Hieruſalem: & ex tunc vſque nunc ædificata eſt, & non eſt perfecta. 16

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. V.

PRophetauit autem Haggai propheta, & Zechariath filius Iddo qui fuerunt Prophetæ ad Iehudæos qui erant in Iehuda & Ieruſelem, in nomine Dei Iſraelis ſuper eos. 1

Tunc ſurrexerunt Zerubbabel filius Sealthiel, & Ieſua filius Ioſadac, & cœperunt ædificare domum Dei quæ eſt in Ieruſalem: erantque cum eis Prophetæ Dei auxiliantes eis. 2

In illo tempore venit ad eos Thatthenai dux eorum qui erant trans flumen, & Sethar-bozenai, & ſocii eorum: & ſic dixerunt eis, Quis poſuit vobis præceptum vt domum hanc ædificaretis, & muros iſtos fundaretis? 3

Tunc adhuc huiuſmodi diximus eis, Quæ ſunt nomina virorum qui hoc ædificium ædificant? 4

Oculus autem Dei eorum erat ſuper ſenes Iehudæorum, & non fecerunt ceſſare eos, donec res ad Dariaues pergeret: tunc igitur reſponderunt per epiſtolam ſuper his. 5

Exemplar epiſtolæ quam miſit Thatthenai dux eorum qui erant trans flumen, & Sethar-bozenai, & ſocii eius, & Apharſechaie, qui erant trans flumen, ad Dariaues regem. 6

(Verbum miſerunt ad eum) Et ſic ſcriptum erat intra eam, Dariaues regi pax omnis. 7

Notum ſit regi quod profecti ſumus in Iehudæam prouinciam ad domum Dei maximi, & ipſa ædificatur lapide marmoreo, lignaque ponuntur in parietibus, atque opus illud feſtinanter fit, & proſpere cedit in manibus eorum. 8

Tunc interrogauimus ſeniores illos, atque ſic diximus eis, Quis poſuit vobis præceptum vt domum hanc ædificaretis, & muros iſtos fundaretis? 9

Et etiam de nominibus eorum interrogauimus eos, vt nota faceremus illa tibi: id eſt, vt ſcriberemus nomina virorum qui ſunt duces eorum. 10

Eiuſmodi autem verbum reſponderunt nobis, dicendo, Nos ſumus ſerui Dei cœli, & terræ, & ædificamus domum quæ fuerat ædificata antea annis multis: quam rex Iſraelis magnus ædificauerat, & fundauerat eam. 11

Sed poſtea quam prouocauerunt patres noſtri Deum cœli, tradidit eos in manum Nebuchad-neſar regis Babel Chaldæi, et domum hanc deſtruxit, ac populum tranſmigrare fecit in Babel. 12

Verumtamen anno primo Chores regis Babel Chores rex poſuit edictum vt domum Dei hanc ædificarent. 13

Et etiam vaſa domus Dei aurea et argentea, quæ Nebuchad-neſar eduxerat è templo quod erat in Ieruſelem, et tulerat ea in templum Babel, eduxit illa Chores rex è templo Babel, et tradita fuerunt ipſi Sesbaſar, quem ducem conſtituerat. 14

Dixitque ei, Hæc vaſa tolle, abi, depone ea in templo quod eſt in Ieruſelem, et domus Dei ædificetur in loco ſuo. 15

Tunc Sesbaſar iſte venit, iecit fundamenta domus Dei quæ eſt in Ieruſalaim, et ex eo tempore vſque ad hoc tempus ædificatur, et necdum perfecta eſt. 16

Vulgat. Editio.

Nunc ergo,ſi videtur regi bonum, recenſeat in bibliotheca regis, quæ eſt in Babylone, vtrum nam à Cyro rege iuſſum fuerit vt ædificaretur domus Dei in Ieruſalem,& voluntatem regis ſuper hac re mittat ad nos. 17

CAP. VI.

TVnc Darius rex præcepit: & recenſuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repoſiti in Babylone, 1

Et inuentum eſt in Ecbatanis, quod eſt caſtrum in Medena prouincia volumen vnum, taliſque ſcriptus erat in eo commentarius: 2

Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decreuit vt domus Dei ædificaretur,quæ eſt in Ieruſalem, in loco vbi immolant hoſtias, & vt ponant fundamẽnta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta, 3

Ordines de Lapidibus impolitis tres,& ſic ordines de lignis nouis: ſumptus autem de domo regis dabuntur. 4

Sed & vaſa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo Ieruſalem, & attulerat ea in Babylonem,reddantur, & referantur in templum in Hieruſalem in locum ſuum,quæ & poſita ſunt in templo Dei. 5

Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzanai, & conſiliarij veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans flumen, procul recedite ab illis, 6

Et dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum,& à ſenioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco ſuo. 7

Sed & à me præceptũ eſt quid oporteat fieri à preſbyteris Iudæorum illis vt ædificetur domus Dei, ſcilicet vt de arca regis,id eſt de tributis,quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſe ſumptus dentur viris illis ne impediatur opus. 8

Quod ſi neceſſe fuerit,& vitulos,& agnos, & hædos in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, vinum,& oleum,ſecundum ritum Sacerdotum, qui ſunt in Ieruſalem, detur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia. 9

Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis,& filiorum eius. 10

A me ergo poſitum eſt decretum:Vt omnis homo, qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo ipſius,& erigatur,& configatur in eo, domus autem eius publicetur. 11

Deus autem,qui habitare fecit nomen ſuum, ibi, diſſipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum ſuam vt repugnet, & diſſipet domum Dei illam,quæ eſt in Ieruſalem.Ego Darius ſtatui decretum,quod ſtudioſe impleri volo. 12

Igitur Thanai dux regionis trans flumen,& Stharbuzanai,& conſiliarij eius, ſecundum quod præceperat Darius rex, ſic diligenter executi ſunt. 13

Seniores autem Iudæorum ædificabant,& proſperabantur iuxta prophetiam Aggæi prophetæ, & Zachariæ filij Addo:& ædificauerunt & conſtruxerunt iubente Deo Iſrael,& iubente Cyro,& Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum: 14

Tranſl.ex Heb. Sanct.Pagn.

Et nunc ſi regi bonum eſt quæratur in domo theſaurorum regis quæ eſt in Babel, an ſit à Chores rege poſitum edictum, vt ædificarent domum Dei hanc, quæ eſt in Ieruſalaim,& voluntatem regis ſuper hoc mittat ad nos. 17

CAP. VI.

TVne Dariaues rex poſuit præceptum, & queſierunt in domo librorum theſaurorum qui poſiti erant ibi in Babel. 1

Et inuentum eſt in lagena quæ erat in palatio, quod erat in Madai prouincia volumen vnum, & ſic ſcriptum erat intrinſecus memoriale. 2

Anno primo Chores regis, Chores rex poſuit edictum, vt domus Dei quæ eſt in Ieruſalaim domus ædificaretur, quæ eſt locus in quo immolant victimas, parietes eius colligarentur: altitudo eius cubitorum ſexaginta: latitudo eius cubitorum ſexaginta. 3

Parietes ex lapidibus marmoreis tres,& paries interior è lignis nouis,& ſumptus de domo regis dabitur. 4

Et etiam vaſa domus Dei aurea,& argentea, quæ Nebuchadneſar eduxerat è templo quod erat in Ieruſalaim, & detulerat in Babel, reddant & vadant ad templum, quod eſt in Ieruſalaim ad locum ſuum & deſcendant in domum Dei. 5

Nunc Tathenai dux eorum qui ſunt trans flumen Setharboznai, & ſocii eorum Apharſechai, qui eſtis trans flumen longinqui eſtote inde. 6

Dimittite vt fiat domus Dei huius à duce Iehudæorum, & ſenioribus Iehudæorum: domus Dei hæc ædificabitur in loco ſuo. 7

Et à me poſitum eſt edictum illi quod facietis cum ſenioribus Iehudæorum iſtorum, in ædificando domum Dei hanc,& de ſubſtantia regis quæ eſt tributum trans flumen feſtinanter redditus ſit datus viris illis, vt non ceſſent. 8

Et quod neceſſarium fuerit,& filii boum,& arietes,& agni in holocauſtum ſacerdotum, qui ſunt in Ieruſalaim dabuntur eis per ſingulos dies, vt non ſit error. 9

Vt offerant ſuffimenta Deo cœli, & orent pro vita regis,& pro filiis eius. 10

Et à me poſitum eſt decretum: quod omnis homo, qui mutauerit verbum hoc, diruatur lignum è domo eius & erectum ſuſpendatur in eo, & domus eius ſterquilinium fiat propter hoc. 11

Deus autem qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnem regem, & populum qui miſerit manum ſuam ad mutandum,& corrumpendum domum Dei hanc, quæ eſt in Ieruſalaim.Ego Dariaues poſui decretum, feſtinanter fiat. 12

Tunc Thatthenai dux eorum qui erant trans flumen, Setharbozna,& ſocii eorum, ſecundum quod miſit Dariaues rex, ſecundum hoc feſtinanter fecerunt. 13

Seniores autem Iehudæorum ædificabant, & proſperabantur ſecundum prophetiam Chaggai prophetæ, & Zachariah filii Hiddo, & ædificauerunt,& fundauerunt ex præcepto Dei Iſrael,& ex præcepto Chores, & Dariaues, & Arthachſaſthæ regis Paras. 14

Transl. ex Septuag.

Et nunc, si super regem, bonum; requirat in domo Gazæ regis Babylonis, vt cognoscas, quia à rege Cyro positum est decretum ædificare domum Dei illam, quæ in Hierusalem. Et cum nouerit rex de hoc; mittat ad nos.

CAP. VI.

TVnc Darius rex posuit decretum, & requisiuit in bibliothecis, vbi Gaza posita est in Babylone.

Et inuentum est in ciuitate in palatio caput vnum, & hic scriptus in eo commentarius.

In anno primo Cyri regis, Cyrus rex posuit decretum de domo sacra Dei, quæ in Hierusalem: Domus ædificetur, & locus, vbi sacrificant sacrificia. Et posuit eleuationem, altitudo cubiti sexaginta, latitudo eius cubitorum sexaginta:

Et domus lapideæ validæ tres: & domus lignea vna. Et sumptus de domo regis dabitur.

Et vasa domus Dei argentea, & aurea quæ Nabuchodonosor extulit è domo quæ in Hierusalem, & portauit in Babylonem; & dentur, & remittantur in templum, quod in Hierusalem super locum, vbi posita fuerant in domo Dei.

Nunc dabitis subreguli transflumen Sacharbuzanai, & conserui ipsorum Apharsachæi, qui transflumen longe existentes illinc.

Nunc permittite opus domus Dei. Præpositi Iudæorum, & seniores Iudæorum domum Dei illam ædificent super locum ipsius.

Et à me decretum positum est, ne quando quid faciatis cum senioribus Iudæorum ad ædificandum domum Dei illam. Et de substantiis regis, tributis ipsis transflumen, diligenter sumptus sit datus viris illis, vt non cessent.

Et quodcumque necessarium, & filios boum, & arietum, & agnos in holocaustoses Deo cœli, frumentum, sal, vinum, oleum iuxta verbum sacerdotum, qui in Hierusalem, sit datum eis, diem in die, quodcumque petierint;

Vt beneolentia offerant Deo cœli, & deprecentur ad vitam regis, & filiorum eius.

Et à me positum est decretum; quod omnis homo, qui mutauerit verbum hoc, tolletur lignum de domo ipsius, & erectus percutietur super illud: & domus eius fiet id quod ad me:

Et Deus, cuius inhabitat nomen ibi, euertat omnem regem, & populum, qui extendet manum suam ad mutandam, aut delendam domum Dei, quæ in Hierusalem. Ego Darius posui decretum: diligenter erit.

Tunc Thanthanai subregulus transflumen, Satharbuzanai, & conserui eius, secundum quod misit Darius rex, sic fecerunt diligenter.

Et seniores Iudæorum ædificabant, & Leuitæ in prophetia Aggæi prophetæ, & Zachariæ filij Addo Et ædificauerunt, & perfecerunt ex decreto Dei Israel, & ex decreto Cyri, & Darij, & Arthasastha regum Persarum.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

17 *Nunc ergo si regi bonum sit, perquiratur in domo thesaurorum regis quæ est illic in Babel, an ita sit quod à Chores rege positum sit edictum vt reædificarent domum Dei hanc quæ est in Ieruselem: & voluntatem suam super hoc mittat ad nos.*

CAP. VI.

1 *TVnc Dariaues rex posuit præceptum: & quæsiuerunt in domo librorum thesaurorum qui positi erant ibi in Babel.*

2 *Inuentum est autem in scrinio quod erat in palatio quod erat in Madai prouincia volumen vnum: & sic scriptum erat in eo memoriale.*

3 *Anno primo Chores regis, Chores rex posuit edictum de domo Dei quæ erat in Ieruselem, Domus ipsa reædificetur, quæ est locus in quo immolant victimas, & parietes eius colligentur, altitudo eius sit cubitorum sexaginta: latitudo eius, cubitorum sexaginta.*

4 *Parietes, ex lapidibus marmoreis tres, & paries vnus è lignis nouis: & sumptus de domo regis dabitur.*

5 *Quinetiam vasa domus Dei aurea & argentea, quæ Nebuchadnesar eduxerat è templo quod erat in Ieruselem, & detulerat in Babel, reddant, & vadant ad templum quod est in Ieruselem ad locum suum, & reponas in domo Dei.*

6 *Nunc ergo Thatthenai dux eorum qui sunt trans Flumen, & Sethar-boznai, & socij eorum, & Apharsechaie qui estis trans Flumen, remoti estote inde.*

7 *Dimittite vt fiat domus Dei hæc: ducem Iudæorum, & seniores eorum, vt domum Dei hanc ædificent in loco suo.*

8 *Et à me positum est edictum de eo quod facturi estis cum senioribus Iehudæorum istis, vt ædificent domum Dei istam: nempe vt de substantia regis, quæ est tributum trans Flumen, festinanter sumptus detur viris illis, vt non faciant cessare.*

9 *Et id quo indiguerint, siue boues, siue arietes, siue agni in holocausta Deo cœli, frumentum, sal, vinum & oleum, iuxta verbum Sacerdotum qui sunt in Ieruselem, dentur eis per singulos dies, vt nullus sit error:*

10 *Vt habeant vnde offerant suffimenta Deo cœli, & precentur pro vita regis, & pro filiis eius.*

11 *Preterea à me positum est tale decretum, vt quicunque immutauerit verbum hoc, diruatur lignum è domo eius, & erectum suspendatur in eo, & domus eius sterquilinium fiat propter hoc.*

12 *Deus autem qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnem regem & populum qui miserit manum suam vt mutet & destruat domum Dei istam quæ est in Ieruselem. Ego Dariaues posui decretum: festinanter fiat.*

13 *Tunc Thatthenai dux eorum qui erant trans Flumen, Sethar-boznai, & socij eorum, iuxta id quod miserat Dariaues rex, sic festinanter fecerunt.*

14 *Seniores itaque Iehudæorum ædificabant, & prosperedebat secundum prophetiam Haggai prophetæ, & Zachariah filij Iddo, & ædificauerunt, ac perfecerunt ex præcepto Dei Israelis, & ex præcepto Chores & Dariaues, & Arthahsaste Regis Parsæ.*

Vulgat. Editio.

Et compleuerunt domum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darij regis.

Fecerunt autem filij Iſrael Sacerdotes, & Leuitæ, & reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem Domus Dei in gaudio.

Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Iſrael duodecim, iuxta numerum tribuum Iſrael.

Et ſtatuerunt Sacerdotes in ordinibus ſuis, & Leuitas in vicibus ſuis ſuper opera Dei in Ieruſalem, * ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.

*Nu. 3. 6. & 8. 9

Fecerunt autem filij Iſrael tranſmigrationis, Paſcha quartadecima die menſis primi.

Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ quaſi vnus: omnes mundi ad immolandum paſcha vniuerſis filiis tranſmigrationis, & fratribus ſuis Sacerdotibus, & ſibi.

Et comederunt filij Iſrael, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione, & omnes qui ſe ſeparauerant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.

Et fecerunt ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Aſſur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Iſrael.

CAP. VII.

POſt hæc autem verba in regno Artaxerxis regis Perſarum Eſdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helciæ,

Filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob.

Filij Amariæ, filij Azariæ, filij Maraioth,

Filij Zaraiæ, filij Ozi, filij Bocci,

Filij Abiſue, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron ſacerdotis ab initio.

Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe ſcriba velox in lege Moyſi, quam Dominus Deus dedit Iſrael: & dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei eius, ſuper eum, omnem petitionem eius.

Et aſcenderunt de filiis Iſrael, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Leuitarum, & de cantoribus, & de ianitoribus, & de Nathinæis in Ieruſalem anno ſeptimo artaxerxis regis.

Et venerunt in Ieruſalem menſe quinto, ipſe eſt annus ſeptimus regis.

Quia in primo die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone, & in primo die menſis quinti venit in Ieruſalem, iuxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe.

Eſdras enim parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret & doceret in Iſrael præceptum & iudicium.

Hoc eſt autem exemplar epiſtolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ erudito in ſermonibus & præceptis Domini, & ceremoniis eius in Iſrael.

Artaxerxes rex regum Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cœli doctiſſimo, ſalutem.

A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ieruſalem, tecum vadat.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Et perfecta eſt domus hæc vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Dariaues regis.*

16 *Et fecerunt filij Iſrael Sacerdotes, & Leuitæ, & reliqui filij tranſmigrationis, dedicationem domus Dei huius cum gaudio.*

17 *Et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos caprarum pro peccato, pro toto Iſrael duodecim, ſecundum numerum tribuum Iſrael.*

18 *Et ſtatuerunt Sacerdotes in diuiſionibus ſuis, & Leuitas in diſtinctionibus ſuis ſuper opera Dei quæ erant in Ieruſalaim.*

19 *Et fecerunt filii tranſmigrationis Peſach quartadecima menſis primi.*

20 *Purificati enim ſunt Sacerdotes, & Leuitæ tanquam vnus, cuncti ipſi mundi: & immolauerunt Peſach pro omnibus filiis tranſmigrationis, & fratribus eorum Sacerdotibus, & ſibi ipſi.*

21 *Et comederunt filii Iſrael qui reuerſi erant de tranſmigratione, & omnis qui ſe ſeparauerat à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.*

22 *Et fecerunt ſolemnitatem infermentatorum ſeptem diebus cum lætitia, quia lætificauerat eos Dominus, & conuerti fecerat cor regis Aſſur ad eos ad confortandum eos in opere domus Dei Iſrael.*

CAP. VII.

1 *ET poſt hæc in regno Arthachſaſthæ regis Paras erat Hezrah filius Seraiah filii Hazariah, filii Chilchiiah.*

2 *Filii Sallum, filii Sadoc, filii Achithob.*

3 *Filii Amariah, filii Hazariah, filii Meraioth,*

4 *Filii Zerachiah, filii Huzzi, filii Buechi,*

5 *Filii Abiſuah, filii Pinchas, filii Elhazar, filii Aharon Sacerdotis primi.*

6 *Ipſe Hezra aſcendit è Babel, & erat ſcriba velox in Lege Moſeh, quam dedit Dominus Deus Iſrael: & dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei ſui ſuper eum omnem petitionem eius.*

7 *Et aſcenderunt de filiis Iſrael & de Sacerdotibus, Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & Nethinim in Ieruſalaim anno Arthachſaſthæ regis.*

8 *Et venit in Ieruſalaim quinto menſe: ipſe eſt annus ſeptimus regis.*

9 *Quia in prima menſis primi fuit initium aſcenſionis de Babel, & in prima menſis quinti venit in Ieruſalaim ſecundum manum Dei ſui bonum ſuper eum.*

10 *Quia Hezra parauit cor ſuum, vt quæreret legem Domini, & faceret, & doceret Iſrael præceptum, & iudicium.*

11 *Et hoc eſt exemplar epiſtolæ, quam dedit rex Arthachſaſtha Hezræ Sacerdoti ſcribæ, ſcribæ verborum præceptorum Domini, & ſtatutorum eius ſuper Iſrael.*

12 *Arthachſaſtha rex regum Hezræ Sacerdoti, ſcribæ legis Dei cœli conſumato, & Cheheneth.*

13 *A me poſitum eſt decretum, quod omnis qui ſponta-neus eſt in regno meo de populo Iſrael, & ſacerdotibus, & Leuitis, vt eat in Ieruſalaim, tecum vadat.*

Transl. ex Septuag.

Et perfecerunt domum istam vsque ad diem tertiam mensis Adar; qui est annus sextus regni Darij regis.

Et fecerunt filii Israel, sacerdotes, & Leuitæ, & reliqui ex filiis transmigrationis Encænia domus Dei in lætitia:

Et obtulerunt in Encænia domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato pro omni Israel duodecim ad numerum tribuum Israel.

Et statuerunt sacerdotes in diuisionibus ipsorum, & Leuitas in partitionibus ipsorum, super seruitutem Dei in Hierusalem, secundum scripturam libri Moysi.

Et fecerunt filij transmigrationis Pascha quartadecima mensis primi:

Quoniam mundati fuerant sacerdotes & Leuitæ: vsque ad vnum, omnes mundi. Et iugularunt Pascha omnibus filiis transmigrationis, & fratribus suis sacerdotibus, & sibi ipsis.

Et comederunt filij Israel Pascha, qui de transmigratione, & omnis separans se ab immunditia gentium terræ ad eos, ad quærendum Dominum Deum Israel.

Et fecerunt festiuitatem Azymorum septem diebus in lætitia: quoniam lætificabat eos Dominus: & conuertit cor regis Assur super eos ad confortandas manus eorum in operibus domus Dei Israel.

CAP. VII.

ET post verba hæc, in regno Arthasastha regis Persarum, ascendit Esdras filius Saraæ filii Azariæ filii Chelcia

Filij Sellum filij Sadduc filij Achitob

Filij Samaria filij Esria filij Mareoth

Filij Zaraia filij Oziæ filij Bocci,

Filij Abisue filij Phinees filij Eleazari filij Aaron sacerdotis primi.

Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi, quam dedit Dominus Deus Israel. Et dedit ei rex: quoniam manus Domini Dei eius super ipsum in omnibus, quæ quærebat ipse.

Et ascenderunt de filiis Israel, & de sacerdotibus, & de Leuitis, & cantores, & ostiarij, & Nathinim in Hierusalem in anno septimo Arthasastha regi.

Et venerunt in Hierusalem mense quinto: hic annus septimus regi:

Quoniam in vna mensis primi ipse fundauit ascensionem, quæ è Babylone: in prima autem mensis quinti venerunt in Hierusalem: quoniam manus Dei eius erat bona super eum:

Quoniam Esdras dedit in cor suum quærere legem, & facere, & docere in Israel præcepta, & Iudicia.

Et hæc explicatio constitutionis, quam dedit Arthasastha Esdræ sacerdoti scribæ libri sermonum mandatorum Domini & præceptorum ipsius super Israel.

Arthasastha rex regum Esdræ scribæ legis Domini Dei cœli. Perficiatur sermo, & responsio.

A me positum est decretum, vt omnis sponte volens in regno meo de populo Israel, & sacerdotibus, & Leuitis ire in Hierusalem tecum eat.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Perfecta est ergo domus hæc vsque ad diem tertium mensis Adar, qui erat annus sextus regni Dariaues regis.

Fecerunt que filii Israelis Sacerdotes & Leuitæ, ac reliqui filii transmigrationis, dedicationem domus Dei huius cum gaudio.

Et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos caprarum in sacrificium pro peccato pro toto Israele duodecim, secundum numerum tribuum Israelis.

Constituerunt que Sacerdotes in diuisionibus suis, & Leuitas in distinctionibus suis, super opus Dei quod faciendum erat in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Mosis.

Fecerunt præterea filii transmigrationis Pesah quartadecima mensis primi:

(Purificati enim erant Sacerdotes & Leuitæ, tanquam vnus, omnes mundi erant) immolauerunt inquam Pesah pro omnibus filiis transmigrationis, & pro fratribus suis Sacerdotibus, & pro seipsis.

Comederunt itaque filii Israelis qui reuersi erant de transmigratione, & omnis qui subduxerat sese à coinquinatione Gentium terræ ad eos vt requireret Iehouam Deum Israelis.

Fecerunt & solennitatem infermentatorum septem diebus cum lætitia, quod exhilarasset eos Iehouah, & conuertisset cor regis Assur ad eos, ad confortandum eos in opere domus Dei, Dei inquam Israelis.

CAP. VII.

POst hæc autem in regno Arthahsasthe regis Parsæ erat Ezra filius Seraiah filii Azariah, filii Hilciiah,

Filii Sallum, filii Sadoc, filii Ahitub,

Filii Amariah, filii Azariah, filii Meraioth,

Filii Zerahiah, filii Vzzi, filii Bucci,

Filii Abisua, filii Pinhas, filii Elazar, filii Aharon Sacerdotis primi.

Is Ezra ascendit è Babel, & erat scriba velox in lege Moseh, quam dedit Iehouah Deus Israelis, & dedit ei rex iuxta manum Iehouæ Dei sui super ipsum, omnem petitionem eius.

Ascenderunt autem de filiis Israelis, & de Sacerdotibus & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & Nethinæis in Ierusalaim, anno septimo Arthahsasthe regis:

Et peruenit in Ierusalaim quinto mense, ipse est annus septimus regis.

Nam in prima die mensis primi fuit initium ascensus de Babel, & prima die mensis quinti venit in Ierusalaim iuxta manum Dei sui bonam super eum.

Ezra enim parauerat cor suum vt requireret Legem Iehouæ, ac faceret, & doceret Israelem præceptum & iudicium.

Istud autem est exemplar epistolæ quam tradidit rex Arthahsasthe Ezræ Sacerdoti, scribæ scribæ inquam verborum præceptorum Iehouæ, & statutorum eius super Israelem.

Arthahsasthe rex regum Ezræ Sacerdoti, scribæ Legis Dei cæli consummato, & ipsi Cheeneth.

A me positum est decretum, quod quicumque spontaneus est in regno meo de populo Israelis, & Sacerdotibus, & Leuitis, vt eat in Ierusalem tecum, vadat.

Vulgat. Editio.

A facie enim regis, & septem consiliatorum eius, missus es, vt visites Iudæam, & Ierusalem, in lege Dei tui, quæ est in manu tua:

Et vt feras argentum & aurum quod rex, & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Ierusalem tabernaculum est.

Et omne argentum, & aurum, quodcumque inueneris in vniuersa prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Ierusalem,

Libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Ierusalem.

Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite.

Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem.

Sed & cetera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco regis,

Et à me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen; vt quodcumque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis.

Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsq; ad batos olei centum, sal vero absque mensura.

Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli; ne forte irascatur contra regnum regis, & filiorum eius.

Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.

Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides vt iudicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet qui nouerunt legem Dei tui, sed & imperitos docete libere.

Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui & legem regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certe in carcerem.

Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis vt glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalem,

Et in me inclinauit misericordiam suam coram rege & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me congregaui de Israel principes qui ascenderent mecum.

CAP. VIII.

HI sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

De filiis Phinees, Gersom: De filiis Ithamar, Daniel. De filiis Dauid, Hattus:

De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias, & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta:

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

14 *Pro eo quod à facie regis, & septem consiliariorum eius missus es ad visitandum Iehudæam, & Ierusalaim in lege Dei tui, quæ est in manu tua.*

15 *Et ad ferendum argentum & aurum, quod rex, & consiliarii eius sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Ierusalaim est habitaculum.*

16 *Et omne argentum, & aurum, quod inueneris in vniuersa prouincia Babel, cum spontaneis populis, & Sacerdotibus, qui sponte obtulerint in domui Dei sui, quæ est in Ierusalaim.*

17 *Vt cito emas argento hoc, vitulos, arietes, agnos, & sacrificia eorum, & libamina eorum, & offeras ea super altare domus Dei vestri, quæ est in Ierusalaim.*

18 *Et illud quodtibi & fratribus tuis placuerit de residuo argento & auro, vt facias, secundum voluntatem Dei vestri facite.*

19 *Et vasa quæ data sunt tibi in ministerium domus Dei tui, redde coram Deo in Ierusalaim.*

20 *Et reliqua quæ fuerunt necessaria pro domo Dei tui quæ opus fuerint tibi, vt dentur, dabis è domo thesaurorum regis.*

21 *Et à me Arthachsastha positum est decretum omnibus thesaurariis qui sunt trans flumen, vt omnia quæ petierit à vobis Hezra Sacerdos scriba Legis Dei cito fiat,*

22 *Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad tritici coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, & sal vt non scribatur.*

23 *Omne quod est ex decreto Dei cæli fiat festinanter domui Dei cæli: cuius, vt quid futura est ira contra regnum regis, & filiorum eius?*

24 *Et vobis notificamus quod omnibus Sacerdotibus, & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Nethineis, & ministris domus Dei huius, tributum, vectigal, & redditus præfectus non imponet.*

25 *Tu autem Hezra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices, & causidicos qui iudicent omnem populum qui est trans flumen, omnes scientes legem Dei tui, & eum qui non nouit scire facietis,*

26 *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis, cito iudicium fiat de eo, siue ad mortem, siue ad eradicationem eius, siue ad condemnationem substantiæ, & ad vinciendum.*

27 *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum qui dedit simile in corde regis, vt glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalaim.*

28 *Et super me inclinauit misericordiam coram rege & consiliariis eius, & omnibus principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Dei mei super me, congregaui de Israel principes, vt ascenderent mecum.*

CAP. VIII.

1 *ET isti principes patrum eorum, & genealogiæ eorum qui ascenderunt mecum in regno Arthachsastæ regis, de Babel.*

2 *De filiis Pinchas, Ghersoni: de filiis Ithamar, Daniel: de filiis Dauid, Chattus.*

3 *De filiis Secheniah de filiis Parhos Zechariah, & cum eo genealogia eorum masculorum, centum & quinquaginta.*

Transl. ex Septuag.

A facie regis, & septem consiliariorum missum 14
est visitare super Hierusalem, & in Iudæam, lege
Dei ipsorum, quæ in manu tua:

Et ad domum Domini argentum, & aurum, 15
quod rex, & consiliarij sponte dederunt Deo Israel,
habitanti in Hierusalem,

Et omne argentum, & aurum, quodcumque in- 16
ueneris in omni regione Babylonis cum spontanea
datione populi, & sacerdotum sponte dantium, in
domum Dei, quæ in Hierusalem.

Et omnem venientem hunc prompte ordina in 17
libro hoc, vitulos, arietes, agnos, & sacrificia eorum,
& libamina eorum, & offeres ea super altare domus
Dei vestri, quæ in Hierusalem.

Et si quid super te, & fratres tuos, bonum fuerit 18
in residuo argenti, & auri facere; sicut placitum
Deo vestro, facite.

Et vasa, quæ dantur tibi in ministerium domus 19
Dei, trade in conspectu Dei in Hierusalem.

Et reliquum necessitatis domus Dei tui, quod- 20
cumque visum fuerit tibi; dabis ex ædibus gazæ
regis,

Et à me. Ego Arthasastha rex posui decretum 21
omnibus gazis, quæ vltra flumen; vt omne, quod-
cumque petierit à vobis Esdras sacerdos, & scriba
Dei cæli, prompte fiat

Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad 22
frumenti coros centum, & vsque ad vini batos
centum, & vsque ad olei batos centum, & sal, cuius
non est scriptura.

Quodcumque est in sententia Dei cæli fiat. At- 23
tendite, ne quis manum injiciat in domum Dei cæ-
li; ne forte fiat ira super regnum regis, & filiorum
eius.

Et vobis notificatum est, in omnibus sacerdoti- 24
bus, & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Nathinim,
& ministris domus Dei hoc, tributum non erit ti-
bi, non habebis potestatem seruitute opprimendi
eos.

Et tu Esdra, sicut sapientia Dei in manu tua, con- 25
stitue scribas, & iudices, vt sint iudicantes omni
populo, qui vltra flumen, omnibus scientibus le-
gem Dei tui: Et non scienti notificabitis.

Et omnis, quicumque non fuerit faciens legem 26
Dei, & legem regis prompte; iudicium factum erit
de eo, siue ad mortem, siue ad castigationem, siue ad
damnum vitæ, siue ad traditionem.

Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, 27
qui dedit in cor regis ita, ad glorificandam do-
mum Domini, quæ in Hierusalem:

Et super me inclinauit misericordiam in oculis 28
regis, & cõsiliariorum eius, & omnium principum
regis eleuatorum. Et ego confortatus sum, sicut ma-
nus Dei bona super me: & congregaui de Israel
principes ad ascendendum mecum.

CAP. VIII.

ET hi principes familiariũ suarum duces ascen- 1
dentes mecum in regno Arthasastha regis Ba-
bylonis.

De filiis Phinees, Gerson: De filiis Ithamar, Da- 2
niel. De filiis Dauid Attus:

De filiis Sechenia, & de filiis Phoros, Zacharias, & 3
cum eo globus centum & quinquaginta:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Quemadmodum à conspectu regis, & septem consiliariorum eius missus es, vt inquiras in Iehudæam & Ieruselem, propter Legem Dei tui, quæ est in manu tua:

Et vt deferas argentum & aurum quod rex & consiliarij eius sponte obtulerunt Deo Israelis, cuius tabernaculum est in Ieruselem.

Et omne argentum & aurum quod inueneris in tota prouincia Babel, cum spontaneis populi, & Sacerdotibus qui sponte obtulerint domui Dei sui quæ est in Ieruselem

Vt celeriter emas argento hoc vitulos, arietes, agnos, & minham eorum, & libamina eorum, & offeras ea super altare domus Dei vestri quæ est in Ieruselem: ita facito.

Quod autem tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro facere, secundum voluntatem Dei vestri facite.

Porro vasa quæ tradita sunt tibi in ministerium domus Dei tui, redde coram Deo in Ieruselem.

Et cætera quæ fuerint necessaria pro domo Dei tui quæ conuenerit te dare, dabis è domo thesauro rum regis.

Et à me Arthahsaste positum est decretum omnibus thesaurariis qui sunt trans flumen, vt omnia quæ petierit à vobis Ezra Sacerdos & scriba Legis Dei cœli, cito fiat,

Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad tritici coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, & sal quod non scriptum est.

Quicquid fuerit ex decreto Dei cœli fiat festinanter domui Dei cœli, cuius vtquid futura est ira contra regnum regis & filiorum eius?

Vobis autem notum facimus quod omnibus Sacerdotibus, & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Nethineis, & ministris domus Dei huius, tributum, vectigal, & reditum annuum præfectus nullus imponet.

Tu autem Ezra secundum sapientiam Legis Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices, & causidicos qui iudicent vniuersum populum qui est trans Flumen, omnes qui norunt leges Dei tui: & eum qui non nouerit, docebitis.

Omnem autem qui non fecerit Legem Dei tui, & legem regis, celeriter iudicium fiat de eo, siue ad mortem, siue ad eradicationem eius, siue ad condemnationem substantiæ, & ad vinciendum.

Benedictus Iehouah Deus patrum nostrorum, qui dedit tale quidpiam in corde regis, vt glorificaret domum Iehouæ quæ est in Ieruselaim.

Et super me inclinauit misericordiam coram rege & consiliariis eius, & omnibus principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Iehouæ Dei mei super me, congregaui de Israele principes, vt ascenderent mecum.

CAP. VIII.

ISti autem sunt principes patrum eorum, & genealogia ipsorum qui ascenderunt mecum in regno Artahsasthe regis, de Babel. 1

De filiis Pinhas, Gersom: de filiis Ithamar, Daniel: de filiis Dauidis, Hattus. 2

De filiis Sechaniah, qui erat de filiis Paros, Zechariah, & cum eo genealogia masculorum, centum & quinquaginta. 3

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
De filiis Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri.	4	*De filiis Pachathmoab Eliehohenai filius Zechariah, & cum eo ducenti masculi.*
De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri.	5	*De filiis Sechenıah filius Iachaziel, et cum eo trecenti masculi.*
De filiis Adan, Abed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta viri.	6	*De filiis Hadin Hebed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta masculi.*
De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, & cum eo septuaginta viri.	7	*Et de filiis Helam, Iesahiah filius Hathaliah, et cum eo septuaginta masculi.*
De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, & cum eo octoginta viri.	8	*Et de filiis Sephatiah, Zebadiah filius Michael, et cum eo octoginta viri.*
De filiis Ioab, Obedia filius Iahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.	9	*De filiis Ioab, Hobadiah filius Iechiel, et cum eo ducenti & octo, & decem masculi.*
De filiis Selomith filius Iosphiæ, & cum eo centum sexaginta viri.	10	*Et de filiis Selomith filius Iosiphiah, et cum eo centum & sexaginta masculi.*
De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri	11	*Et de filiis Bebai, Zechariah filius Bebai, & cum eo viginti & octo masculi.*
De filiis Azgad, Iohanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.	12	*Et de filiis Hazghad, Iochanan filius Chathan, et cum eo centum, & decem masculi.*
De filiis Adonicam, qui erant nouissimi: & hæc nomina eorum: Eliphelelh, & Iehiel, & Samaias, & cum eis sexaginta viri.	13	*Et de filiis Adonicam nouissimis: & hæc nomina eorum: Elipheleth, Iehiel, & Semahiah, & cum eis sexaginta masculi.*
De filiis Begui, Vthai, & Zachur, & cum eis septuaginta viri.	14	*Et de filiis Bighuai, Nuthai, & Zabud, & cum eo septuaginta masculi.*
Congregaui autem eos ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua, & mansimus ibi tribus diebus: quæsiuique in populo, & in sacerdotibus de filiis Leui, & non inueni ibi.	15	*Et congregaui eos ad flumen quod venit ad Ahaua, & mansimus ibi diebus tribus: & considerani populum, et Sacerdotes, et de filiis Leui non inueni ibi.*
Itaque misi Eliezer, & Ariel, & Semeiam, & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Mosollam principes: & Ioiarib, & Elnathan sapientes.	16	*Et misi ad Elihezer, & ad Ariel, ad Semahaiah, & ad Elnathan, et ad Iarib, et ad Elnathan, et ad Nathan, et ad Zechariah, et Mesullam principes, et ad Ioiarib, et ad Elnathan, peritos.*
Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres eius Nathinæos in loco Chasphiæ, vt adducerent nobis ministros domus Dei nostri.	17	*Et præcepi eis, vt loquerentur ad Iddo caput in Chasiphiah loco, & posui in ore eorum verba, vt loquerentur ad Iddo fratres eius Nethinim in Chasphiah loco, vt adducerent nobis ministros pro domo Dei nostri.*
Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum, de filiis Moholi filii Leui filii Israel, & Sarabiam, & filios eius, & fratres eius decem & octo:	18	*Et adduxerunt nobis secundum manum Dei nostri bonam, super nos virum intelligentem de filiis Machali, filii Leui, filii Israel, et Serabiah, et filios eius et fratres eius, octo & decem:*
Et Hasabiam, & cum eo Isaiam, de filiis Merari, fratresque eius, & filios eius viginti:	19	*Et Chasabiah, et cum eo Iesabiah, de filiis Merari fratres eius, et filii eorum viginti:*
Et de Nathinæis, quos dederat Dauid, & principes ad ministeria Leuitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur.	20	*Et de Nethinim, quos posuit Dauid, et principes ad ministerium Leuitarum, Nethinim ducentos et viginti: omnes hi nominati sunt per nomina.*
Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filiis nostris, vniuersæque substantiæ nostræ.	21	*Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Achaua, vt affligeremur coram Deo nostro, vt quæreremus ab eo viam rectam.*
Erubui enim petere à rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum.	22	*Erubui enim petere à rege exercitum et equites, vt auxiliarentur nobis ab inimico in via: dixeramus enim ad regem, dicendo: Manus Dei nostri super omnes quærentes eum in bonitate, & fortitudo eius, et furor eius, super omnes derelinquentes eum.*
Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum per hoc: & euenit nobis prospere.	23	*Et ieiunauimus, et quæsiuimus à Deo nostro propter hoc: et placatus est nobis.*
Et separaui de principibus sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.	24	*Et separaui de principibus Sacerdotum duodecim, Serebiah, Chasabiah, et cum eis ex fratribus eorum decem.*
Appendique eis argentum, & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex, & consiliatores eius, & principes eius, vniuersusque Israel eorum, qui inuenti fuerant:	25	*Et appendi eis argentum, et aurum, et vasa oblationis domus Dei nostri, quæ obtulerunt rex, et consiliarii eius, et principes eius, et omnis Israel, qui reperti fuerant:*
Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum, auri centum talenta:	26	*Et appendi manibus eorum argenti talenta sexcenta, et quinquaginta, et vasa argentea centum talentorum, auri centum talenta.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
De filiis Phath Moab, Eliana filius Saraia, & cum eo ducenti masculi.	4	*De filiis Pahath-moab, Eliehoenai filius Zerahiah, & cum eo erant ducenti masculi.*
Et de filiis Zathoes, Sechenias filius Aziel, & cum eo trecenti masculi:	5	*De filiis Sechamah, filius Iahaziel, et cum eo trecenti masculi.*
Et de filiis Adin, Obeth filius Ionathan, & cum eo quinquaginta masculi:	6	*De filiis Adin, Ebed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta masculi.*
Et de filiis Elam, Isaias filius Athelia, & cum eo septuaginta masculi:	7	*De filiis autem Elam, Iesaiah filius Athaliah, et cum eo septuaginta masculi.*
Et de filiis Saphatia, Zabadias filius Michael, & cum eo octuaginta masculi:	8	*Et de filiis Sephatiah, Zebadiah filius Michael, et cum eo octoginta masculi.*
Et de filiis Ioab, Abadia filius Ieiel, & cum eo ducenti decem octo masculi:	9	*De filiis Ioab, Obadiah filius Iehiel, et cum eo ducenti & octodecim masculi.*
Et de filiis Baani, Selimuth filius Iosephia, & cum eo centum sexaginta masculi:	10	*Et de filiis Selomith, filius Iosaphiah, et cum eo centum & sexaginta masculi.*
Et de filiis Babi, Zacharias filius Babi, & cum eo viginti octo masculi:	11	*De filiis vero Bebai, Zechariah filius Bebai, & cum eo viginti & octo masculi.*
Et de filiis Asgad, Ioanan filius Accatan, & cum eo centum decem masculi:	12	*Et de filiis Azgad, Iohanan filius Haccathan, et cum eo centum & decem masculi.*
Et de filiis Adonicam nouissimi, & hæc nomina eorum, Eliphalat, Iehel, & Samaia, & cum eis sexaginta masculi:	13	*Et de filiis Adonicam nouissimis, quorum nomina hæc sunt, Eliphelet, Ieiel, & Semaaiah, & cum eis sexaginta masculi.*
Et de filiis Bague, Vthai, & Zabud, & cum eo septuaginta masculi:	14	*De filiis vero Biguai, Vthai, & Zabud, & cum eis septuaginta masculi.*
Et congregaui eos ad fluuium venientem ad Eui: & castrametati sumus ibi dies tres. Et considerani in populo, & in sacerdotibus: & de filiis Leui non inueni ibi.	15	*Congregaui autem eos ad fluuium qui venit in Ahaua, & mansimus ibi diebus tribus: posthæc considerani populum, et Sacerdotes, et de filiis Leui non inueni ibi.*
Et misi ad Eleazar, & ad Ariel, ad Semeia, & ad Alonam, & ad Iareb, & ad Elnatham, & ad Nathan, ad Zachariam, & ad Mesollam, & ad Ioarim, & ad Elnatan intelligentes.	16	*Misi itaque ad Eliezer, ad Ariel, ad Semaaiah, et ad Elnathan, et ad Iarib, et ad Elnathan, et ad Nathan, et ad Zachariah, et Mesullam, principes, et ad Ioiarib, et ad Elnathan, peritos.*
Et emisi eos ad principes in argento loci: & posui in ore eorum verba ad loquendum ad fratres suos de Athinim in argento loci, vt adducerent nobis cantores in domum Dei nostri.	17	*Et præcepi eis de Iddo duce in Chasiphiah loco, posuique in ore eorum verba quæ loquerentur ad Iddo, et fratrem eius Nethinim in Chasiphiah loco, vt adducerent nobis ministros pro domo Dei nostri.*
Et venerunt nobis, sicut manus Dei nostri bona super nos, vir Sachon de filiis Mooli filii Leui filii Israel. Et principio venerunt filii eius, & fratres eius decem octo,	18	*Adduxerunt ergo nobis iuxta manum Dei nostri bonam super nos, virum intelligentem de filiis Mahali filii Leui filii Israel, et Serebiah, et filios eius et fratres eius octodecim.*
Et Asebia, & Isaia, de filiis Merari, fratres eius, & filii eius viginti.	19	*Et Hasabiah, et cum eo Iesaiah de filiis Merari, fratres eius, et filios eorum viginti.*
Et de Nathinim, quos dedit Dauid, & principes in seruitutem Leuitarum, Nathinim ducenti viginti: omnes congregati sunt in nominibus.	20	*De Nethineis vero quos posuerat Dauid, et principes ad ministerium Leuitarum, Nethineos ducentos et viginti. omnes hi expositi fuerunt nominibus.*
Et vocaui ibi ieiunium super flumen Ahue, vt humiliaremur in conspectu Dei nostri, quærendo ab eo viam rectam nobis, & filiis nostris, & omni possessioni nostræ:	21	*Tunc indixi ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremus nos coram Deo nostro, vt quæreremus ab eo viam rectam nobis, et paruulis nostris ac vniuersæ substantiæ nostræ.*
Quoniam erubui petere à rege virtutem, & equites ad saluandum nos ab inimico in via: quoniam dixeramus regi dicentes: Manus Dei nostri super omnes quærentes ipsum in bonum: & fortitudo eius, & furor eius super omnes derelinquentes ipsum.	22	*Erubui enim petere à rege exercitum et equites, vt tuerentur nos ab inimico in via. dixeramus enim ad regem dicendo, Manus Dei nostri est super omnes requirentes eum in bonitate: fortitudo vero et furor eius super omnes qui derelinquunt eum.*
Et ieiunauimus, & quæsiuimus à Deo nostro de hoc: Et exaudiuit nos.	23	*Ieiunauimus itaque, et petiuimus à Deo nostro propter hoc, et placatus est nobis.*
Et distinxi de principibus sacerdotum duodecim, Saraia, Asabia, & cum eis de fratribus eorum decem:	24	*Separaui autem de principibus Sacerdotum duodecim, Serebiah, Hasabiah, et cum eis ex fratribus eorum decem.*
Et appendi eis argentum, & aurum, & vasa primitiarum domus Dei nostri, quæ exaltauit rex & consiliarij eius, & principes eius, & omnis Israel, qui inueniebantur.	25	*Et appendi eis argentum et aurum, et vasa illa, oblationem domus Dei nostri, quam obtulerant rex et consiliarii eius, et principes eius, et vniuersus Israel qui reperti fuerant.*
Et appendi super manus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum, & talenta auri centum:	26	*Appendi inquam in manibus eorum argenti talenta sexcenta, et quinquaginta, et vasa argentea centum talentorum, et auri centum talenta.*

Vulgat. Editio.

Et crateres aureos viginti, qui habebant ſolidos millenos,& vaſa æris fulgentis optimi duo,pulchra vt aurum.

Et dixi eis:Vos ſancti Domini, & vaſa ſancta, & argentum,& aurum,quod ſponte oblatum eſt Domino Deo patrum noſtrorum:

Vigilate, & cuſtodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum,& Leuitarum, & ducibus familiarum Iſrael in Ieruſalem, in theſaurum domus Domini.

Suſceperunt autem Sacerdotes,& Leuitæ pondus argenti,& auri,& vaſorum,vt deferrent Ieruſalem in domum Dei noſtri.

Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die menſis primi,vt pergeremus Ieruſalem : & manus Dei noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici,& inſidiatoris in via.

Et venimus Ieruſalem, & manſimus ibi tribus diebus.

Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Meremoth filii Vriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Iozabed filius Ioſue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ:

Iuxta numerum, & pondus omnium : deſcriptumque eſt omne pondus in tempore illo.

Sed & qui venerant de captiuitate filii tranſmigrationis, obtulerunt holocauſtomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni populo Iſrael, arietes nonaginta ſex,agnos ſeptuaginta ſeptem,hircos pro peccato,duodecim : omnia in holocauſtum Domino.

Dederunt autem edicta regis ſatrapis, qui erant de conſpectu regis,& ducibus trans flumen, & eleuauerunt populum,& domum Dei.

CAP. IX.

POſtquam autem hæc completa ſunt, acceſſerunt ad me principes,dicentes : Non eſt ſeparatus populus Iſrael, Sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum & abominationibus eorum Chananæi videlicet,& Hethæi,& Pherezæi, & Iebuſæi,& Ammonitarum,& Moabitarum,& Aegyptiorum, & Amorrhæorum:

Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi, & filiis ſuis,& commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum:manus etiam principum, & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.

Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei,& barbæ,& ſedi mœrens.

Conuenerunt autem ad me omnes,qui timebant verbum Dei Iſrael, pro tranſgreſſione eorum, qui de captiuitate venerant,& ego ſedebam triſtis vſq; ad ſacrificium veſpertinum:

Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea,& ſciſſo pallio, & tunica, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum:

Et dixi : Deus meus confundor,& erubeſco leuare faciem meam ad te : quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlum

A diebus patrum noſtrorum : ſed & nos ipſi peccauimus grauiter vſque ad diem hanc,& in iniquitatibus noſtris traditi ſumus ipſi,& reges noſtri, & Sacerdotes noſtri in manum regum terrarum,& in gladium, & in captiuitatem, & in rapinam,& in confuſionem vultus,ſicut & die hac.

Tranſl. ex Heb. Sanct.Pagn.

27 *Et crateras aureas viginti drachmarum mille,& vaſa ærea auri coloris duo, deſiderabilia, vt aurum.*

28 *Et dixi eis:Vos eſtis ſanctitas Domino,& vaſa ſanctitas, & argentum, & aurum ſpontaneum Domino Deo patrum noſtrorum:*

29 *Vigilate,& cuſtodite,donec appendatis coram principibus Sacerdotum,& Leuitarum, & principibus familiarum Iſrael in Ieruſalaim in cubiculis domus Domini.*

30 *Et ſuſceperunt Sacerdotes, & Leuitæ pondus argenti, & auri, & vaſorum, vt adducerent in Ieruſalaim ad domum Dei noſtri.*

31 *Et profecti ſumus à flumine Ahaua duodecima menſis primi,vt pergeremus Ieruſalaim:& manus Dei noſtri fuit ſuper nos,& eruit nos de manu inimici,& inſidiatoris in via.*

32 *Et venimus Ieruſalaim, & manſimus ibi diebus tribus.*

33 *Die autem quarta appenſum eſt argentum,& aurum, & vaſa in domo Dei noſtri per manum Meremoth, filii Vriiah Sacerdotis,& cum eo Elhazar filius Pinchas, & cum eis Ioſabad filius Ieſuah,& Nehadiah filius Binnui Leuitæ:*

34 *Iuxta numerum, iuxta omne pondus:& ſcriptum eſt omne pondus in tempore illo.*

35 *Venientes de captiuitate filii tranſmigrationis obtulerunt holocauſta Deo Iſrael,vitulos duodecim pro omni Iſrael, ariates nonaginta, & ſex, agnos ſeptuaginta, & ſeptem,hircos pro peccato duodecim : omnia in holocauſtum Domino.*

36 *Et dederunt leges regis ſatrapis regis,& ducibus, qui erant trans flumen,& exaltauerunt populum,& domum Dei.*

CAP. IX

1 *ET cum finita eſſent hæc, acceſſerunt ad me principes,dicendo:Non ſunt ſeparati populus Iſrael, & Sacerdotes,& Leuitæ,à populis terrarum in abominationibus eorum, Chenahanei, Chittæi, Perizæi, Iebuſæi, Hammonitæ,& Moabitæ,Miſritæ,& Emorræi:*

2 *Quia tulerunt de filiabus eorum ſibi,& filiis ſuis,& mixtum eſt ſemen ſanctum cum populis terrarum, & manus principum, & magiſtratuum fuit in prævaricatione iſta prima.*

3 *Et cum audiſſem verbum iſtud, ſcidi veſtimentum meum,& tunicam meam,& euulſi capillos capitis mei, & barbam meam, & ſedi ſtupens.*

4 *Et ad me congregabantur omnes pauidi in verbis Dei Iſrael pro prævaricatione tranſmigrationis, & ego ſedebam ſtupens vſque ad ſacrificium veſpertinum:*

5 *Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi de afflictione mea & cum ſcidiſſem veſtimentum meum,& tunicam meã, curuaui me ſuper genua mea, & expandi palmas meas ad Dominum Deum meum:*

6 *Et dixi:Deus mi pudore affectus ſum, & erubui eleuare Deus mi faciem meam ad te : quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cœlum.*

7 *A diebus patrum noſtrorum fuimus in delicto magno vſque ad diem hanc, & propter iniquitates noſtras traditi ſumus nos, reges noſtri, et Sacerdotes noſtri in manum regum terrarum, in gladium, in captiuitatem, et in rapinam, et in pudorem vultus, ſecundum diem hanc.*

Transl. ex Septuag.

Et chaphure aurei viginti ad viam mille, & vasa 27
æris fulgentis boni diuersa desiderabilia in auro.

Et dixi ad eos: Vos sancti Domino, & vasa sancta, 28
& argentum, & aurum spontanea Domino Deo patrum nostrorum.

Vigilate & custodite donec appendatis in conspectu principum sacerdotum, & Leuitarum, & principum patriarum in Hierusalem in tabernaculis domus Domini. 29

Et susceperunt sacerdotes, & Leuitæ pondus argenti & auri, & vasorum ad asserendum in Hierusalem in domum Dei nostri. 30

Et promouimus à fluuio Ahue in duodecima 31
mensis primi ad veniendum in Hierusalem. Et manus Dei nostri fuit super nos, & eruit nos à manu inimici, & hostis in via.

Et venimus in Hierusalem, & sedimus ibi dies 32
tres.

Et factum est, die quarta appendimus argentum, 33
& aurum, & vasa in domo Dei nostri super manum Merimoth filij Vria sacerdotis: & cum eo Eleazar filius Phinees: & cum eo Iozaba filius Iesu, & Noadia filius Banaia Leuitæ:

In numero & in pondere omnia: & scriptum est 34
vniuersum pondus.

In tempore illo, qui venerant ex captiuitate, filij 35
transmigrationis, obtulerunt holocaustoses Deo Israel, vitulos duodecim pro omni Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim, omnia holocaustomata Domino.

Et dederunt decretum regis procuratoribus regis, 36
& subregulis trans flumen. Et exaltauerunt populum, & domum Dei.

CAP. IX.

ET postquam completa sunt hæc; accesserunt ad 1
me principes, dicentes: Non est separatus populus Israel, & sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum in elongationibus eorum de stirpe Chanani, Ethi, Pherezi, Iebusi, Ammoni, Moabi, & Moseri, & Amoni:

Quoniam acceperunt de filiabus eorum sibi, & 2
filiis suis: & transmissum est semen sanctum in populos terrarum, & manus principum in prævaricatione hac in principio.

Et vt audiui verbum hoc; conscidi vestimenta 3
mea, & pallebam, & euellebam de capillis capitis mei, & de barba mea, & sedebam tacens.

Et conuenerunt ad me omnis sequens verbum 4
Dei Israel super prævaricatione transmigrationis. Et ego sedens, tacens vsque ad sacrificium vespertinum.

Et in sacrificio vespertino surrexi ab humiliatione mea. Et cum scindebam vestimenta mea, & pallebam, & inclino super genua mea, & expando manus meas ad Dominum Deum, 5

Et dixi: Domine confusus sum & erubui eleuare 6
Dee mi faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra magnificata sunt vsque in cœlum.

A diebus patrum nostrorum sumus in delicto 7
magno vsque in diem hanc. Et in nostris iniquitatibus traditi sumus nos, & reges nostri, & filij nostri in manu regum gentium in gladio, & in captiuitate, & in direptione, & in confusione faciei nostræ, sicut dies hæc.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Et crateres aureos viginti, drachmarum mille: & vasa ærea aurei coloris boni duo, desiderabilia, vt aurum.

Postea dixi eis: Vos estis sanctitas Iehoue, & vasa sanctitas: & argentum illud & aurum est oblatio sponte facta Iehoue Deo patrum vestrorum.

Vigilate, & custodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & principibus familiarum Israelis in Ierusalaim in cubiculis domus Iehoue.

Susceperunt ergo Sacerdotes illi & Leuitæ pondus argenti, & auri & vasorum, vt adducerent in Ierusalaim ad domum Dei nostri.

Profecti autem sumus à flumine Ahaua duodecima die mensis primi, vt iremus in Ierusalaim: & manus Dei nostri fuit super nos, eruitq; nos de manu inimici, & insidiatoris in via.

Tandem peruenimus Ierusalaim, & mansimus ibi tribus diebus.

Die autem quarta appensum est argentum & aurum, & vasa illa in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Vriah Sacerdotis, & cum eo erat Elazar filius Pinhas: cum illis vero erat Iozabad filius Iesua, & Noadiah filius Binnui Leuitæ.

In numero & pondere per omnia: & descriptum est vniuersum illud pondus tempore illo.

Porro qui venerant de captiuitate, filii transmigrationis obtulerunt holocausta Deo Israelis, vitulos duodecim pro toto Israele, arietes nonagintasex, agnos septuagintaseptem, hircos sacrificij pro peccato duodecim, omnia in holocaustum Iehoue.

Et tradiderunt leges regis satrapis eius, & ducibus qui erant trans flumen, & exaltauerunt populum, & domum Dei.

CAP. IX

QVumque perfecissent hæc, accesserunt ad me principes, dicendo: Non separauit sese populus Israelis, & Sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum: in abominationibus illorum, Chenaanæorum, Hittæorum, Perizæorum, Iebusæorum, Ammonitarum, & Moabitarum, Misritarum, & Emoræorum, sunt abominationes eorum:

Quia tulerunt de filiabus eorum sibi, & filiis suis: mistumq; est semen sanctum cum populis terrarum: & manus principum, & magistratuum fuit in prævaricatione ista prima.

Quod verbum quum audissem, scidi vestimentum meum, & tunicam meam, & euulsi capillos capitis mei, & barbam meam, ac sedi stupens.

Congregatiq; sunt ad me omnes pauidi in verbis Dei Israelis ob prævaricationem illorum transmigrationis: ego autem sedebam stupens vsque ad sacrificium vespertinum.

At in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea: quumq; scidissem vestimentum meum, & tunicam meã, curuaui me super genua mea, atque expandi palmas meas ad Iehouam Deum meum:

Ac dixi, Deus mi, pudet me & erubesco attollere Deus mi faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum.

A diebus patrum nostrorum fuimus in delicto magno vsque ad diem hanc, ac propter iniquitates nostras traditi sumus nos, reges nostri, & Sacerdotes nostri in manum regum terrarum, in gladium, in captiuitatem, & in rapinam, & in pudorem vultus, secundum diem hanc.

Vulgat. Editio.

Et nunc quasi parum, & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra:

Quia serui sumus, & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinauit super nos misericordiam coram rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda, & Ierusalem.

Et nunc quid dicemus Deus noster post hæc? quia dereliquimus mandata tua:

Quæ præcepisti in manu seruorum tuorum prophetarum, dicens: * Terra, ad quam vos ingredimini, vt possideatis eam terra immunda est iuxta immunditiam populorum, cæterarumque terrarum, abominationibus eorum, qui repleuerunt eam ab ore vsque ad os in coinquinatione sua.

* Deu. 7.3.

Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum vsque in æternum: vt confortemini, & comedatis, quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum.

Et post omnia, quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem, sicut est hodie:

Vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis vsque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?

Domine Deus Israel iustus es tu: quoniam derelicti sumus, qui saluaremur, sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro. Non enim stari potest coram te super hoc.

CAP. X.

SIc ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu multo.

Et respondit Sechenias filius Iehiel de filiis Aelam, & dixit Esdræ: Nos præuaricati sumus in Deum nostrum & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc:

Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt proiiciamus vniuersas vxores, & eos qui de his nati sunt iuxta voluntatem Domini, & eorum, qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat.

Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, & fac.

Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel vt facerent secundum verbum hoc, & iurauerunt.

Et surrexit Esdras, ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Iohanan filij Eliasib, & ingressus est illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captiuitate.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

8 *Et nunc modico momento, fuit deprecatio a Domino Deo nostro, vt derelinqueret nobis euasorem, & daret nobis clauum in loco sanctitatis eius, vt illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra:*

9 *Quia serui sumus, & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster, & inclinauit super nos misericordiam coram rege Parsa, vt daret nobis vitam, vt exaltaret domum Dei nostri, & stare faceret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iehudah, & in Ieruſalaim.*

10 *Et nunc quid dicemus Deus noster post hoc? quia dereliquimus præcepta tua:*

11 *Quæ præcepisti per manum seruorum tuorum prophetarum, dicendo: Terra ad quam ingredimini, vt possideatis eam, terra immunda est iuxta immunditiam populorum terrarum, secundum abominationes quibus repleuerunt eam ab ore ad os immunditia sua.*

12 *Et nunc filias vestras ne detis filijs eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & ne queratis pacem eorum, & bonum eorum vsque in sæculum, vt confortemini, & comedatis bonum terræ, & hæreditate accipere faciatis filios vestros vsque in sæculum.*

13 *Et post omne, quod venit super nos propter opera nostra mala, & propter delictum nostrum magnum, quia tu Deus noster prohibuisti ne essemus deorsum propter iniquitates nostras, & dedisti nobis euasionem secundum hoc:*

14 *Numquid conuertemur ad dissipandum præcepta tua, & ad affinitatem contrahendam cum populis abominationum istarum? Numquid non irasceris in nos vsque ad consumptionem, vt non sit residuum, & euasio?*

15 *Domine Deus Israel iustus es tu: quoniam residui sumus euasio secundum diem hanc. Ecce sumus coram te in delictis nostris. Non enim est stare coram te propter hoc.*

CAP. X.

1 *ET cum orasset Hezra, & prostratus esset flens, & cecidisset coram domo Dei, congregati sunt ad eum de Israel cœtus grandis valde virorum, & mulierum, & parunlorum, & cum fleuisset populus multo fletu.*

2 *Respondit Secheniah filius Iechiel, de filiis Helam, & dixit ad Hezra: Nos præuaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: et nunc est spes Israeli super hoc.*

3 *Et nunc percutiamus fœdus cum Deo nostro, vt educamus omnes vxores, & natos ex eis secundum consilium Domini, & pauentium præceptum Dei nostri: & secundum legem fiat.*

4 *Surge, quia ad te pertinet res, & nos erimus tecum: confortare, & fac.*

5 *Et surrexit Hezra, & adiurauit principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc, & iurauerunt.*

6 *Et surrexit Hezra à facie domus Dei, & abiit ad cubiculum Iehochanan filij Eliasib, & abiit illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim super præuaricatione transmigrationis.*

Transl. ex Septuag.

Et nunc manſuefactus eſt nobis Deus noſter ad dimittendum nos in ſalutem, & dandum nobis firmamentum in loco ſanctificationis ſuæ, ad illuminandos oculos noſtros, & dandum viuificationem paruam in ſeruitute noſtra: 8

Quoniam ſerui ſumus: & in ſeruitute noſtra non dereliquit nos Dominus Deus noſter: Et inclinauit ſuper nos miſericordiam coram regibus Perſarum ad dandam nobis viuificationem, exaltando eos domum Dei noſtri, & ſuſcitando ſolitudines eius, & dando nobis ſepem in Iuda, & Hieruſalem: 9

Quid dicemus Deus noſter poſt hoc? quoniam dereliquimus mandata tua, 10

Quæ dediſti nobis in manu ſeruorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, in quam introitis ad hæreditandam eam, terra peruerſa eſt in peruerſione populorum gentium in elongationibus eorum, quibus impleuerunt eam ab ore ad os in ſuis immunditiis. 11

Et nunc filias veſtras ne dederitis filiis eorum, & de filiabus eorum ne accipiatis filiis veſtris: & non quæretis pacem eorum, & bonum eorum vſque in ſæculum; vt inualeſcatis, & comedatis bona terræ, & in hæreditatem diſtribuatis filiis veſtris vſque in ſæculum. 12

Et poſt omne, quod venit ſuper nos in factis noſtris malignis, & in delicto noſtro magno, quoniam non eſt ſicut Deus noſter, quoniam alleuaſti noſtras iniquitates, & dediſti nobis ſalutem; 13

Quoniam reuertimus diſſipare mandata tua, & cõtrahere affinitatem cum populis terrarum; nunquid irritatus es in nos vſque ad conſummationem, vt non ſit reſiduum, & ſuperſtes? 14

Domine Deus Iſrael iuſtus tu, quoniam remanſimus incolumes, ſicut dies hæc. Ecce nos coram te in delictis noſtris: quoniam non eſt ſtare in conſpectu tuo ſuper hoc. 15

CAP. X.

ET, vt deprecatus eſt Eſdras, & vt confeſſus eſt plorans & orans coram domo Dei; congregati ſunt ad eum de Iſrael eccleſia multa valde, viri, & mulieres, & iuuenes: quoniam plorauerunt populus, & eleuauit plorans. 1

Et reſpondit Sechenias filius Iehel de filiis Elam, & dixit Eſdræ: Nos præuaricati ſumus Deo noſtro, & habitare fecimus vxores alienas de populis terræ. Et nunc eſt expectatio ipſi Iſrael ſuper hoc. 2

Et nunc diſponamus teſtamentum Deo noſtro, eiiciendi omnes vxores, & genita ex eis: prout voluerit. Surge, & fac eos timere in mandatis Dei noſtri: & ſicut lex; fiat. 3

Surge: quoniam ſuper te verbum, & nos tecum: confortare, & fac. 4

Et ſurrexit Eſdras, & adiurauit principes, ſacerdotes, & Leuitas, & omnem Iſrael faciendi iuxta verbum hoc. Et iurarunt. 5

Et ſurrexit Eſdras à facie domus Dei: & iuit in gazophylacium Ioanan filij Eliſub: & iuit illuc: panem non manducauit, & aquam non bibit: quoniam lugebat ſuper præuaricatione tranſmigrationis. 6

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Nunc autem modico momento fuit miſericordia à Iehoua Deo noſtro, ita vt relinqueret nobis homines euaſionis, & daret nobis clauum in loco ſancto ſuo, vt illuminaret oculos noſtros Deus noſter, & daret nobis vitam modicam in ſeruitute noſtra: 8

Quia ſerui eramus, & in ſeruitute noſtra non dereliquit nos Deus noſter, ſed inclinauit ſuper nos miſericordiam coram rege Paras, vt daret nobis vitam, vt exaltaret domum Dei noſtri, & inſtauraret ſolitudines eius, & daret nobis ſepem in Iehudah & in Ieruſalaim. 9

Nunc ergo quid dicemus ô Deus noſter, poſt hæc? nam dereliquimus præcepta tua, 10

Quæ præcepiſti per manum ſeruorum tuorum Prophetarum, dicendo, Terra ad quam ingredimini vt poſſideatis eam, terra immunda eſt ob immunditiam populorum terrarum, propter abominationes quibus repleuerunt eam ab ore ad os immunditia ſua. 11

Idcirco nunc filias veſtras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis veſtris, neque quæratis pacem eorum & bonum eorum vſque in ſæculum: vt confortemini, & comedatis bonum terræ, & iure hæreditario eam poſſidendam tradatis filiis veſtris vſque in ſæculum. 12

Poſt omnia vero quæ euenerunt nobis propter opera noſtra mala, & propter delictum noſtrum magnum (quum tu Deus noſter prohibueris ne eſſemus deorſum propter iniquitates noſtras, & dederis nobis euaſionem talem.) 13

Nunquid reuertemur ad diſſipandum præcepta tua, & ad affinitatem contrahendam cum populis abominationum iſtarum? nunquid non iraſceris contra nos vſque ad conſumptionem, ita vt non ſit reſiduum & euaſio? 14

Iehouah Deus Iſraelis, tu es iuſtus, quoniam reſidui ſumus filij euaſionis ſecundum diem hanc: en adſumus nos coram te in delictis noſtris: neque enim licet nobis conſiſtere coram te propter hoc. 15

CAP. X.

QVum autem oraret Ezra, & confiteretur flens, & deprimeret ſe coram domo Dei, congregauerunt ſe ad eum de Iſraele cœtus multus valde virorum & mulierum & paruulorum: quumque fleuiſſet populus multo fletu, 1

Tunc loquutus eſt Sechaniah filius Iehiel, de filiis Elam, & dixit ad Ezra, Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, quod duximus mulieres alienigenas de populis terræ: at nunc ſpes eſt Iſraeli ſuper hoc. 2

Nunc ergo percutiamus fœdus cum Deo noſtro, quod eiciemus omnes mulieres, & natos ex eis, ſecundum conſilium Domini, & virorum timentium præceptum Dei noſtri: & ſecundum Legem fiat. 3

Surge, quia ad te pertinet res, & nos erimus tecum: confortare, & fac. 4

Surrexit itaque Ezra, & adiurauit principes Sacerdotum, ac Leuitarum, vniuerſumque Iſrael m, vt facerent ſecundum verbum hoc: & iurauerunt. 5

Surrexit inquam Ezra à facie domus Dei, & abiit in cubiculum Iehohanan filij Eliaſib: abiit inquam illuc, & panem non comedit, nec aquam libit: lugebat enim ob præuaricationem filiorum tranſmigrationis. 6

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et missa est vox in Iuda, & in Ierusalem omnibus filiis transmigrationis, vt congregarentur in Ierusalem:	7	*Et tranire fecerunt vocem per Iehudah, & Ierusalaim omnibus filiis transmigrationis, vt congregarentur in Ierusalaim:*
Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum, & seniorum, auferetur vniuersa substantia eius, & ipse abijcietur de cœtu transmigrationis.	8	*Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum, & seniorum, peribit omnis substantia eius, & ipse separabitur à cœtu transmigrationis.*
Conuenerunt igitur omnes viri Iuda, & Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: & sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, & pluuijs.	9	*Et congregati sunt omnes viri Iehudah, & Biniamin in Ierusalaim intra triduum, ipse est mensis nonus, in vigesima mensis: & sederunt omnis populus in platea domus trementes propter rem, & propter pluuias.*
Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israel.	10	*Et surrexit Hezra sacerdos, & dixit ad eos: Vos praeuaricati estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis delicto Israel.*
Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.	11	*Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite voluntatem eius, & separamini à populis terra & ab vxoribus alienigenis.*
Et respondit vniuersa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat.	12	*Et responderunt omnis cœtus, & dixerunt voce magna: Sic secundum verbum tuum nobis est faciendum.*
Veruntamen quia populus multus est, & tempus pluuiæ, & non sustinemus stare foris: & opus non est diei vnius, vel duorum (vehementer quippe peccauimus in sermone isto)	13	*Sed populus multus, & tempus pluuiarum est, & non est vis ad standum foris: & opus non est diei vnius, neque duorum, quia multi sumus qui praeuaricati sumus in hoc.*
Constituantur principes in vniuersa multitudine & omnes in ciuitatibus nostris, qui duxerunt vxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, & cum his seniores per ciuitatem, & ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei nostri à nobis super peccato hoc.	14	*Stent obsecro principes nostri in vniuerso cœtu, & omnis in vrbibus nostris, qui duxerit vxores alienigenas, veniat temporibus statutis, & cum eis sint seniores singularum ciuitatum, & iudices eius donec auertatur ira furoris Deus noster à nobis propter hoc.*
Igitur Ionathan filius Azahel, & Iaasia filius Thecue steterunt super hoc: & Mesollam, & Sebethai Leuites adiuuerunt eos:	15	*Verum amen Ionathan filius Hasael, & Iachaziah filius Iechuah constituti fuerunt super hoc, & Mesullam, & Sabbethai Leuites adiuuerunt eos:*
Feceruntque sic filij transmigrationis. Et abierunt Esdras Sacerdos, & viri principes familiarum in domos patrum suorum, & omnes per nomina sua, & sederunt in die primo mensis decimi, vt quærerent rem.	16	*Et fecerunt sic filij transmigrationis, & separati sunt Hezra, viri principes familiarum per domum patrum suorum, & vniuersi ipsi per nomina, & sederunt in die vna mensis decimi, vt quærerent rem.*
Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant vxores alienigenas, vsque ad diem primam mensis primi.	17	*Et perfecerunt opus in omnibus viris qui duxerunt vxores alienigenas, vsque ad diem primum mensis primi.*
Et inuenti sunt de filiis sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filiis Iosue filij Iosedec, & fratres eius, Maasia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia:	18	*Et inuenti sunt de filiis Sacerdotum, qui duxerunt vxores alienigenas. De filiis Iesuah ly Iosadach, & fratrum eius, Mahaseiah, & Elhezer, & Iarib, & Ghedaliah*
Et dederunt manus suas, vt ejicerent vxores suas, & pro delicto suo arietem de ouibus offerrent.	19	*Et dederunt manum suam vt educerent vxores suas, & deliquentes* venerunt cum *ariete pecorum pro delicto suo.*
Et de filiis Emmer, Hanani, & Zebedia.	20	*Et de filijs Immer, Chanani, & Zebadiah.*
Et de filiis Harim, Maasia, & Elia, & Semeia, & Iehiel, & Ozias:	21	*Et de filijs Harim, Mahaseiah, & Elijah, & Semahaiah, & Iechiel, & Huzziah.*
Et de filiis Pheshur, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Iozabed, & Elasa.	22	*Et de filiis Paschur, Eliohenai, Mahaseiah, Ismahel, & Nethanel, Iozahad, & Elhasah.*
Et de filiis Leuitarum, Iozabed, & Semei, & Celaia, ipse est Calita, Phataia, Iuda, & Eliezer.	23	*Et de Leuitis Iozabad, & Simhi, & Chelaiah ipse est Chelithah Pethachiah, Iehudah, & Elhezer.*
Et de cantoribus Eliasib. Et de ianitoribus, Sellum, & Telem, & Vri.	24	*Et de cantoribus Eliasib, & de ianitoribus, Sallum, & Thelem, & Vri.*
Et ex Israel, de filiis Pharos, Remeia, & Iezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer, & Melchia, & Banea:	25	*Et de Israel: de filiis Parhos, Ramiah, & Heziiah, & Malchiiah, Miiamin, & Elhazar, & Malchiiah, & Chenaiah.*
Et de filiis Aelam, Mathania, Zacharias, & Iehiel, & Abdi, & Ierimoth, & Elia.	26	*Et de filiis Helam, Matthaniah, Zechariah, & Iechiel, & Habdi, & Ieremoth, & Eliiah.*
Et de filiis Zethua, Elioenai, Elasib, Mathania, & Ierimuth, & Zabad, & Aziza:	27	*Et de filiis Zathu, Eliohenai, Eliasib, Mathaniah, & Ieremoth, & Zalad, & Haziza.*
Et de filiis Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai.	28	*Et de filiis Bebai, Iehochanan, Chananiah, Zabbai, & Hathlai.*
Et de filiis Bani, Mosollam, & Melluch, & Adaia, Iasub, & Saal, & Ramoth:	29	*Et de filiis Bani, Mersullam, Maluch, & Hadaiah, Iasub, & Seal, Ieramoth.*

Transl. ex Septuag.

Et transmiserunt vocem in Iuda, & in Hierusalem omnibus filiis transmigrationis, & congregentur in Hierusalem.

Omnis qui non venerit ad tres dies, sicut consilium principum, & seniorum; anathemabitur omnis substantia eius, & ipse separabitur ab ecclesia transmigrationis.

Et conuenerunt omnes viri Iuda, & Beniamin in Hierusalem ad tres dies. Hic est mensis nonus. In vigesima mensis sedit omnis populus in platæa domus Dei præ turbatione sua de verbo, & ab hyeme:

Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos præuaricati estis, & habitare fecistis vxores alienas ad apponendum super delictum Israel.

Et nunc date laudem Domino Deo patrum nostrorum, & facite, quod placitum in conspectu eius, & separamini à populis terræ, & ab vxorib. alienis.

Et responderunt omnis ecclesia, & dixerunt: Magnum hoc verbum tuum super nos ad faciendum.

Sed populus multus, & tempus hybernum, & non est facultas standi foris: & opus non in die vno, neque in duobus; quoniam multiplicauimus iniustè agere in verbo hoc.

Stent nunc principes nostri, & ex omnibus, qui in ciuitatibus nostris, qui habitare fecit vxores alienas, veniant ad tempora ex constitutionibus, & cum eis seniores ciuitatis, & ciuitatis, & iudices, ad auertendam iram furoris Dei nostri à nobis de verbo hoc.

Verum Ionathan filius Asael, & Iazias filius Thecoe mecum de hoc: & Mesollam, & Sabbathai Leuita adiuuans eos.

Et fecerunt sic filij transmigrationis. Et seceſſerunt Esdras sacerdos, & viri principes patriarum domui, & omnes in nominibus: quia reuerterunt in die vna mensis decimi ad exquirendum verbum.

Et compleuerunt in omnibus viris, qui habitare fecerant vxores alienas vsque ad diem vnam mensis primi.

Et inuenti sunt de filiis sacerdotum, qui habitare fecerant vxores alienas, de filiis Iesu filii Iosedec, & fratres eius, Maasia, & Eliezer, & Iarib, & Gadalia:

Et dederunt manum suam ad emittendas vxores suas, & delicti arietem ex ouibus pro delicto suo:

Et de filiis Emmer, Anani, & Zabdia:

Et de filiis Eram, Masael, & Elia, & Samaia, & Iehel, & Ozia:

Et de filiis Phasur, Elionai, Maasia, & Ismael, & Mathanael, & Iozabad, & Elasa.

Et de filiis Leuitarum Iozabad, & Samu, & Colia (ipse Colita) & Phetheia, & Iudas, & Eliezer.

Et de cantoribus Eliſab. Et de ianitoribus, Solmen, & Telmen, & Oduth.

Et de Israel, de filiis Phoros, Ramia, & Azia, & Melchia, & Meamin, & Eleazar, & Asabia, & Banæa:

Et de filiis Helam, Matthania, & Zacharia, & Iaiel, & Abdia, & Iarimoth, & Elia:

Et de filiis Zathua, Elionai, Eliſub, Matthanai, & Armoth, & Zabad, & Oziza:

Et de filiis Babei, Ioanan, Anania, & Zabu, & Thali:

Et de filiis Banui, Mosollam, Maluch, Adaias, Iasub, & Saluia, & Rhemoth:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

7 *Et voce præconis significarunt in Iehudah & Ierusalaim omnibus filiis transmigrationis, vt congregarentur in Ierusalaim.*

8 *Quicumque vero non veniret intra triduum, iuxta consilium Principum & Seniorum, periret vniuersa substantia eius, ipseque separaretur à cœtu transmigrationis.*

9 *Congregati sunt itaque omnes viri Iehudah & Biniamin in Ierusalaim intra triduum illud, viceſima die mensis (ipse erat mensis nonus) sederuntq; vniuersus populus in platea domus Dei, trementes propter rem illam, & propter pluuias.*

10 *Surrexit itaque Ezra Sacerdos, & dixit ad eos, Vos præuaricati estis, quod duxistis mulieres alienigenas, vt adderetis delicto Israelis.*

11 *Quapropter nunc date confessionem Iehoua Deo patrum vestrorum, & facite voluntatem eius, & separamini à populis terræ & ab vxoribus alienigenis.*

12 *Et responderunt totus cœtus, ac dixerunt voce magna, Sic secundum verbum tuum nobis est faciendum.*

13 *At populus multus est, & tempus pluuiarum est, neque est vis ad standum foris: ad hæc opus non est diei vnius, neque duorum: quia multi sumus qui præuaricati sumus in hoc.*

14 *Stēt obsecro principes nostri in vniuerso cœtu, & quicūq; in vrbib. nostris fuerit qui duxerit vxores alienigenas, veniat tēporib. statutis, & cū eis sint seniores singularū vrbium, & Iudices earum, donec auertamus iram furoris Dei nostri à nobis propter hoc.*

15 *Verum amen Ionathan filius Asahel, & Iahaziah filius Thicuah constituti fuerunt super hoc, & Mesullam, & Sabethai Leuites adiuuerunt eos.*

16 *Et fecerunt ita filij transmigrationis, & separati sunt, Ezra sacerdos, & viri principes familiarum per domū patrum suorum, & vniuersi ipsi per nomina: sederunt itaque die prima mensis decimi, vt quærerent rem.*

17 *Perfeceruntq; negotiū ipsum in omnibus viris qui duxerant vxores alienigenas, vsque ad diem primam mensis primi.*

18 *Et inuenti sunt de filiis Sacerdotum qui duxerant vxores alienigenas: de filiis Iesua filij Iosadac, & fratrum eius, Maaseiah, & Eliezer, & Iarib, & Gedaliah.*

19 *Et dederunt manum suam vt educerent vxores suas: & qui deliquerant, venerunt cum ariete pecorum pro delicto suo.*

20 *Et de filijs Immer, Hanani, & Zebad-iah.*

21 *Et de filijs Harim, Maaseiah, & Elijah, & Semaaiah, & Iehiel, & Vzziyah.*

22 *Et de filiis Pashur, Elioenai, Maaseiah, Ismael, & Nethanel, Iozabad, & Elasah.*

23 *Et de Leuitis, Iozabad, & Simi, & Celaiah (ipse est Celitah) Pethahiah, Iehudah, & Eliezer.*

24 *De cantoribus vero Eliasib: & de ianitoribus, Sallum, & Telem, & Vri.*

25 *Et de Israele: de filiis Paros, Ramiah, & Ieziiah, & Malchiiah, & Miiamin, & Elazar, & Malchiiah, & Benaiah.*

26 *De filiis autem Elam, Mattaniah, Zechariah, & Iehiel, & Abdi, & Ieremoth, & Eliiah.*

27 *Et de filiis Zathu, Elioenai, Eliasib, Mathaniah, & Ieremoth, & Zabad, & Aziza.*

28 *De filiis præterea Bebai, Ichohanan, Hananiah, Zabbai, & Athlai.*

29 *De filiis autem Bani, Mesullam, Malluch, & Adaiah, Iasub, & Seal, Ieramoth.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et de filiis Phahath, Moab, Edna, & Chalal, Banaias, & Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, & Manasse.	30	*Et de filiis Pachath, Moab, Hadna, & Chelal, Benaiah, Mahaseiah, Matthaniah, Besalel, & Binnui, & Menasseh.*
Et de filiis Herem, Eliezer, Iosue Melchias, Semeias, Simeon:	31	*Et de filiis Harim, Eliezer, Isiah, Malchiiah, Semahiah, Simhon:*
Beniamin, Maloch, Samarias.	32	*Biniamin, Maluch, Semariah.*
Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manasse, Semei.	33	*De filiis Chasum, Matthenai, Matthathah, Zabad, Eliphelet, Ieremai, Menasseh, Simhi.*
De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel:	34	*De filiis Bani, Mahadai, Hamram, & Vel:*
Baneas, & Badaias, Cheliau:	35	*Benaiah, Bediah, Cheluhu:*
Vania, Marimuth, & Eliasib:	36	*Vaniah, Meremoth, Eliasib:*
Mathanias, Mathanai, & Iasi:	37	*Matthaniah, Mattihenai, & Iahasai:*
Et Bani, & Bennui, Semei:	38	*Et Bani, & Bimui, Simhi:*
Et Salmias, & Nathan, & Adaias:	39	*Et Selemiah, & Nathan, & Hadaiah:*
Et Mechnedebai, Sisai, Sarai:	40	*Machnadebai, Sasai, Sarai:*
Ezrel, & Selemiau, Semeria:	41	*Hazarel, & Selemiahu, Semariah:*
Sellum, Amaria, Ioseph.	42	*Sallum, Amariah, Ioseph.*
De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias, Zadab, Zabina, Ieddu, & Ioel, & Banaia.	43	*De filiis Nebo, Iehiel, Mathithiah, Zabad, Zebinah, Iadau, & Ioel, Benaiah.*
Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.	44	*Omnes hi acceperunt vxores alienigenas, & erant ex eis mulieres, & pepuerunt filios.*

FINIS LIBRI PRIMI ESDRAE.

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Et de filiis Phaathmoab, Edne, & Chalel, & Banæa, Maasia, Matthania, Beseleel, & Banui, & Manasse:	30	*Et de filiis Pahath-moab, Adna & Chelal, Benaiah, Maaseiah, Matthaniah, Besalel, & Binnui, & Menasseh.*
Et de filiis Eram, Eliezer, Iesia, Melchia, Samaias, Semeon,	31	*De filiis vero Harim, Eliezer, Isiiah, Malchiah, Semaiah, Simon,*
Beniamin, Baluch, Samaria;	32	*Biniamin, Malluch, Semariah.*
Et de filiis Asem, Metthania, Matthatha, Zadab,	33	*De filiis Hasum, Matthenai, Matthatthah, Zabad,*
Eliphalet, Hierami, Manasse, Semei.		*Eliphelet, Ieremai, Menasseh, Simi.*
Et de filiis Bani, Moodia, Amram, Vhel,	34	*De filiis Bani, Maadai, Amram, & Vel.*
Banæa, Badaia, Chelcia,	35	*Benaiah, Bediah, Cheluhu,*
Vuania, Merimoth, Eliaiiph:	36	*Vaniah, Meremoth, Eliasib,*
Matthania, Matthanai.	37	*Matthaniah, Matthenai, & Iaasau,*
Et fecerunt filij Banui, & filij Semei,	38	*Et Bani, & Binnui, Simi,*
Et Selemia, & Nathan, & Adaia,	39	*Et Selemiah, & Nathan, & Adaiah,*
Machadnabu, Sesei, Sariu,	40	*Machnadbai, Sasai, Sarai,*
Ezriel, & Selemia, & Samaria,	41	*Azarel, & Selemiahu, Semariah,*
Et Sellum, Amaria, Ioseph.	42	*Sallum, Amariah, Ioseph.*
De filiis Nabu, Iael, Matthanias, Zabad, Zebenias, Zadai, & Ioel, & Banæa.	43	*De filiis Nebo, Ieiel, Matthithiah, Zabad, Zebina, Iadau, & Ioel, Benaiah.*
Omnes hi acceperant vxores alienas, & genuerant ex eis filios.	44	*Omnes hi acceperant vxores alienigenas: quibusdam autem ex eis erant mulieres, quæ posuerant filios.*

FINIS LIBRI PRIMI ESDRAE.



LIBRI NEHEMIAE, QVI ET ESDRÆ SECVNDVS DICITVR.

Vulgat. Editio.

CAPVT PRIMVM.

VErba Nehemiæ filij Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vicesimo, & ego eram in Susis castro.

Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda: & interrogaui eos de Iudæis, qui remanserant, & supererant de captiuitate, & Ierusalem.

Et dixerunt mihi: Qui remanserunt, & relicti sunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.

Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi diebus multis: ieiunabam, & orabam, ante faciem Dei cœli.

* Dan. 9.4. Et dixi: * Quæso Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum, & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua:

Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie nocte, & die pro filiis Israel seruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccauerunt tibi: ego, & domus patris mei peccauimus:

Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

Memento verbi, quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos:

Et si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea: etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi.

Et ipsi serui tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

LIBRI NECHEMIAH, QVI ET HEZRÆ SECVNDVS DICITVR.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAPVT PRIMVM.

1 *VErba Nechemiah filij Chachaliah. Et fuit, in mense Chisleu anno vicesimo eram in Susan castro.*

2 *Et venit Chanani vnus è fratribus meis, & viri de Iehudah: & interrogaui eos de Iehudæorum euasione, qui remanserant ex captiuitate, & de Ierusalaim.*

3 *Et dixerunt mihi: Residui qui remanserunt de captiuitate ibi in prouincia sunt in malo magno, & opprobrio: & murus Ierusaluim dirutus est, & portæ eius combustæ sunt igni.*

4 *Et fuit, cum audissem verba hæc sedi, & fleui, & luxi per dies: & ieiunaui, & oraui coram Deo cœli.*

5 *Et dixi: Quæso Domine Deus cœli, fortis, magne, & terribilis custodiens pactum, & misericordiam dilgentibus te, & custodientibus mandata tua:*

6 *Sit quæso auris tua intendens, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam oro coram te hodie die, ac nocte, pro filiis Israel seruis tuis: & confiteor pro peccato filiorum Israel, quod peccauimus tibi: & ego, & domus patris mei peccauimus:*

7 *Corruptione corrupti sumus tibi, & non custodiuimus præcepta, & statuta, & iudicia, quæ præcepisti Moseh seruo tuo.*

8 *Memento quæso verbi, quod mandasti Moseh seruo tuo, dicendo: Vos præuaricabimini, & ego dispergam vos in populos.*

9 *Et si reuersi fueritis ad me, & custodieritis præcepta mea, & feceritis, si fuerit expulsio vestra ad extremum cœli, inde congregabo vos, & adducam vos ad locum quem elegi, vt habitare facerem nomen meum ibi.*

10 *Et ipsi serui tui, & populus tuus, quem redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua forti.*

11 *Quæso Domine sit obsecro auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & prosperare fac quæso seruum tuum hodie. Ego eram pincerna regis.*

LIBRI NEEMIAE.

Transl. ex Septuag.

CAPVT PRIMVM.

Liber hic in hac trās lat. ex Septu. sub nomine Neemiæ habetur tertio loco inter libros Esdræ.

VErba Neemiæ filij Chelcia. Et factum est in mense Chaseleu anni vigesimi, & ego eram in Susan Abira.

Et venit Anani vnus de fratribus meis, ipse, & viri Iuda. Et interrogaui eos de superstitibus, qui remanserant ex captiuitate, & de Hierusalem.

Et dixerunt ad me: Residui qui remanserunt de captiuitate ibi in prouincia, in malo magno, & in opprobrio: & mœnia Hierusalem deiecta: & portæ eius incensæ sunt in igne.

Et factum est in audiendo me verba hæc sedi, & ploraui, & luxi dies, & fui ieiunans, & orans in conspectu Dei cœli.

Et dixi: Ne, quæso, Domine, Deus cæli: fortis, magnus, & terribilis, custodiens testamentum, & misericordiam tuam diligentibus ipsum, & custodientibus mandata ipsius.

Sit, quæso, auris tua attendens, & oculi tui aperti ad audiendam deprecationem serui tui; quam ego deprecor in conspectu tuo hodie die, ac nocte, pro filiis Israel seruis tuis. Et confiteor super peccatis filiorum Israel, quæ peccauimus tibi. Et ego, & domus patris mei peccauimus:

Dissolutione dissoluimus erga te, & non custodiuimus mandata, & præcepta, & iudicia, quæ mandasti Moysi puero tuo.

Memento nunc verbi tui, quod mandasti Moysi puero tuo, dicens: Vos, si præuaricati eritis; ego dispergam vos in populis:

Et, si reuerteritis ad me, & seruaueritis mandata mea, & feceritis ea; si fuerit dispersio vestra à summo cœli, inde congregabo ipsos & introducam ipsos in locum, quem elegi, ad habitandum nomen meum ibi.

Et ipsi pueri tui, & populus tuus: quos redemisti in virtute tua magna, & in manu tua valida.

Ne quæso, Domine. Sed fit auris tua attendens in deprecationem serui tui, & ad deprecationem puerorum tuorum volentium timere nomen tuum. Et prospera, quæso, seruum tuum hodie, & da eum in miserationes in conspectu viri huius. Et ego eram pincerna regis.

LIBRI NECHEMIAH, QVI ET HEZRÆ SECVNDVS DICITVR.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAPVT PRIMVM.

1 *VErba Nehemiah filij Hachaliah. & fuit, in mense Chisleu, anno vicesimo ego eram in Susan palatio:*

2 *Et venit Hanani vnus è fratribus meis, ipse & viri de Iehudah: quos interrogaui de Iehudæis viris eua.onis, qui residui erant de captiuitate, & de Ieruſalaim.*

3 *Et dixerunt mihi, Residui qui remanserunt de captiuitate illic in prouincia, sunt in malo magno & o, probrio: præterea murus Ieruſalaim dirutus est, & porta eius combustæ sunt igni.*

4 *Posteaquam autem audiui verba hæc, sedi, ac fleui, luxi & per dies: ieiunaui insuper, & orau. coram Deo cæli.*

5 *Ac dixi: Quæso Iehoua Deus cæli, fortis, magne, & terribilis custodiens pactum & misericordiam dil gentibus te, & custodientibus mandata tua:*

6 *Sit quæso auris tua attendens, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie die ac nocte, pro filiis Israelis seruis tuis, confiteor nanque peccata filiorum Israelis quæ peccauimus tibi: & ego & domus patris mei peccauimus:*

7 *Grauiter peccauimus tibi, & non custodiuimus præcepta, & statuta, & iudicia quæ præcepisti Mosehi seruo tuo.*

8 *Memento quæso verbi quod mandasti Mosehi seruo tuo, dicendo: Vos præuaricabimini, ego vero dispergam vos in populos.*

9 *Quum autem reuersi fueritis ad me, & custodieritis præcepta mea, & feceritis, si fuerit expulsio vestra ad extremum cœli, illuc congregabo eos, & adducam eos ad locum quem elegi, vt illic collocarem nomen meum.*

10 *Ipsi autem serui tui, & populus tuus sunt, quos redemisti fortitudine tua maxima, & manu tua fortissima.*

11 *Quæso ô Iehoua, sit quæso auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui cupiunt timere nomen tuum: & successum prospe- rum da quæso seruo tuo hodie, & da eum in miser cordias coram viro illo. Ego autem eram pincerna regis.*

Vulgat. Editio.

CAP. II.

FActum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus ante faciem eius.

Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio, quod in corde tuo est. Et timui valde, ac mimis:

Et dixi regi: Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni?

Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et orauí Deum cœli:

Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.

Dixitque mihi rex, & regina, quæ sedebat iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis, & misit me: & constituit ei tempus.

Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam:

Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum.

Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites.

Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites: & contristati sunt afflictione magna, quod veniisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel.

Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus:

Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem, & iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.

Et transiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento, cui sedebam, vt transiret.

Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reuersus veni ad portam vallis, & redij.

Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem: sed & Iudæis, & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, vsque ad id loci nihil indicaueram.

Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Ierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. II.

ET fuit, in mense Nisan anno vigesimo Arthachsasthæ regis: vinum erat ante eum, & accepi vinum, & dedi regi: & non eram solitus esse tristis coram eo.

Et dixit mihi rex: Quare vultus tuus est tristis, & non ægrotas? non est hoc nisi malum cordis. Et timui multum valde:

Et dixi regi: Rex in æternum viue: cur non erit tristis vultus meus, quum ciuitas domus sepulchrorum patrum meorum deserta sit, & portæ eius consumptæ sint igni?

Et dixit mihi rex: Pro quo postulas? Et orauí ad Deum cœli:

Et dixi ad regem: Si regi bonum est, & si placet seruus tuus coram te, rogo vt mittas me in Iehudah, ad ciuitatem sepulchrorum patrum meorum, vt ædificem eam.

Dixitque mihi rex, & regina sedens apud eum: Vsque quo erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit coram rege, & misit me, & dedi ei tempus.

Et dixi regi: Si regi est bonum, epistolas dent mihi scribæ ad duces, qui sunt trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iehudah:

Et epistolam ad Asaph custodem pomarii, quod est regi, vt det mihi ligna ad contignandum portas palatii, quæ erant domui, & muro ciuitatis, & domui, in quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam super me.

Et veni ad duces, qui erant trans Flumen, & dedi eis epistolas regis. Et misit mecum rex principes exercitus, & equites.

Et audiuit Sanballath Choronites, & Thobiiah seruus Hammonites: & displicuit eis displicentia magna, quod veniisset homo ad quærendum bonum filiis Israel.

Et veni in Ierusalaim, & fui ibi diebus tribus:

Et surrexi nocte, & viri pauci erant mecum, & non indicaui homini, quid Deus d disset in cor meum, vt facerem in Ierusalaim, & iumentum non erat mecum nisi iumentum super quod sedebam.

Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercorum, & considerauí muros Ierusalaim, qui erant diruti, & portas eius, quæ consumptæ erant igni.

Et transiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento ad transeundum sub eo.

Et ascendi per torrentem nocte, & considerauí murum, & veni ad portam vallis, & redii.

Et magistratus nesciebant quo abiissem, & quid facerem: & Iehudæis, & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis facientibus opus, itidem non indicaui.

Et dixi eis: Vos vidistis malum in quo sumus; quia Ierusalaim deserta est, & portæ eius succensæ sunt igni: venite, & ædificemus murum Ierusalaim, & non simus vltra opprobrium.

Transl. ex Septuag.

CAP. II.

ET factum est in mense Nisan anni vigesimi Arthasasthæ regi, & erat vinum coram me: & leuaui vinum, & dedi regi: & non erat alius coram eo.

Et dixit mihi rex: Quare facies tua mala, & non es infirmus? Et non est hoc: nisi malum cordis. Et timui multum valde,

Et dixi regi: Rex in æternum viuat. Cur non fiat mala facies mea; quãdoquidem ciuitas, domus monumentorum patrum meorum desolata est, & portæ eius exustæ sunt in igne?

Et dixit mihi rex: Pro quo hoc tu quæris? Et deprecatus sum ad Deum cæli,

Et dixi regi: Si super regem bonum, & si bonus erit puer tuus in conspectu tuo, vt mittat ipsum in Iuda, in ciuitatem monumentorum patrum meorum; & reædificabo eam.

Et dixit mihi rex, & concubina sedens iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et bonum fuit coram rege, & misit me, & dedi ei terminum.

Et dixi regi: Si super regem, bonum; det mihi epistolas ad iubregulos trans flumen; vt deducant me, donec venero in Iudam,

Et epistolam ad Asaph custodem paradisi, qui est regi, vt det mihi ligna ad tegendum portas, & ad murum ciuitatis, & ad domum, quam ingrediar in eam. Et dedit mihi rex, sicut manus Dei bona.

Et veni ad subregulos trans flumen, & dedi eis epistolas regis. Et miserat mecum rex principes virtutis, & equites.

Et audiuit Sanaballat Aroni, & Tobia seruus Ammoni: & malum eis factum est; quia venit homo quærere bonum filiis Israel.

Et veni in Hierusalem, & fui ibi dies tres.

Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non annunciaui homini, quid Deus dat in cor meum facere cum Israel: & iumentum non est mecum nisi iumentum, quem ego inscendo super illud.

Et egressus sum in porta Golila, & ad os fontis ficuum, & ad portam stercoris. Et eram conuersans in muro Hierusalem, quod ipsi diruùnt, & portæ eius exesæ erant igne.

Et transiui ad portam Ain, & ad piscinam regis, & non erat locus iumento transire sub me:

Et fui ascendens in muro torrentis nocte, & fui conuersans in muro, & fui in porta vallis, & reuerti.

Et custodes non cognouerunt, quid ibam, & quid ego facio. Et Iudæis & sacerdotibus, & optimatibus, & ducibus, & reliquis facientibus opera vsque tunc non indicaueram.

Et dixi ad eos: Vos videtis malum hoc, in quo sumus in eo, quomodo Hierusalem deserta, & portæ eius datæ sunt igni. Venite, & exædificemus murum Hierusalem: & non erimus vltra opprobrium.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. II.

1 *ET fuit mense Nisan, anno vicesimo Arthahsasthe regis, vinum erat ante eum: tum accepi vinum illud, & tradidi regi: non eram autem antea tristis coram eo.*

2 *Dixit itaque mihi rex, Quare vultus tuus tristis est, quum non ægrotes? non est hoc nisi malum cordis. Et timui multum admodum.*

3 *Tum dixi regi, Rex in æternum viuat: cur non esset tristis vultus meus, quum vrbs illa, domus sepulchrorum patrum meorum deserta sit, & portæ eius consumptæ sint igni?*

4 *Et dixit mihi rex, Pro quanam re postulas? Tum oraui ad Deum cœli.*

5 *Postea dixi regi, Si regi bonum est, & si placet seruus tuus coram te, postulo vt mittas me in Iehudah ad vrbem sepulchrorum patrum meorum, vt reædificem eam.*

6 *Dixitq; mihi rex, (regina autem sedebat apud eum) Quousque erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit coram rege: misitq; me postquam dedi ei tempus.*

7 *Tum dixi regi, Si regi est bonum, epistolas dent mihi scribæ ad duces regionis quæ est trans Flumen, vt transmittant me, donec veniam in Iehudah.*

8 *Et epistolam ad Asaph custodem pomarij quod est regi, vt det mihi ligna ad contignandas portas palatij, quæ erant domui, & murum vrbis, & domum quam ingressus fuero. Dedit itaque mihi rex iuxta manum Dei mei bonam super me.*

9 *Et veni ad duces regionis quæ erat trans Flumen, quibus dedi epistolas regis. miserat autem mecum rex principes exercitus & equites.*

10 *Audiens vero Sambalat Horonites, & Tobiah seruus ille Ammonites, displicuit eis displicentia magna, quod veniisset aliquis vt quæreret bonum filiis Israelis.*

11 *Tandem veni in Ierusalaim, vbi mansi diebus tribus.*

12 *Surrexi autem nocte ego, & viri pauci mecum: & non indicaui cuiquam quid Deus meus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalaim: nec iumentum vllum erat mecum, nisi iumentum cui insidebam.*

13 *Et egressus sum per portam Vallis noctu, ante fontem Draconis, & ad portam Sterquilinij: atque conspiceraui muros Ierusalaim qui erant diruti, portasque eius quæ consumptæ erant igni.*

14 *Postea transiui ad portam Fontis, & ad piscinam regis, vbi non erat locus iumento sub me, ad transeundum.*

15 *Ascendi igitur per torrentem noctu, & conspiceraui murum: dein reuersus, ingressus sum per portam Vallis, ac redij.*

16 *Porro magistratus nesciebant quo abiissem, & quid facerem: neque Iehudæis, ac Sacerdotibus, atque optimatibus, & magistratibus, reliquisque facientibus opus, hucusque non indicaueram.*

17 *Dixi itaque eis, Vos videtis malum in quo sumus, quia Ierusalaim deserta est, & portæ eius succensæ sunt igni: venite, & ædificemus murum Ierusalaim, vt non simus vltra in opprobrium.*

Vulgat. Editio.

Et indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?

Et redidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus: surgamus, & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.

CAP. III.

ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis: ipsi sanctificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel.

Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho: & iuxta eum ædificauit Zachur filius Amri.

Portam autem piscium ædificauerunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes. Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ, filij Accus.

Et iuxta eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, filij Mesezebel: & iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana:

Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: optimates autem eorum non suppossuerunt colla sua in opere Domini sui:

Et portam veterem ædificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes:

Et iuxta eos ædificauerunt Meltias Gabaonites, & Iadom Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen.

Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eum ædificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateæ latioris.

Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Ierusalem,

Et iuxta eum ædificauit Iedaia filius Haromaph contra domum suam: & iuxta eum ædificauit Hattus filius Haseboniæ.

Mediam partem vici ædificauit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.

Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Ierusalem, ipse & filiæ eius.

Et portam vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanoe: ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro vsque ad portam sterquilinij.

Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & seras, & vectes.

Et portam fontis ædificauit Sellun filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificauit eam, & texit, & statuit valuas eius, & seras, & vectes, & muros piscinæ Siloe in hortum regis, & vsque ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid.

Transl. ex Heb. San ct. Pagn.

18 *Et indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona super me, & verba regis, quæ dixit mihi, & dixerunt: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.*

19 *Audiuit autem Sanballath Choronites, & Thobiiah seruus Hammonites, & Ghesem Harbites, & subsannauerunt nos, & despexerunt nos, & dixerunt: Quid est hoc quod facitis? numquid contra regem rebellatis?*

20 *Et reddidi eis verbum, dixique ad eos: Deus cœli, ipse prosperare faciet nos, & nos serui eius sumus: surgamus, & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalaim.*

CAP. III.

1 *ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificauerunt portam pecorum: ipsi reparauerunt eam, & statuerunt ostia eius, vsque ad turrim Meah, reparauerunt eam vsque ad turrim Chananel.*

2 *Et iuxta locum eius ædificauerunt viri Iericho: & iuxta locum eius ædificauit Zacur filius Imri.*

3 *Et portam piscium ædificauerunt filii Hasenah: ipsi contignauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras eius, & vectes eius. Et iuxta locum instaurauit Meremoth filius Vrijah filii Hachos.*

4 *Et iuxta locum eorum instaurauit Mesullam filius Berechiah filii Mesezabel: & iuxta locum eorum instaurauit Sadoc filius Bahana:*

5 *Et iuxta locum eorum instaurauerunt Techohitæ: & maiores eorum non adduxerunt collum suum in opere Domini sui.*

6 *Et portam Veterem instaurauerunt Ioiadah filius Paseach & Mesullam filius Besodiah: ipsi contignauerunt eam, & stare fecerunt valuas eius, & seras eius, & vectes eius:*

7 *Et iuxta locum eorum instaurauit Melathiah Ghibhonites, & Iadon Meranothites, viri Ghibhon & Misphah pro solio ducis trans Flumen.*

8 *Et iuxta locum eius instaurauit Huzziel filius Harhaiah aurifices: & iuxta locum eius instaurauit Chananiah filius Haracchachim: & instaurauerunt Ierusalaim vsque ad murum latum.*

9 *Et iuxta locum eorum instaurauit Rephaiah filius Chur, princeps mediæ partis Ierusalaim.*

10 *Et iuxta locum eorum instaurauit Iedaiah filius Charumaph contra domum suam: & iuxta locum eius instaurauit Chattus filius Chasabneiah.*

11 *Mensuram secundam instaurauit Malchiiah filius Harim, & Chasub filius Pachathmoab, & turrim furnorum.*

12 *Et iuxta locum eius instaurauit Sallum filius Haloches princeps dimidiæ partis Ierusalaim, ipse & filiæ eius.*

13 *Portam vallis instaurauit Chanun, & habitatores Zanoach: ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, seras eius, & vectes eius, & mille cubitos in muro, vsque ad portam stercorum.*

14 *Et portam stercorum ædificauit Malchiiah filius Rechab, princeps partis Bethhachcrem: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, seras eius, & vectes eius.*

15 *Et portam fontis instaurauit Sallum filius Cholchozeh, princeps regionis Misphah: ipse ædificauit eam, & texit eam, & statuit valuas eius, seras eius, & vectes eius, & murum Piscinæ pomarij iuxta hortum regis, vsque ad gradus descendentes de ciuitate Dauid.*

Transl. ex Septuag.

Et annunciaui eis manū Dei, quæ eſt bona ſuper me, & præterea verba regis, quæ dixit mihi. Et dixi: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ ſunt manus eorum in bonum. 18

Et audiuit Sanaballat Aroni, & Tobia ſeruus Ammoni, & Geſam Arabi, & ſubſannauerunt nos, & venerunt ſuper nos, & dixerunt: Quid verbum hoc, quod vos facitis? An ſuper regem vos rebellatis? 19

Et retuli eis verbum, & dixi eis: Deus cœli ipſe proſperabit nos: & nos ſerui eius puri, & ædificabimus. Et vobis non eſt pars, & iuſtitia, & memoria in Hieruſalem. 20

CAP. III.

ET ſurrexit Eliaſub ſacerdos magnus, & fratres eius ſacerdotes, & ædificauerunt portam gregis: ipſi ſanctificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & vſque ad turrim centum ſanctificauerunt vſque ad turrim Anameel. 1

Et ad manus virorum filiorum Hiericho, & ſuper manus filiorum Zacchur filij Amari. 2

Et portam piſcium ædificauerunt filij Aſana: ipſi texerunt eam, & texerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius. Et ad manum eorum tenuit ſuper Ramoth filium Vria filij Accos. 3

Et ad manum eorum tenuit Moſollam filius Barachiæ filij Mazebel. 4

Et ad manum eorum tenuerunt Thecoim: & Adorim non intulerunt collum ſuum in ſeruitutem ipſorum. 5

Et portam Iaſanai tenuerunt Ioida filius Phaſec, & Meſulam filius Baſodia: ipſi texerunt eam, & ſtauerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius. 6

Et ad manum eorum tenuerunt Maltias Gabaonites, & Iuaron Meronothithes, viri Gabaon, & Maſpha vſq; ad thronū principis, qui trans flumen. 7

Et iuxta eum muniuit Oziel filius Arachiæ ex aurificibus. Et ad manum eorum tenuit Ananias filius Roceim. Et reliquerunt Hieruſalem vſque ad murum latum. 8

Et ad manum eorum tenuit Raphaia filius Sur, princeps dimidiæ regionis Hieruſalem. 9

Et ad manum eorum tenuit Iedaia filius Eromaph, & è regione domus ſuæ. Et ad manum eius tenuit Attuth filius Aſabania. 10

Et ſecundus tenuit Melchias filius Heram, & Aſub filius Phaathmoab, & vſque ad turrim Thanurim. 11

Et ad manum eius tenuit Sallum filius Aloes, princeps dimidiæ regionis Hieruſalem, ipſe, & filiæ eius. 12

Portam vallis tenuerunt Anun, & habitantes Zarno: ipſi ædificauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius, & mille cubitos in muro vſque ad portam ſtercoris. 13

Et portam ſtercoris tenuit Melchia, filius Recab princeps regionis Bæthaccharim, ipſe, & filij eius, & texerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius. 14

Portam autem fontis muniuit Salomon filius Choleze, princeps partis Maſpha: ipſe exædificauit eam, & texit eam, & ſtatuit valuas eius, & vectes eius, & murum piſcinæ codiorum cæſariei regis, & vſque ad ſcalas deſcendentes è ciuitate Dauid. 15

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Indicauī autem eis manum Dei mei quod eſſet bona ſuper me, & etiam verba regis quæ dixerat mihi: tum dixerunt, Surgamus & ædificemus, Et confortauerunt manus ſuas in bono.

Quum autem audiſſet Sanbalat Horonites, & Tobiiah ſeruus Ammonites, & Geſem Arbites, ſubſannauerunt nos, ac deſpexerunt nos, dixeruntque, Quid eſt hoc quod vos faciſtis? an contra regem rebellatis?

Quibus reſpondi, dixiq; illis, Deus cœli, ipſe dabit nobis proſperum ſucceſſum: nos ergo ſerui eius ſurgamus & ædificemus: vobis autem nulla eſt portio neque iuſtitia, neque memoria in Ieruſalaim.

CAP. III.

POſthæc ſurrexit Eliaſib Sacerdos maximus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam Pecorum: ipſi apparauerunt eam, & ſtatuerunt oſtia eius vſq; ad turrim Meah, apparauerunt eam, & vſque ad turrim Hananeel.

Et iuxta locum eius ædificauerunt viri Ieriho: & iuxta locum eius ædificauit Zachur filius Imri.

Portam autem Piſcium ædificauerunt fili Haſenaah: ipſi contignauerunt eam, ac ſtatuerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius:

Iuxta locum vero eorum inſtauravit Meremoth filius Vriiah filii Haccos: iuxtaq; locum eorum inſtauravit Meſullam filius Berechiah filii Meſezabel: iuxta locum eorum inſtauravit Sadoc filius Baana.

Iuxta quorum locum inſtaurauerunt Thecoitæ: maiores vero eorum non adduxerunt collum ſuum in opus domini ſui.

Portam vero Veterem inſtaurauerunt Ioiada filius Paſeah & Meſullam filius Beſodiah. hi contignauerunt eam, & ſtatuerunt valuas eius, & ſeras eius, & vectes eius:

Iuxta locum eorum inſtauravit Melatiah Gibonites, & Iadon Meronothites: & viri Gibon & Miſpah pro ſolio ducis regionis ſitæ trans Flumen:

Iuxta locum vero eius inſtauravit Vzziel filius Harhaiah aurifices, atqu iuxta locum eius inſtauravit Hananiah filius Haracahim: inſtaurauerunt inquam Ieruſalaim vſque ad murum latum.

Prætrea iuxta locum eorum inſtauravit Rephaiah filius Hur, princeps mediæ partis Ieruſalaim.

Et iuxta locum eorum inſtauravit Iedaiah filius Harumaph, & contra domum ſuam: iuxta cuius locum inſtauravit Hattus filius Haſabneiah.

Menſuram ſecundam inſtauravit Melchiiah filius Harim, & Haſub filius Pahath-moab, & turrim Furnorum.

Iuxta cuius locum inſtauravit Sallum filius Halohes, princeps dimidiæ partis regionis Ieruſalaim, ipſe & filiæ eius.

Portam Vallis inſtauravit Hanun, & habitatores Zanoah: ipſi ædificauerunt eam, ſtatueruntq; valuas eius, ſeras eius, & vectes eius, & mille cubitos in muro, vſque ad portam Stercorum.

Portam autem Stercorum ædificauit Malchiiah filius Rechab princeps regionis Beth-hacharem: ipſe ædificauit eam, & ſtatuit valuas eius, ſeras eius, & vectes eius.

Portam autem Fontis inſtauravit Sallun filius Cholhozeh princeps regionis Miſpah: ipſe ædificauit eam, texitq; eam, ac ſtatuit valuas eius, ſeras eius, & vectes eius: & murum Piſcinæ pomarii, iuxta hortum regis vſque ad gradus deſcendentes de Ciuitate Dauidis.

Vulgat. Editio.

Post eũ ædificauit Nehemias filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethsur vsque contra sepulchrum Dauid, & vsque ad piscinam quæ grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium.

Post eum ædificauerunt Leuitæ, Behum filius Benni: post eum ædificauit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.

Post eum ædificauerunt fratres eorum Banai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ.

Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.

Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam ab angulo vsque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.

Post eum ædificauit Merimuth filius Vriæ filij Haccus, mensuram secundam à porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.

Et post eum ædificauerunt sacerdotes viri de campestribus Iordanis.

Post eum ædificauit Beniamin, & Hasub contra domum suam: & post eum ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam.

Post eum ædificauit Bennui filius Henadad, mensuram secundam, à domo Azariæ vsq; ad flexuram, & vsque ad angulum.

Phalel filius Ozi contra flexuram, & turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos.

Nathinæi autem habitabant in Ophel vsque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

Post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione, à turre magna, & eminente vsque ad murum templi.

Sursum autem à porta equorum ædificauerunt sacerdotes, vnusquisque contra domum suam.

Post eos ædificauit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificauit Semaia filius Secheniæ custos portæ Orientalis.

Post eum ædificauit Hanania filius Selemia, & Hunun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificauit Melchias filius aurificis vsque ad domum Nathinæorum, & scruta vendentium contra portam iudicialem, & vsque ad cœnaculum anguli.

Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificauerunt aurifices, & negotiatores.

CAP. IIII.

FActum est autem, cum audisset Sanaballat, quod ædificaremus murum, iratus est valde, & motus nimis subsannauit Iudæos.

Et dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in vna die? Numquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt?

Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: Aedificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Post eum instaurauit Nechemiah filius Hazbuch princeps dimidiæ regionis Bethsur, vsque contra sepulchra Dauid, & vsque ad piscinam factam, & vsque ad domum fortium.*

17 *Post eum instaurauerunt Leuitæ Rechum filius Bani: iuxta locum eius instaurauit Chaschabiah princeps dimidiæ regionis Chehilah in regione sua.*

18 *Post eum instaurauerunt fratres eorum Banai filius Chenadad princeps dimidiæ regionis Chehilah.*

19 *Et instaurauit iuxta locum eius Hezer filius Iesuah princeps Mismah mensuram secundam è regione ascensus armorum anguli.*

20 *Post eum accendit se, & instaurauit Baruch filius Zacchai mensuram secundam, ab angulo vsque ad ostium domus Eliasib sacerdotis magni.*

21 *Post eum instaurauit Meremoth filius Vrijah filij Hachos mensuram secundam, ab ostio domus Eliasib, vsque ad perfectionem domus Eliasib.*

22 *Et post eum instaurauerunt sacerdotes viri planiciei.*

23 *Post eum instaurauit Biniamin, & Chasub contra domum suam: post eum instaurauit Hazariah filius Mahaseiah filij Hananiah apud domum suam.*

24 *Post eum instaurauit Binnui filius Chenadad mensuram secundam à domo Hazariah vsque ad angulum, & vsque ad angulum.*

25 *Palal filius Vzai contra angulum, & turrim quæ egrediebatur è domo regis excelsam, quæ erat in atrio carceris: post eum, Pedaiah filius Parhos.*

26 *Et Nethinim, qui habitabant in arce vsque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim egredientem.*

27 *Post eum instaurauerunt Techohim mensuram secundam è regione turris magnæ egredientis, vsque ad murum arcis.*

28 *Super portam equorum instaurauerunt sacerdotes vnusquisque contra domum suam.*

29 *Post eum instaurauit Sadoc filius Immer contra domum suam. Et post eum instaurauit Semahaiah filius Secheniah custos portæ Orientalis.*

30 *Post eum instaurauit Chananiah filius Selemiah, & Chanun filius Salaph sextus mensuram secundam: post eum instaurauit Mesullam filius Berechiah contra cubiculum suum. Post eum instaurauit Malchiiah filius aurificis vsque ad domum Nethinim, & negotiatorum contra portam præcepti, vsque ad cœnaculum anguli.*

31 *Et intra cœnaculum anguli ad portam pecorum instaurauerunt aurifices & negotiatores.*

CAP. IIII.

1 ET *fuit, cum audisset Sanballath, quod ædificaremus murum, ira fuit ei, & iratus est multum, & subsannauit Iehudæos.*

2 *Et dixit coram fratribus suis, & exercitu Somron, & dixit: Quid Iehudæi imbecilles faciunt? Numquid dimittent eis? Numquid sacrificabunt? Numquid consummabunt in die? Numquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris, & ipsi combusti sunt?*

3 *Et Thobijah Hammonites erat apud eum, & dixit: Etiam quod si ipsi ædificent: si ascenderit vulpes, rumpet murum lapideum eorum.*

Transl. ex Septuag.

Post eum tenuit Neemias filius Azabuch, princeps dimidiæ regionis Bethsur vsque ad hortum sepulchri Dauid, & vsque ad piscinam factam, & vsque Bethangarim.

Post eum tenuerunt Leuitæ, Raum filius Bani. Ad manum eius tenuit Asabia princeps dimidiæ regionis Ceila regione sua.

Et post eum tenuerunt fratres eorum Benei filius Enadad, princeps dimidiæ regionis Ceila.

Et tenuit ad manum eius Azur filius Iesu princeps Maspha mensuram secundam turris ascensionis contingentis angulum.

Post eum tenuit Baruch filius Zabu, mensuram secundam ab angulo vsque ad ianuam Beth Eliasub sacerdotis magni.

Post eum tenuit Meramoth filius Vria filij Accos mensuram secundam à ianua Beth Eliasub vsque ad finem Beth Eliasub.

Et post eum tenuerunt sacerdotes, viri Echechar.

Et post eum tenuit Beniamin, & Asub è regione domus ipsorum. Et post eum tenuit Azarias filius Maasiæ filij Anania iuxta domum suam.

Post eum tenuit Bani filius Adad, mensuram secundam à Beth Azaria vsq; ad angulum, & vsque ad flexuram

Phalach filij Euzai ex aduerso anguli, & turris eminens è domo regis superior, quæ atrij custodiæ. Et post eum Phadaia filius Phoros.

Et Nathinim erant habitantes in Ophla vsque ad hortum portæ aquæ ad Orientem, & turris eminens.

Et post eum tenuerunt Thecoim mensuram secundam ex aduerso turris magnæ eminentis, & vsque ad murum Ophla.

Supra portam equorum tenuerunt sacerdotes, vir è regione domus suæ.

Et post eum tenuit Sadduc filius Emmer ex aduerso domus suæ. Et post eum tenuit Samaia filius Sechenia custos portæ Orientis.

Post eum tenuit Anania filius Selemia, & Anom filius Seleph sextus, mensuram secundam. Post eum tenuit Mesulam filius Barachia ex aduerso gazophylacij sui. Post eum tenuit Melchia filius Sarephi vsque ad Bæthan Nathinim. Et scruta vendentes è regione portæ Maphecad, & vsque ad ascensionem flexuræ.

Et intermedium portæ gregis tenuerunt fabri, & scruta vendentes.

CAP. IIII.

ET factum est, quando audiuit Sanaballat, quia nos ædificamus murum; & malum ipsi visum est: & iratus est valde, & subsannabat super Iudæos.

Et dixit in conspectu fratrum suorum, hæc est virtus Samariæ: Quia Iudæi isti ædificant suam ciuitatem? Nunquid sacrificant? nunquid poterunt? Et hodie sanabunt lapides; postquam facti sunt tumulus terræ combustæ?

Et Tobias Ammanites iuxta eum venit, & dixit ad eos: Nunquid sacrificant aut comedent super locum suum? Nonne ascendet vulpes, & diruet murum lapideum eorum?

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

16 *Post eum instaurauit Nehemiah filius Azbuc princeps dimidiæ partis regionis Beth-sur, vsque contra Sepulchra Dauidis, & vsque ad Piscinam illam affabre factam, et vsque ad domum Fortium.*

17 *Post istum instaurauerunt Leuitæ: Rehum filius Bani: iuxta cuius locum instaurauit Hasabiah princeps dimidiæ partis regionis Ceilah in regione sua.*

18 *Post istum instaurauerunt fratres eorum Bauuai filius Henadad princeps dimidiæ partis regionis Ceilah.*

19 *Instaurauit autem iuxta locum eius Ezer filius Iesua princeps Misphah mensuram secundam à loco qui erat eregione Ascensus armorum anguli.*

20 *Post eum accendit ipse, & instaurauit Baruch filius Zacchai mensuram secundam, ab illo angulo vsque ad ostium domus Eliasib Sacerdotis magni.*

21 *Post istum instaurauit Meremoth filius Vrijah filij Haccos mensuram secundam, ab introitu domus Eliasib, vsque ad finem domus Eliasib.*

22 *Post quem instaurauerunt Sacerdotes, viri planitiei.*

23 *Post istum instaurauit Biniamin & Hasub contra domum suam: post quem instaurauit Azariah filius Maaseiah filij Ananiah apud domum suam.*

24 *Post istum instaurauit Binnui filius Henadad mensuram secundam, à domo Azariah vsque ad angulum, vsque ad angulum inquam.*

25 *Palal filius Vzai contra angulum, & turrim quæ egrediebatur è domo regis, excelsam, quæ erat in atrio carceris: post eum, Pedaiah filius Paros.*

26 *Porro Nethinæi qui habitabant in arce, vsque ad locum qui est eregione portæ Aquarum ad Orientem, & turrim prominentem.*

27 *Post ipsum instaurauerunt Thecoitæ mensuram secundam à loco qui est eregione turris magnæ prominentis, vsque ad murum illius arcis.*

28 *A porta Equorum instaurauerunt Sacerdotes quisque eregione domus suæ.*

29 *Post eum instaurauit Sadoc filius Immer eregione domus suæ: post istum vero instaurauit Semaiah filius Sechaniah custos portæ Orientalis.*

30 *Post quem instaurauit Hananiah filius Selemiah, & Hanun filius Salaph sextus mensuram secundam. post istum instaurauit Mesullam filius Berechiah eregione cubiculi sui.*

31 *Post quem instaurauit Malchiah filius aurificis vsque ad domum Nethinæorum, & negotiatorum, eregione portæ Præcepti, & vsque ad cœnaculum Anguli.*

32 *Et inter cœnaculum anguli vsque ad portam pecorum instaurauerunt aurifices & negotiatores.*

CAP. IIII.

1 *FVit autem, quum audisset Sanballat quod ædificaremus murum, exarsit ira illi, indignatusq; est admodum, & subsannauit Iehudæos,*

2 *Ac dixit coram fratribus suis & exercitu Somron, dixit inquam, Quid Iehudæi isti imbecilles faciunt: nunquid fortificabuntur? nunquid sacrificabunt? nunquid perficient in die? nunquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris, quum ipsi exusti sint?*

3 *Tobijah autem Ammonites erat iuxta eum, qui dixit, Etiam quod ipsi ædificant, si ascenderit vulpes, diruet murum lapideum eorum.*

Vulgat. Editio.

Audi Deus noſter, quia facti ſumus deſpectui, conuerte opprobrium ſuper caput eorum,& da eos in deſpectionem in terra captiuitatis.

Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriſerunt ædificantes.

Itaque ædificauimus murum, & coniunximus totum vſque ad partem dimidiam: & prouocatum eſt cor populi ad operandum.

Factum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammonitæ,& Azotij, quod obducta eſſet cicatrix muri Ieruſalem, & quod cæpiſſent interrupta concludi,irati ſunt nimis.

Et congregati ſunt omnes pariter,vt venirent, & pugnarent contra Ieruſalem, & molirentur inſidias.

Et orauimus Deum noſtrum, & poſuimus cuſtodes ſuper murum die,ac nocte contra eos.

Dixit autem Iudas: Debilitata eſt fortitudo portantis, & humus nimia eſt, & nos non poterimus ædificare murum.

Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & ignorent donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos;& ceſſare faciamus opus.

Factum eſt autem venientibus Iudæis qui habitabant iuxta eos,& dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerant ad nos:

Statui in loco poſt murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis ſuis, & lanceis, & arcubus.

Et perſpexi,atque ſurrexi:& aio ad optimates,& magiſtratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus veſtris,filiis veſtris,& filiabus veſtris,& vxoribus veſtris, & domibus veſtris.

Factum eſt autem, cum audiſſent inimici noſtri nunciatum eſſe nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum. Et reuerſi ſumus omnes ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum.

Et factum eſt à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & ſcuta,& arcus,& loricæ, & principes poſt eos in omni domo Iuda

Ædificantium in muro & portantium onera, & imponentium:vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium:

Aedificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus renes.Et ædificabant,& clangebant buccina iuxta me.

Et dixi ad optimates, & ad magiſtratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grande eſt, & latum, & nos ſeparati ſumus in muro procul alter ab altero:

In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos:Deus noſter pugnabit pro nobis.

Er noſipſi faciamus opus:& media pars noſtrum teneat lanceas ab aſcenſu auroræ donec egrediantur aſtra.

In tempore quoque illo dixi populo:Vnuſquiſque cum puero ſuo maneat in medio Ieruſalem, & ſint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

Ego autem & fratres mei,& pueri mei,& cuſtodes qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra:vnuſquiſque tantum nudabatur ad baptiſmum.

Tranſl.ex Heb. Sanct.Pagn.

4 *Audi Deus noſter, quia ſumus deſpectui: & conuerte opprobrium eorum in caput eorum, & da eos in deſpectionem in terra captiuitatis eorum.*

5 *Et ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum à facie tua ne deleatur, quia irritauerunt ædificantes.*

6 *Et ædificauimus murum, & colligatus eſt totus murus, vſque ad medium eius: & fuit cor populo ad faciendum.*

7 *Et fuit cum audiſſet Sanballath, & Thobijah, & Harabes, & Hammonitæ, & Aſdody, quod obducta eſſet cicatrix muris Ieruſalaim, quod incœperunt interrupta concludi, ira fuit eis valde.*

8 *Et coniurati ſunt omnes pariter, vt venirent ad pugnandum contra Ieruſalaim, & facerent ei euulſionem.*

9 *Et orauimus ad Deum noſtrum, & ſtatuimus cuſtodiam iuxta eos die, ac nocte à facie eorum.*

10 *Dixit autem Iehudah: Debilitatæ ſunt vires portantis, & humus multa eſt, & non poterimus ædificare murum.*

11 *Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & non videant, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & ceſſare faciamus opus.*

12 *Et fuit, cum veniſſent Iehudæi habitantes apud eos, & dicerent nobis decem vicibus ex omnibus locis ex quibus reuerſi fuerant ad nos:*

13 *Statui ab inferioribus locis poſt murum in excelſis, & ſtatui populum per familias cum gladiis ſuis, lanceis ſuis, & arcubus ſuis.*

14 *Et vidi, & ſurrexi: dixiq; ad optimates, & ad magiſtratus, & ad reſiduum populi: Ne timeatis à facie eorum. Domini magni, & terribilis mementote, & pugnate pro patribus veſtris filiis veſtris, & filiabus veſtris, vxoribus veſtris, & domibus veſtris.*

15 *Et fuit, cum audiſſent inimici noſtri, quod notificatum eſſet nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum, & reuerſi ſumus omnes ad murum, vnuſquiſque ad opus ſuum.*

16 *Et fuit, à die illa dimidia pars iuuenum faciebat in opere, & media pars eorum tenebat lanceas, & ſcuta, & arcus, & loricas, & principes poſt omnem domum Iehudah.*

17 *Qui ædificabant in muro, & portabant onera, & qui onerabant: vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium:*

18 *Et ædificantium vnuſquiſque gladio ſuo accincti erant ſuper lumbos ſuos. Et ædificabant, & clangebant tuba apud me.*

19 *Et dixi ad optimates, & magiſtratus, & ad reſiduum populi: Opus multum, & latum eſt, & ſeparati ſumus in muro, remoti vnuſquiſque ab altero:*

20 *In loco in quo audieritis ſonitum tubæ, illuc congregamini ad nos: Deus noſter pugnabit pro nobis.*

21 *Et nos faciamus opus: & media pars eorum tenebat lanceas ab aſcenſu auroræ vſque ad exitum ſtellarum.*

22 *Etiam tempore illo, dixi populo: Vnuſquiſque & puer eius maneat in medio Ieruſalaim, & ſint nobis nocte in cuſtodiam, & die in opere.*

23 *Nec ego, nec fratres mei, nec pueri mei, neque viri cuſtodes, qui erant poſt me exuebamus veſtimentum noſtrum, nec quiſquam dimittebat illud, niſi lauandi gratia.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Audi Deus noſter, quia facti ſumus in ſubſanuationē, & cōuerte opprobriū eorum in caput eorum: & da eos in ſubſannationem in terra captiuitatis.	4	*Audi ô Deus noſter quod ſumus deſpectui, & conuerte opprobrium eorum in caput eorum, daq; eos in prædam in terra captiuitatis.*
Et ne operias ſuper iniquitatem.	5	*Nec tegas iniquitatem eorum, neque peccatum eorum à facie tua deleatur, quia irritauerunt ædificantes.*
	6	*Aedificauimus itaque murum ipſum, & colligatus eſt totus ille murus uſque ad dimidium eius: fuitq; cor populo ad faciendum.*
Et factum eſt, vt audiuit Sanaballat, & Tobia, & Arabes, & Ammanitæ, quia aſcendit germen muris Hieruſalem, quia cœperunt fracturæ obſtrui; & malum eis viſum eſt valde.	7	*Quum autem audiſſet Sanballath, & Tobijah, & Arabes, & Ammonitæ, & Aſdody quod ſanati eſſent muri Ieruſalaim (cœperant enim interrupta concludi) exarſit ira eorum valde.*
Et congregati ſunt omnes in id ipſum venire ad præliandum in Hieruſalem, & faciendum eam exterminatam.	8	*Coniurauerunt itaque omnes pariter, vt venirent ad oppugnandum Ieruſalaim, & facerent ei errorem.*
Et deprecati ſumus ad Deum noſtrum, & conſtituimus cuſtodes ſuper eos die, ac nocte à facie eorum.	9	*Tum orauimus Deum noſtrum, & ſtatuimus cuſtodiam contra eos interdiu ac noctu à facie eorum.*
Et dixit Iudas: Contrita eſt fortitudo inimicorum, & humus multa, & nos non poterimus ædificare in muro.	10	*Dixit autem Iehudah, Debilitatæ ſunt vires portantis, & humus multa eſt, nec poſſumus ædificare murum.*
Et dixerūt ij qui tribulabāt nos: Non cognoſcēt, & nō videbunt, quoadusq; venerimus in medium eorum, & occidamus eos; & ceſſare faciamus opus.	11	*Adhæc dixerunt hoſtes noſtri, Neſciant, neque videant, donec ingrediamur in medium eorum, & interficiamus eos, ac ceſſare faciamus opus.*
Et factum eſt vt venerunt Iudæi habitantes prope eos; & dixerunt nobis: Aſcendunt ex omnibus locis ſuper nos.	12	*Quum autem veniſſent Iehudæi habitantes apud eos, ac dicerent nobis decem vicibus. Ex omnibus locis vnde reuertemini, volunt venire ad nos:*
Et ſtatui in infimis loci poſt murum in abſconditis, & ſtatui populum per familias cum gladiis ſuis, lanceas ſuas, & arcus ſuos.	13	*Tunc collocaui ab inferioribus partibus loci poſt murū in ipſis ſummitatibus ſaxorum, collocaui inquam populum per familias cum gladiis ſuis, lanceis ſuis, & arcubus ſuis.*
Et vidi: & ſurrexi: & dixi ad optimates, & ad duces, & ad reliquos populi: Ne timeatis à facie eorum: mementote Dei noſtri magni, & terribilis: & prælíamini pro fratribus veſtris, filiis veſtris, filiabus veſtris, vxoribus veſtris, & domibus veſtris.	14	*Quumque aſpexiſſem, ſurrexi, dixiq; ad optimates, & ad magiſtratus, & ad reſiduum populi, Ne timeatis à facie eorum: Domini maximi & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus veſtris filiis veſtris, & filiabus veſtris, vxoribus veſtris & domibus veſtris.*
Et factum eſt, quando audierunt inimici noſtri, quia cognitum eſt nobis; & diſſipauit Deus conſilium eorum. Et reuerſi ſumus omnes nos ad murum, vir ad opus ſuum.	15	*Fuit autem, quum audiſſent inimici noſtri quod notum factum eſſet nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum: & reuerſi ſumus omnes ad murum, quiſque ad opus ſuum.*
Et factum eſt à die illa, dimidium excuſſorum faciebant opus, & dimidium eorum reſiſtebant, & lanceæ, & clypei, & arcus, & thoraces, & principes poſt omnem domum Iuda	16	*Verum à die illa, altera pars iuuenum operabatur, & altera pars eorum tenebat lanceas, & ſcuta, & arcus, & loricas: & principes erant poſt vniuerſam familiam Iehudah.*
Ædificantes in muro & tollentes in humeris, in armis: in vna manu faciebat ſuum opus, & in vna tenebat iaculum:	17	*Qui ædificabant in muro, & qui portabant onera, & qui illos onerabant, quiſque vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium.*
Et ædificatores, vir gladio ſuo accinctus ſuper lumbum ſuum, & ædificabant, & clangens in cornea iuxta eum.	18	*Qui enim ædificabant, accincti erant quiſque gladio ſuo ſuper lumbos ſuos, & ita ædificabant: qui autem clangebat tuba erat iuxta me.*
Et dixi ad optimates, & ad principes, & ad reliquos populi: Opus latum, & multum, & nos diſpergimur ſuper murum longe vir à fratre ſuo.	19	*Tunc dixi ad optimates & magiſtratus, & ad reſiduum populi, Opus multum, & latum eſt, nos autem ſeparati ſumus in muro, remoti alter ab altero.*
In loco quocumque audieritis vocem corneæ, illuc congregabimini ad nos: & Deus noſter bellabit pro nobis.	20	*In quo loco audieritis ſonitum tubæ, illuc congregamini ad nos: Deus noſter pugnabit pro nobis.*
Et nos facientes opus: & dimidium noſtri tenentes lanceas ab aſcenſu auroræ vſque ad exitum ſyderum.	21	*Nos itaque faciamus opus, & media pars eorum tenebat lanceas ab aſcenſu auroræ vſque ad exitum ſtellarum.*
Et in tempore illo dixi populo: Vnuſquiſque cum iuuene ſuo commoramini in medio Hieruſalem: & ſit nobis nox cuſtodia, & dies opus,	22	*Etiam tempore illo dixi populo, Quiſque cum puero ſuo maneat in medio Ieruſalaim, ſintq; nobis noctu in excubias, & interdiu in opus.*
Et eram ego, & viri cuſtodiæ poſt me: & non fuit ex nobis exuens vir veſtimenta ſua.	23	*Nec ego, nec fratres mei, nec pueri mei, neque cuſtodes, qui ſequebantur me, exuebamus veſtimentum noſtrum, quiſque deponebat illud ad aquas.*

Vulgat. Editio.

CAP. V.

ET factus eſt clamor populi, & vxorum eius magnus aduerſus fratres ſuos Iudæos.

Et erant qui dicerent: Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.

Et erant qui dicerent: Agros noſtros, & vineas, & domos noſtras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

Et alij dicebant: Mutuo ſumamus pecunias in tributa regis, demuſque agros noſtros, & vineas.

Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum ſic carnes noſtræ ſunt: & ſicut filij eorum, ita & filii noſtri, ecce nos ſubiugamus filios noſtros, & filias noſtras in ſeruitutem, & de filiabus noſtris ſunt famulæ, nec habemus vnde poſſint redimi, & agros noſtros, & vineas noſtras alii poſſident.

Et iratus ſum nimis cum audiſſem clamorem eorum ſecundum verba hæc:

Cogitauitque cor meum mecum: & increpaui optimates, & magiſtratus, & dixi eis: Vſuraſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis? Et congregaui aduerſum eos concionem magnam:

Et dixi eis: Nos, vt ſcitis, redemimus fratres noſtros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus ſecundum poſſibilitatem noſtram: & vos igitur vendetis fratres veſtros, & redimemus eos? Et ſiluerunt, nec inuenerunt quid reſponderent.

Dixique ad eos: Non eſt bona res, quam facitis: quare non in timore Dei noſtri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis noſtris?

Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimus pecuniam, & frumentum: non repetamus in commune iſtud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis.

Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & oliueta ſua, & domos ſuas: quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere ſoletis ab eis, date pro illis.

Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quæremus: ſicque faciemus, vt loqueris. Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta quod dixeram.

Inſuper excuſſi ſinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum iſtud, de domo ſua, & de laboribus ſuis: ſic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit vniuerſa multitudo: Amen. Et laudauerunt Deum. Fecit ergo populus ſicut erat dictum.

A die autem illa, qua præceperat rex mihi, vt eſſem dux in terra Iuda, ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum ſecundum Artaxerxis regis per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

Duces autẽ primi, qui fuerant ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, & pecunia quotidie ſiclos quadraginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. V.

ET fuit clamor populi, & vxorum eorum magnus aduerſus fratres ſuos Iehudæos.

Et erant qui dicerent: Cum filiis noſtris, & filiabus noſtris ſumus multi: accipiamus frumentum, & comedamus, & viuamus.

Et erant qui dicerent: Agros noſtros, & vineas noſtras, & domos noſtras in pignus tradamus, & accipiamus frumentum in fame.

Et erant, qui dicerent: Mutuo ſumamus argentum ad vſuram ſuper agros noſtros, & vineas noſtras:

Et nunc ſicut caro fratrum noſtrorum eſt caro noſtra: ſicut filij eorum filii noſtri, & ecce nos ſubiicimus filios noſtros, & filias noſtras ſeruitutibus, & è filiabus noſtris ſubiiciuntur, & non eſt facultas in manibus noſtris ad redimendum, & agros noſtros, & vineas noſtras tradimus aliis.

Et iratus ſum vehementer, cum audiſſem clamorem eorum, & verba iſta:

Et cogitauit cor meum in me: & increpaui optimates, & magiſtratus, & dixi eis: Vſuram vnuſquiſque à fratribus ſuis accipitis? Et poſui contra eos congregationem magnam:

Et dixi eis: Nos emimus fratres noſtros Iehudæos, qui venditi erant gentibus ſecundum facultatem, quæ erat in nobis: & vos vendetis fratres veſtros, & vendentur nobis? Et ſiluerunt, & non inuenerunt quo ſe excuſarent verbum.

Et dixi: Non eſt bonum quod facitis: nonne in timore Dei noſtri ambulare debetis propter opprobrium gentium inimicarum noſtrarum?

Et etiam ego fratres mei, & pueri mei, commodauimus argentum, & frumentum: relinquamus quæſo vſuram hanc.

Reddite quæſo eis hac die agros eorum, vineas eorum, & oliueta eorum, & domos eorum: & centeſimam partem argenti, & frumenti, vini, & olei, quam exigitis ab eis.

Et dixerunt: Reddemus, & ab eis non quæremus: ſic faciemus ſicut tu loqueris. Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta verbum hoc.

Etiam veſtimentum meum excuſſi, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non ſtatuerit verbum iſtud de domo ſua, & de labore ſuo: & ſic ſit excuſſus, & vacuus. Et dixerunt omnis cœtus: Amen. Et laudauerunt Dominum. & fecit populus ſecundum verbum iſtud.

Etiam à die qua præcepit mihi, vt eſſem dux in terra Iehudah, ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum, & ſecundum Arthachſaſthæ regis, annis duodecim, nec ego, neque fratres mei panem ducalem comedi.

Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, poſtea argenti ſiclos quadraginta: etiam pueri eorum dominati ſunt populo. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

Et etiam in opere muri huius inſtauraui, & agrum non emimus, & omnes pueri mei congregati erant ibi ad opus.

Transl. ex Septuag.

CAP. V.

ET clamor populi, & mulierum eorum magnus ad fratres ſuos Iudæos.

Et erant quidam dicentes: In filiis noſtris, & in filiabus noſtris nos multi: & accipiemus frumentum, & comedemus, & viuemus.

Et ſunt quidam dicentes: Agri noſtri, & vineæ noſtræ, & domus noſtræ: nos oppignoramus, & accipiemus frumentum, & comedemus.

Et ſunt quidam dicentes: Mutuo ſumpſimus argentum in tributa regis: agri noſtri, & vineæ noſtræ, & domus noſtræ.

Et nunc, ſicut caro fratrum noſtrorum; caro noſtra: ſicut filij eorum; filij noſtri. Et ecce nos ſubiugamus filios noſtros, & filias noſtras in ſeruos: & ſunt de filiabus noſtris ſubiectæ: & non eſt poteſtas manuum noſtrarum: & agri noſtri, & vineæ noſtræ optimatibus.

Et triſtatus ſum valde, ſicut audiui clamorem eorum, & ſermones hos.

Et conſultauit cor meum in me: & concertaui aduerſus optimates, & principes, & dixi eis: Exiget vir fratrem ſuum, quem vos exigitis? Et dedi ſuper eos eccleſiam magnam,

Et dixi eis: Nos acquiſiuimus fratres noſtros Iudæos venditos gentibus in ſpontaneo noſtro: & vos vendite fratres veſtros, & tradentur nobis. Et ſiluerunt, & non inuenerunt verbum.

Et dixi: Non bonum verbum, quod vos facitis: non ſic in timore Dei noſtri abibitis ab opprobrio gentium inimicorum noſtrorum.

Etiam fratres mei, & noti mei, & ego poſuimus eis argentum, & frumentum: relinquamus, obſecro, exactionem hanc.

Reddite, quæſo, eis, ſicut hodie, agros eorum, & vineas eorum, & oliueta eorum, & domos eorum, & de argento, frumentum, & vinum, & oleum promittite eis.

Et dixerunt: Reddemus, & ab eis non quæremus: ſic faciemus, ſicut tu dixiſti. Et vocaui ſacerdotes, & adiuraui eos facere, ſicut verbum hoc.

Et veſtimentum meum excuſſi, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non ſtatuet verbum hoc, è domo eius, & è labore eius: & erit ſic excuſſus, & inanis. Et dixit omnis Eccleſia: Amen. Et laudauerunt Dominum. Et fecit populus verbum hoc.

A die, qua mandauit mihi eſſe in principem eorum in terra Iuda, ab anno vigeſimo, & vſque ad annum trigeſimum & ſecundum Arthaſaſtha, annos duodecim ego, & fratres mei extorſionem eorum non comedi,

Et etiam extorſiones primas quas ante me aggrauauerant ſuper eos, & acceperant ab eis in panibus, & in vino, vltimum argentum didrachma quadraginta. Et excuſſi eorum exercebant poteſtatem ſuper populum. Et ego non feci ſic à facie timoris Dei:

Et in opere muri hæc non tenui, & agrum non acquiſiui, & omnes congregati ibi ad opus.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. V.

FVit autem clamor populi & vxorum eius magnus aduerſus fratres ſuos Iehudæos.

Erant enim qui dicerent, Cum filiis noſtris & filiabus noſtris ſumus multi: accipiamus igitur frumentum, & comedamus, & viuamus.

Erant deinde qui dicerent, Agros noſtros, & vineas noſtras, & domos noſtras pignori damus, vt accipiamus frumentum in fame.

Erant præterea qui dicerent, Mutuum accepimus argentum pro tributo regio, ſuper agros noſtros & vineas noſtras.

Nunc autem ſicut caro fratrum noſtrorum eſt caro noſtra, ſicut filij eorum ſunt filij noſtri: & ecce nos ſubijcimus filios noſtros & filias noſtras in ſeruos, ſuntque iam è filiabus noſtris quæ ſubijciuntur, nec eſt facultas in manibus noſtris ad redimendum, & agros noſtros & vineas noſtras tradidimus aliis,

Iratus itaque ſum vehementer, quum audirem clamorem eorum, & verba iſta.

Et cogitauit cor meum in me, atque increpaui optimates, ac magiſtratus, dixique eis, Vſuram ſinguli à fratribus veſtris accipitis. Et poſui contra eos congregationem magnam:

Ac dixi eis, Nos redemimus fratres noſtros Iehudæos, qui venditi erant Gentibus ſecundum facultatem quæ eſt in nobis, & vos etiam vendetis fratres veſtros, & vendentur nobis? Et ſiluerunt, nec inuenerunt reſponſum.

Præterea dixi, Non eſt bona res quam facitis: annon in timore Dei noſtri ambulabitis propter probrum Gentium inimicarum noſtrarum?

Et ego quoque, fratres mei, & pueri mei commodauimus eis argentum, & frumentum: relinquamus quæſo vſuram hanc.

Reddite quæſo eis hodie agros eorum, vineas eorum, oliueta eorum, & domos eorum, & centeſimam partem argenti, & frumenti, vini, & olei, quam exigitis ab eis.

Reſponderunt, Reddemus, nec quicquam ab eis quæremus: ſic faciemus vt tu dicis. Tum conuocaui Sacerdotes, & adiuraui illos vt facerent iuxta verbum hoc.

Etiam veſtimentum meum excuſſi, ac dixi, Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleuerit verbum iſtud, de domo ſua, & de labore ſuo, & ita ſit excuſſus & vacuus. Et dixerunt totus cœtus, Amen: atque laudauerunt Iehouam: factúq; populus iuxta verbum iſtud.

Quinetiam à die qua præcepit mihi vt eſſem dux eorum in terra Iehudah, nempe ab anno vicesimo vſque ad annum triceſimum ſecundum Arthahſaſthe regis, annis duodecim, nec ego, neque fratres mei panem Ducis comedi.

Duces autem priores qui fuerunt ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis pro pane & vino, poſt argenti ſeclos quadraginta: præterea pueri eorum dominati ſunt populo: ego vero non feci ita propter timorem Dei.

Quin etiam in opere muri huius inſtauraui, nec agrum vllum emimus, & omnes pueri mei congregati erant ibi ad opus.

Vulgat. Editio.

Iudæi quoque & magiſtratus centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant.

Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam: inſuper & annonas ducatus mei non quæſiui: valde enim attenuatus erat populus.

Memento mei Deus meus in bonum, ſecundum omnia quæ feci populo huic.

CAP. VI.

FActum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Goſſem Arabs, & cæteri inimici noſtri quod ædificaſſem ego murum; & non eſſet in ipſo reſidua interruptio (vſque ad tempus autem illud valuas non poſueram in portis)

Miſerunt Sanaballat, & Goſſem ad me, dicentes; Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in Campo Ono. Ipſi autem cogitabant, vt facerent mihi malum.

Miſi ergo ad eos nuncios, dicens: Opus grande ego facio, & non poſſum deſcendere: ne forte negligatur cum venero, & deſcendero ad vos.

Miſerunt autem ad me ſecundum verbum hoc per quatuor vices: & reſpondi eis iuxta ſermonem priorem.

Et miſit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum ſuum, & epiſtolam habebat in manu ſua ſcriptam hoc modo:

IN GENTIBVS auditum eſt, & Goſſem dixit quod tu, & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum: & leuare te velis ſuper eos regem: propter quam cauſam

Et prophetas poſueris, qui prædicent de te in Ieruſalem dicentes: Rex in Iudæa eſt. Auditurus eſt rex verba hæc: idcirco nunc veni vt ineamus conſilium pariter.

Et miſi ad eos, dicens: Non eſt factum ſecundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.

Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod ceſſarent manus noſtræ ab opere, & quieſceremus. Quam ob cauſam magis confortaui manus meas:

Et ingreſſus ſum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij Metabeel ſecreto. Qui ait: Tractemus nobiſcum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia venturi ſunt, vt interficiant te, & nocte venturi ſunt ad occidendum te.

Et dixi: Num quiſquam ſimilis mei fugit? & quis vt ego ingredietur templum, & viuet? non ingrediar.

Et intellexi, quod Deus non miſiſſet eum, ſed quaſi vaticinans locutus eſſet ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxiſſent eum.

Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.

Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, iuxta opera eorum talia: ſed & Noadiæ prophetæ, & cæterorum prophetarum, qui terrebant me.

Completus eſt autem murus vigeſimo quinto die menſis Elul, quinquaginta duobus diebus.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Et Iehudæi, & magiſtratus centum, & quinquaginta viri, & venientes ad nos è gentibus, quæ ſunt in circuitu noſtro, in menſa mea erant.*

18 *Quod autem parabatur per ſingulos dies, erat bos vnus, pecudes ſex electæ, & aues parabantur mihi, & in dies tantum bibebant vini, quantum ſat fuiſſet per decem dies in omni vino ad multiplicandum: & cum hoc panem ducalem non quæſiui: quia grauis erat ſeruitus populo huic.*

19 *Memento mei Deus meus in bonum ſecundum omnia quæ feci populo huic.*

CAP. VI.

1 *ET fuit, cum auditum eſſet ipſi Sanballath, & Thobijah, & Gheſem Arabæ, & reſiduo inimicorum noſtrorum, quod ædificaſſem murum, & non remaneret in eo interruptio, & vſque ad tempus hoc valuas non ſtatueram in portis.*

2 *Miſit Sanballath, & Gheſem ad me, dicendo: Veni, & conueniamus pariter in Chephirim in Campo Ono. Et ipſi cogitabant facere mihi malum.*

3 *Et miſi ad eos nuncios, dicendo: Opus grand: facio, & non poſſum deſcendere: vt quid ceſſabit opus, vt negligam illud, & deſcendam ad vos?*

4 *Et miſerunt ad me iuxta verbum hoc quatuor vicibus: & reſpondi eis iuxta verbum hoc.*

5 *Et miſit ad me Sanballath iuxta verbum hoc vice quinta puerum ſuum, & epiſtolam apertam in manu eius, ſcriptum erat in ea:*

6 *IN GENTIBVS auditum eſt, & Ghaſmu dicit quod tu & Iehudæi cogitatis rebellare, idcirco tu ædificas murum, & tu eris eis rex, ſecundum verba hæc.*

7 *Et etiam prophetas ſtatueris ad prædicandum de te, & de Ieruſalaim, dicendo: Rex in Iehudah eſt. Et nunc diuulgabitur regi ſecundum verba hæc: & nunc veni, & conſilium pariter ineamus.*

8 *Et miſi ad eum, dicendo: Non eſt factum ſecundum verba hæc quæ tu dicis: ſed de corde tuo fingis ea.*

9 *Quia omnes hi terrebant nos, dicendo: Debilitabuntur manus eorum ab opere, & non fiet. Et nunc conforta manum meam.*

10 *Et ego ingreſſus ſum domum Semahiah filii Delaiah, filii Mehetabel, & ipſe clauſus. Et ait: Conueniamus ad domum Dei ad medium templi, & claudamus oſtia templi: quia veniunt ad occidendum te, & nocte veniunt ad occidendum te.*

11 *Et dixi: Num quiſquam ſimilis mihi fugit? & quis vt ego qui ingrediatur templum, & viuat? non ingrediar.*

12 *Et cognoui, & ecce non Deus miſit illum, ſed prophetiam loquutus eſt ad me, & Thobiah & Sanballath conduxit eum mercede.*

13 *Quia mercede conductus erat, vt timerem, & facerem ſic, & peccarem, & eſſet mihi ad nomen malum, vt probris afficerent me.*

14 *Memento Deus meus Thobiah, & Sanballath ſecundum opera eius iſta, & etiam Nohadiah prophetæ, & reſidui prophetarum, qui terrebant me.*

15 *Et perfectus eſt murus vigeſima, & quinta Elul, quinquaginta, & duobus diebus.*

Transl. ex Septuag.

Et Iudæi centum,& quinquaginta viri,& venientes ad nos ex gentibus, quæ in circuitu noſtro, ad menſam meam.

Et erat factum in diem vnum, vitulus vnus, & oues ſex electæ,& hircus vnus fiebant mihi: & inter medium decem dierum,in omnibus vinum multitudine. Et cum his panes extorſionis non quæſiui, quoniam grauis ſeruitus ſuper populum hunc.

Memento mei Deus in bonum,omnia quæcumque feci populo huic.

CAP. VI.

ET factum eſt, ſicut auditum fuit ipſi Sanaballat,& Thobia,& Geſam Arabi,& reliquis inimicorum noſtrorum, quia ædificaui murum; & non remanſit in eis ſpiratio : vſque ad tempus illud valuas non poſueram in portis.

Et miſit Sanaballat,& Geſam ad me,dicens;Veni, & congregemur in idipſum in pagis in campo Ono.Et ipſi cogitantes facere mihi malum.

Et miſi nuncios ad eos, dicens: Opus magnum ego facio, & non potero deſcendere, ne forte ceſſet opus.Cum perfecero illud:deſcendam ad vos.

Et miſerunt ad me, ſicut verbum hoc. Et miſi eis ſecundum hæc.

Et miſit ad me Sanaballat puerum ſuum, & epiſtolam apertam in manu eius. Et erat ſcriptum in ea:

IN GENTIBVS auditum eſt, quia tu,& Iudæi cogitatis rebellare : propter hoc tu ædificas murum:& tu eris eis in regem:

Et ad hæc prophetas ſtatuiſti tibi ; vt ſedeas in Hieruſalem in regem ſuper Iuda.Et nunc annũciabuntur regi verba hæc.Et nunc veni, conſultemus in idipſum.

Et miſi ad eum, dicens: Non fuit,ſicut ſermones hi,ſicut tu dicis:quoniam de corde tuo fingis eos.

Quoniam omnes terrent nos dicentes : Diſſoluentur manus eorum ob opere hoc, & non fiet. Et nunc confortaui manus meas:

Et ego ingreſſus ſum in domum Semei filij Dalaia filij Metabeel : & ipſe clauſus,& dixit : Congregemur in domum Dei in medio eius, & claudamus ianuas eius : quoniam veniunt nocte ad occidendum te.

Et dixi:Quis eſt vir, qui ingredietur in domum, & viuet?

Et cognoui, & ecce Deus non miſerat eum:quoniam prophetia,ſermo contra me.Et Tobias, & Sanaballat

Mercede conduxerunt aduerſus me turbam, vt timeam,& faciam ſic,& peccem, & fiam eis in nomen malum,vt exprobrarent mihi.

Memento Deus Tobia, & Sanaballat, ſicut facta eius hæc,& Noadia prophetæ, & reliquis prophetarum,qui erant terrentes me.

Et perfectus eſt murus quinta & vigeſima Elul menſis in quinquaginta & duobus diebus.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

17 *Iehudai inſuper,& magiſtratus centum & quinquaginta viri, quique veniebant ad nos è gentibus illis quæ ſunt in circuitu noſtro,in menſa mea erant.*

18 *Quod autem parabatur per ſingulos dies, erat bos vnus, pecudes ſex electæ, aues quoque parabantur mihi: intra decem autem dies excipiebam illos cum omni genere vini ad copiam : & cum hoc panem ducis non quæſiui, quia grauis erat ſeruitus illa populo huic.*

19 *Memento mei Deus mi, in bonum, omnium quæ feci populo huic.*

CAP. VI.

1 *FVit autem, quum auditum eſſet à Sanballat, & Tobiyah, & Geſem Arabe illo, & cæteris inimicis noſtris, quod ædificaſſem murum, nec remanſiſſet in eo interruptio : (attamen vſque ad hoc tempus valuas non ſtatueram in portis.)*

2 *Miſit Sanballat & Geſem ad me, his verbis,Veni, & conueniamus pariter in villis in campo Ono. Ipſi autem cogitabant facere mihi malum.*

3 *Miſi quoque ad eos nuntios, his verbis, Opus grande facio, & non poſſum deſcendere : quare ceſſabit opus ipſum quum deſeram illud, vt deſcendam ad vos?*

4 *Miſerunt autem ad me iuxta verbum hoc quatuor vicibus, & reſpondi eis iuxta verbum hoc.*

5 *Miſit inſuper ad me Sanballat eiſdem verbis vice quinta puerum ſuum,& epiſtola aperta in manu eius,*

6 *In qua ſcriptum erat, In Gentibus auditum eſt, & Gaſmu dicit quod tu & Iehudai cogitatis rebellare: idcirco tu ædificas murum, & tu es illis rex, ſecundum verba hæc:*

7 *Et etiam Prophetas ſtatueris vt prædicent de te in Ieruſalaim', dicendo, Eſt rex in Iehudah. nunc vero audietur à rege ſecundum verba hæc : quapropter veni, & conſilium ineamus pariter.*

8 *Tum miſi ad eum, his verbis, Non eſt factum ſecundum verba hæc quæ tu dicis,ſed de corde tuo fingis ea.*

9 *Quia omnes ii terrent nos, dicendo, Debilitabuntur manus eorum ab opere,& non fiet. nunc autem conforta manum meam.*

10 *Et ingreſſus ſum domum Semaiah filii Delaiah filii Mehetabel (ipſe vero erat clauſus) & ait, Conueniamus ad domum Dei intra templum, claudamuſq; oſtia templi, quia veniunt vt occidant te, hac quidem nocte veniunt vt occidant te.*

11 *Tum dixi, Num quiſquam ſimilis mei fugiet? & quis ſimilis mei qui ingrediatur templum, & viuat? non ingrediar.*

12 *Et cognoui,& ecce Deus non miſerat illum,ſed illam prophetiam loquutus erat aduerſum me, & Tobiah & Sanballat conduxit eum mercede.*

13 *Quia mercede conductus fuerat,vt timerem, & facerem ſic, atque peccarem, eſſetq; illis ad nomen malum,vt probris afficerent me.*

14 *Memento Deus mi, Tobiah & Sanballat ſecundum opera ſua iſta, & etiam Noadiah prophetiſſæ, & cæterorum prophetarum qui terruerunt me.*

15 *Perfectus eſt itaque murus ille viceſimaquinta Elul, quinquaginta duobus diebus.*

Vulgat. Editio.

Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro,& concíderent intra semetipsos, & scirent quod à Deo factum esset opus hoc.

Sed & in diebus illis multæ optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos.

Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius,quia gener erat Secheniæ filij Area,& Iohanan filius eius acceperat filiam Mosollam filij Barachiæ:

Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei: & Tobias mittebat epistolas, vt terreret me.

CAP. VII.

POstquam autem ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores, & cantores,& Leuitas:

Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Ierusalem(ipse enim quasi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur)

Et dixi eis:Non aperiantur portæ Ierusalem vsque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ :& posui custodes de habitatoribus Ierusalem,singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam.

Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.

Deus autem dedit in corde meo,&congregaui optimates,& magistratus, & vulgus, vt recenserem eos:& inueni librum census eorum,qui ascenderant primum,& inuentum est scriptum in eo.

* 1. Esdr. 2.1. *Isti filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabúchodonosor rex Babylonis,& reuersi sunt in Ierusalem, & in Iudæam,vnusquisque in ciuitatem suam.

Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, Azarias,Raamias,Nahamani,Mardochæus,Belsam, Mespharath,Bogai,Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel:

Filij Pharos, duo millia centum septuaginta duo:

Filij Saphatia,trecenti septuaginta duo:

Filij Area,sexcenti quinquaginta duo.

Filij Phahathmoab filiorum Iosue & Ioab, duo millia octingenti decem & octo:

Filij Aelam, mille ducenti quinquaginta quatuor.

Filij Zethua,octingenti quadraginta quinque:

Filij Zachai,septingenti sexaginta:

Filij Bannui,sexcenti quadragintaocto:

Filij Bebai,sexcenti vigintiocto:

Filij Azgad,duo millia trecenti viginti duo:

Filij Adonicam,sexcenti sexagintaseptem:

Filij Beguai,duo millia sexaginta septem:

Filij Adin,sexcenti quinquaginta quinque:

Filij Ater,filij Hezeciæ,nonagintaocto.

Filij Hasem,trecenti vigintiocto:

Filij Besai,trecenti vigintiquattuor:

Filij Hareph,centum duodecim:

Filij Gabaon,nonaginta quinque:

Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.

16 *Et fuit, cum audissent omnes inimici nostri,timuerunt omnes gentes,quæ erant in circuitu nostro, & conciderunt valde in oculis suis, & cognouerunt, quod à Deo nostro factum est opus hoc.*

17 *Etiam in diebus illis multiplicabant optimates Iehudah epistolas suas euntes ad Thobiah, & quæ erant ipsi Thobiah veniebant ad eos.*

18 *Multi enim in Iehudah habebant iuramentũ eius,quia gener erat Secheniah filii Arach, & Iochanan filius eius acceperat filiam Mesullam filii Berechiah:*

19 *Etiam bonitates eius dicebant coram me, & verba mea referebant ei: epistolas misit Thobiah ad terrendum me.*

CAP. VII.

1 *ET fuit, cum ædificatus esset murus, & statuissem valuas,& constituti essent ianitores, & cantores,& Leuitæ:*

2 *Præcepi Chanani fratri meo, & Chananiah principi palatii in Ierusalaim, quia ipse erat vir verax, & timens Deum præ multis.*

3 *Et dixi ad eos:Non aperiantur portæ Ierusalaim vsque ad calorem solis.Et adhuc ipsis stantibus claudent valuas, & contignabunt: & statui custodes habitatores Ierusalaim,vnumquemque in custodia sua, & vnumquemque contra domum suam.*

4 *Ciuitas autem erat lata loeis, & grandis, & populus paruus in medio eius,& non erant domus ædificatæ.*

5 *Et posuit Deus in corde meo, & congregaui optimates, & magistratus,vt recenserẽtur secundum seriem generationis:& inueni librum genealogiæ eorum qui ascenderunt primum,& inueni scriptum in eo.*

6 *Isti filii prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate transmigrationis, quam transmigrare fecit Nebuchadnesar rex Babel,& reuersi sunt in Ierusalaim,& in Iehudah vnusquisque in ciuitatem suam.*

7 *Qui venerunt cum Zerubabel,Iesuah, Nechemiah, Hazariah,Rahamiah, Nachamani, Mordochai, Bilsan Misbereth Biguai,Nechum, Bahenah, numerus virorum populi Israel.*

8 *Filii Parhos, duo millia centum, & septuaginta,& duo.*

9 *Filii Sephathiah,trecenti septuaginta,& duo.*

10 *Filii Arach,sexcenti quinquaginta,& duo.*

11 *Filii Pachathmoab de filiis Iesuah, & Ioab duo millia,& octingenti octo,& decem.*

12 *Filii Helam,mille ducenti quinquaginta,& quattuor.*

13 *Filii Zattu,octingenti quadraginta,& quinque.*

14 *Filii Zecchai, septingenti,& sexaginta.*

15 *Filii Binnui, sexcenti quadraginta,& octo.*

16 *Filii Bebai,sexcenti viginti, & octo.*

17 *Filii Hazgad,duo millia sexcenti,viginti, & duo.*

18 *Filii Adonicam, sexcenti sexaginta,& septem.*

19 *Filii Biguai, duo millia sexaginta,& septem.*

20 *Filii Adin, sexcenti quinquaginta, & quinque.*

21 *Filii Ather de Chizchiiah,nongenti, & octo.*

22 *Filii Chasum, trecenti viginti, & octo.*

23 *Filii Besai, trecenti viginti, & quattuor.*

24 *Filii Chariph, centum duodecim.*

25 *Filii Ghibbon nonaginta, & quinque.*

Transl. ex Septuag.

Et factum est, quando audierunt omnes inimici nostri, & timuerunt omnes gentes, quæ in circuitu nostro, & incidit timor valde in oculis eorum: & cognouerunt, quia à Deo nostro factum est, vt perficeretur opus hoc.

Et in diebus illis à multis optimatibus Iuda epistolæ ibant ad Tobiam, & Tobiæ veniebant ad eos:

Quoniam multi in Iuda iuramento coniuncti erant ei; quoniam gener erat Secheniæ filij Herae, & Ionan filius eius acceperat filiam Mesulam filij Barachiæ in vxorem:

Et sermones eius erant dicentes ad me, & verba mea erant afferentes eis. Et epistolas misit Tobias ad terrendum me.

CAP. VII.

ET factum est quando ædificatus est murus, & statui valuas, & recensiti sunt ianitores, & cantores, & Leuitæ.

Et mandaui Anania fratri meo, & Anania principi Bira in Hierusalem; quoniam ipse tanquam vir verax, & timens Deum præ multis.

Et dixi eis: Non aperientur portæ Hierusalem vsque ad simul cum Sole: adhuc ipsis vigilantibus claudantur valuæ & oppilentur: & statue custodes ex habitantibus in Hierusalem: vir in custodia sua, & vir è regione domus suæ.

Et ciuitas lata, & magna & populus paucus in ea: & non erant domus ædificatæ.

Et dedi cor meum, & congregaui optimates, & principes & populum ad conuentus. Et inueni librum conuentus, qui ascenderant in primis. Et inueni scriptum in eo.

Et hi filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate transmigrationis, quam transmigrauit Nabuchodonosor rex Babylonis, & reuertit in Hierusalem, & in Iuda, vir in ciuitatem suam.

Cum Zorobabel, & Iesu, & Neemia, Azaria, & Reelma, Naermani, Mardochæus, Balsan, Maspharat, Esdra, Boguia, Inaum, Baaria, Masphar, viri populi Israel.

Filij Phoros, duo millia centum septuaginta duo:

Filij Saphatia, trecenti septuaginta duo:

Filij Era, sexcenti quinquaginta duo:

Filij Phaathmoab de filiis Iesu, & Ioab, duo millia sexcenti decem octo:

Filij Aelam, mille ducenti quinquaginta quatuor.

Filij Zathiua, octingenti quadraginta quinque:

Filij Zacchu, septingenti sexaginta:

Filij Banui, sexcenti quadragintaocto:

Filij Bebi, sexcenti vigintiocto:

Filij Asgad, duo millia trecenti vigintiduo:

Filij Adonicam, sexcenti sexagintaseptem:

Filij Bagoi, duo millia sexaginta septem:

Filij Edin, sexcenti quinquaginta quinque:

Filij Ater, Ezeciæ, nonagintaocto.

Filij Esam, trecenti vigintiocto:

Filij Besei, trecenti vigintiquattuor:

Filij Ariph, centum duodecim: Filij Asen, ducenti viginti tres.

Filij Gabaon, nonaginta quinque:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

16 *Quum autem audissent omnes inimici nostri, timuerunt omnes gentes quæ erant in circuitu nostro, & conciderunt valde in oculis suis, cognouerunt́q́, quod à Deo nostro factum est opus hoc.*

17 *Etiam diebus illis crebras epistolas mittebant optimates Iehudah ad Tobyah, & quæ erant ipsius Tobiiah veniebant ad eos.*

18 *Multi enim in Iehudah habebant iuramentum eius, quia gener erat Sechaniah filii Arah, & Iehohanan filius eius acceperat filiam Mesullam filii Berechiah.*

19 *Præterea bonitates eius dicebant coram me, & sermones meos referebant ei: Epistolas misit Tobiiah ad terrendum me.*

CAP. VII.

1 *QVum autem ædificatus esset murus, & statuissem valuas, constitutiq́ essent ianitores, & cantores, & Leuitæ:*

2 *Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiah principi palatii, de Ierusalaim (quod ipse esset vir verax, & timens Deum præ multis.)*

3 *Dixi inquam illis: Ne aperiantur portæ Ierusalaim vsque ad calorem solis, & adhuc ipsis adstantibus claudent valuas, & tenebunt. constitui itaque custodes habitantium Ierusalaim, quenque in custodia sua, & quenque e regione domus sua.*

4 *Vrbs autem ipsa erat lata locis, & magna, populus vero paucus in medio eius, nullæq́ erant domus ædificatæ.*

5 *Posuit ergo Deus in corde meo, vt congregarem optimates, & magistratus, atque populum vt recenserentur secundum seriem generationum: & inueni librum genealogiæ eorum qui ascenderant primum, & inueni scriptum in eo,*

6 *Isti sunt filii prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate transmigrationis, quam transmigrare fecit Nebuchad-nesar rex Babel, & reuersi sunt in Ierusalaim, & in Iehudah quisque in ciuitatem suam.*

7 *Qui venerunt cum Zerubbabel, Iesua, Nehemiah, Azariah, Raamiah, Nahamani, Mordochai, Bilsan, Misperet, Biguai, Nehum, Baanah. Numerus virorum populi Israelis,*

8 *Filii Paros, duo millia centum & septuagintaduo.*

9 *Filii Sephatiah, trecenti septuagintaduo.*

10 *Filii Arah, sexcenti quinquagintaduo.*

11 *Filii Pahath-moab de filiis Iesua & Ioab, duo millia octingenti octodecim.*

12 *Filii Elam, mille ducenti quinquagintaquatuor.*

13 *Filii Zatthu, octingenti quadragintaquinque.*

14 *Filii Zacchai, septingenti sexaginta.*

15 *Filii Binnui, sexcenti quadragintaocto.*

16 *Filii Bebai, sexcenti vigintiocto.*

17 *Filii Azgad, duo millia trecenti vigintiduo.*

18 *Filii Adonicam, sexcenti sexagintaseptem.*

19 *Filii Biguai, duo millia sexagintaseptem.*

20 *Filii Adin, sexcenti quinquagintaquinque.*

21 *Filii Ater de Hizchiah, nonagintaocto.*

22 *Filii Hasum, trecenti viginti octo.*

23 *Filii Besai, trecenti vigintiquatuor.*

24 *Filii Hariph, centum duodecim.*

25 *Filii Gibon, nonagintaquinque.*

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct.Pagn.
Filij Bethlehem, & Netupha, centum octoginta octo.	26	*Viri Bethlehem, & Nethophah, centum octoginta, & octo.*
Viri Anathoth, centum vigintioctо;	27	*Viri Hanathoth, centum viginti, & octo.*
Viri Bethazmoth, quadraginta duo.	28	*Viri Bethhazmaueth, quadraginta, & duo.*
Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, ſeptingenti quadragintatres.	29	*Viri Chiriathieharim Chephirah, & Beroth ſeptingenti quadraginta, & tres.*
Viri Rama & Geba, ſexcenti vigintiunus.	30	*Viri Ramah, & Nabah, ſexcenti viginti, & vnus.*
Viri Machmas, centum viginti duo.	31	*Viri Michmas, centum viginti, & duo.*
Viri Bethel & Hai, centum vigintitres.	32	*Viri Bethel, & Hai, centum viginti, & tres.*
Viri Nebo alterius quinquagintaduo.	33	*Viri Nebo alterius, quinquaginta, & duo.*
Viri Aelam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.	34	*Filij Helam alterius, mille ducenti quinquaginta, & quattuor.*
Filij Harem, trecenti viginti.	35	*Filij Harim, trecenti, & viginti.*
Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque.	36	*Filij Ierecho, trecenti quadraginta, & quinque.*
Filij Lod Hadid & Ono, ſeptingenti viginti vnus.	37	*Filij Lodcharid, & Ono ſeptingenti, & viginti vnus.*
Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.	38	*Filij Senaah, tria millia nongenti, & triginta.*
Sacerdotes: Filij Idaia in domo Ioſue, nongenti ſeptuagintatres.	39	*Sacerdotes: filij Iedahiah de domo Ieſuah, nongenti ſeptuaginta, et tres.*
Filij Emmer, mille quinquagintaduo.	40	*Filij Immer, mille quinquaginta, & duo.*
Filij Phashur, mille ducenti quadragintaſeptem.	41	*Filij Paſchur, mille ducenti quadraginta, & ſeptem.*
Filij Arem, mille decem & ſeptem.	42	*Filij Harim, mille ſeptem, & decem.*
Leuitæ: Filij Ioſue & Cedmihel filiorum	43	*Leuitæ: Filij Ieſuah de Chadmiel*
Oduiæ, ſeptuagintaquattuor.	44	*De filiis Lehoduah ſeptingenta, & quattuor.*
Cantores: Filij Aſaph, centum quadragintaocto.	45	*Cantores: Filij Aſaph, centum quadraginta, & octo.*
Ianitores: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: centum triginta octo.	46	*Ianitores: filij Sallum, filij Atther, filij Talmon, filij Hachub, filij Chathitha, filij Sobai, centum triginta, & octo.*
Nathinæi: filij Soha, filij Haſupa, filij Tebbaoth.	47	*Nethinim: filii Sicha, filii Chaſupha, filii Thabaoth,*
Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon, filij Lebana, filij Hagaba, filij Selmai,	48	*Filii Cheros, filii Siha, filii Padon, filii Lebanah, filii Chaghaba, filii Salmai.*
Filij Hanen, filij Geddel, filij Gaher,	49	*Filii Chanan, filii Ghiddel, filii Ghachar.*
Filij Raaia, filij Raſin, filij Necoda.	50	*Filii Reaiah, filii Reſin filii Necudah.*
Filij Gezem, filij Aza, filij Phaſea,	51	*Filii Ghazam, filii Huzza, filii Paſeach.*
Filij Beſai, filij Munim, filij Nephuſſim,	52	*Filii Beſai, filii Mehunim, filii Nephuſſim.*
Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur,	53	*Filii Bacbuc, filii Chacupha, filii Charchur.*
Filij Beſloth, filij Mahida, filij Harſa,	54	*Filii Baſlith, filii Mechida, filii Gharſa,*
Filij Bercos, filij Siſara, filij Thema,	55	*Filii Barcos, filii Siſra, filii Tamach.*
Filij Naſia, filij Hatipha,	56	*Filii Neſiach, filii Cathipha.*
Filij ſeruorum Salomonis, filij Sothai, filij Sophereth, filij Pharida,	57	*Filii ſeruorum Salomoh, filii Sothai, filii Sophereth, filii Peridah.*
Filij Iahala, filij Darcon, filij Ieddel,	58	*Filii Iahala, filii Darcon, filii Ghiddel.*
Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.	59	*Filii Sephathiah, filii Chathil, filii Pochereth de Haſebaim, filii Amon.*
Omnes Nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.	60	*Omnes Nethinim, & filii ſeruorum Salomoh, trecenti nonaginta, & duo.*
Hi ſunt autem, qui aſcenderunt de Thelmela, Thelharſa, Cherub, Addon, & Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum, vtrum ex Iſrael eſſent.	61	*Et iſti qui aſcenderunt de Telmelach, Telcharſa, Cherub, Addon, & Immer: & non potuerunt indicare domum patrum ſuorum, & ſemen ſuum, an ex Iſrael eſſent.*
Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, ſexcenti quadragintaduo.	62	*Filii Delaiah, filii Thobiah, filii Nechoda, ſexcenti quadraginta, & duo.*
Et de Sacerdotibus, filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem: & vocatus eſt nomine eorum.	63	*Et de ſacerdotibus, filii Chobaiah, filii Hachos, filii Barzillai, qui accepit de filiabus Barzillai Ghilhaditis vxorem, & vocatus eſt nomine earum.*
Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu, & non inuenerunt: & eiecti ſunt de ſacerdotio.	64	*Iſti quæſierunt ſcripturam ſuam qua ſeries generationis eorum recenſeretur, & non eſt inuenta, & elongati ſunt à ſacerdotio.*
Dixitque Atherſatha eis vt non manducarent de Sanctis ſanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus.	65	*Et dixit Tirſatha eis, vt non manducarent de Sanctitate ſanctitatium, donec ſtaret ſacerdos in Vrim, & Tummin.*
Omnis multitudo quaſi vir vnus quadragintaduo millia trecenti ſexaginta.	66	*Omnis congregatio tamquam vnus quater decem millia trecenti, & ſexaginta.*
Abſque ſeruis & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, & inter eos cantores & cantatrices, ducenti quadragintaquinque.	67	*Præter ſeruos eorum, & ancillas: iſti erant ſeptem millia trecenti triginta & ſeptem, & inter eos cantores, & cantatrices ducenti quadraginta quinque.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Filij Bæthleem, centum vigti tres: Filii Atopha, quinquagintasex:	26	*Viri Beth-lehem & Netophah, centum octogintaocto.*
Filii Anathoth, centum vigintiocto;	27	*Viri Anathoth, centum vigintiocto.*
Viri Bethsamoth, quadraginta duo:	28	*Viri Beth-azmaueth, quadragintaduo.*
Viri Cariathiarim, Caphira, & Beroth, septingenti quadragintatres.	29	*Viri Ciriath-iearim, Chephirah, & Beeroth septingenti quadragintatres.*
Viri Arama, & Gabaa, sexcenti viginti:	30	*Viri Ramah, & Geba, sexcenti vigintivnus.*
Viri Machemias, centum viginti duo.	31	*Viri Michmas, centum vigintiduo.*
Viri Bæthel & Ai, centum vigintitres.	32	*Viri Beth-el & Ai, centum vigintitres.*
Viri Nabia, centum quinquagintaduo.	33	*Viri Nebo alterius, quinquagintaduo.*
Viri Elamaar, mille ducenti quinquagintaduo:	34	*Filij Elam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.*
Filij Eram, trecenti viginti:	35	*Filij Harim, trecentiviginti.*
Filij Hiericho, trecenti quadragintaquinque.	36	*Filij Iereho, trecenti quadragintaquinque.*
Filij Lodadid & Ono, & septingenti viginti vnus:	37	*Filij Lod-hadid & Ono septingenti vigintivnus.*
Filij Sanana, tria millia nongenti triginta.	38	*Filij Senaah, tria millia nongenti & triginta.*
Sacerdotes: Filij Iodae in domo Iesu, nongenti septuagintatres.	39	*Sacerdotes: filij Iedaiah de domo Iesua, nongenti septuagintatres.*
Filij Emmer, mille quinquagintaduo.	40	*Filij Immer, mille quinquagintaduo.*
Filij Phascur, mille ducenti quadragintaseptem.	41	*Filij Pashur, mille ducenti quadragintaseptem.*
Filij Eram, mille decem septem.	42	*Filij Harim, mille septendecim.*
Leuitæ: Filij Iesu ipsius Cadmiel de filiis	43	*Leuitæ: Filij Iesua de Cadmiel de filiis Hoduah, septuagintaquatuor.*
Vduia, septuagintaquattuor.	44	
Cantores: Filij Asaph, centum quadragintaocto.	45	*Cantores: Filij Asaph, centum quadragintaocto.*
Ianitores: filij Salum, filij Aser, filij Telmon, filij Acub, filij Atita, filij Sabi: centum trigintaocto.	46	*Ianitores: filij Sallum, filij Ater, filij Talmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai, centum trigintaocto.*
Nathinim, filij Sea, filij Aspha, filij Tabaoth,	47	*Nethinæi: filii Siha, filii Hasupha, filii Tabaoth,*
Filij Ciras, filij Asuia, filij Phadon, filij Labana, filij Agaba, filij Selemei,	48	*Filii Ceros, filii Sia, filii Padon,* *Filii Lebanah, filii Hagaba, filii Salmai,*
Filij Anan, filij Gadel, filij Gaar,	49	*Filii Hanan, filii Giddel, filii Gahar,*
Filij Raaia, filij Rasson, filij Necoda.	50	*Filii Reaiah, filii Resin filii Necodah,*
Filij Gezam, filij Ozi, filij Phese,	51	*Filii Gazzam, filii Vzza, filii Paseah,*
Filij Besi, filij Meinon, filij Nephosasi,	52	*Filii Besai, filii Meunim, filii Nephisesim,*
Filij Bacbuc, filij Achipha, filij Arur,	53	*Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,*
Filij Basaloth, filij Mida, filij Adasan,	54	*Filii Basiith, filii Mehida, filii Harsa,*
Filij Barcue, filij Sisarath, filij Thema,	55	*Filii Barcos, filii Sisera, filii Thamah,*
Filij Nisia, filij Asepha,	56	*Filii Nesiah, filii Hatipha.*
Filij seruorum Salomon, filij Sutei, filij Sapharat, filij Pherida,	57	*Filii seruorum Selomoh: filii Sotai, filii Sophereth, filii Peridah,*
Filij Ielel, filij Dorcon, filij Gadael,	58	*Filii Iaala, filii Darcon, filii Giddel.*
Filij Saphatia, filij Ettel, filij Phacharat, filii Sabaim, filii Emim,	59	*Filii Sephatiah, filii Hattil, filii Pocheret de Hasebaim, filii Amon.*
Omnes Nathinim, & filij seruorum Salomon, trecenti nonaginta duo.	60	*Omnes Nethinæi, & filii seruorum Selomoh, trecenti nonagintaduo.*
Et hi ascenderunt è Thelmeleth, Thelaresa, Charub, Erom, Iemer, & non potuerunt annunciare domos patriarum suarum, & semen suum, si de Israel sunt:	61	*Et isti sunt qui ascenderunt de Thel-melah, Thel-harsa, Cherub, Addon, & Immer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, an ex Israele essent.*
Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, sexcenti quadragintaduo.	62	*Filii Delaiah, filii Tobiiah, filii Necoda, sexcenti quadragintaduo.*
Et de Sacerdotibus, filij Ebia, filij Acos, filij Berzelli, quoniam acceperunt de filiabus Berzelli Galaauitæ vxores: & vocati sunt in nomine earum.	63	*Et de Sacerdotibus, filii Hobaiah, filii Haccos, filii Barzillai, qui accepit de filiabus Barzillai Giladitæ vxorem: & vocatus est nomine earum.*
Hi quæsierunt scripturam suam conuentus: & non est inuenta: & abdicati sunt à sacerdotio.	64	*Isti quæsierunt scripturam suam qua series generationis eorum recenseretur, & non est inuenta: & ideo repudiati sunt à Sacerdotio.*
Et dixit Athersastha, vt non comedant de Sancto sanctorum; quoadusque surgat sacerdos illuminatus.	65	*Et dixit Thirsatha eis ne manducarent de sanctitate sanctitatum, donec staret Sacerdos in Vrim, & Thummim.*
Et fuit omnis Ecclesia quasi quadraginta duo millia trecenti sexaginta,	66	*Vniuersa congregatio tanquam vir vnus quater decem millia trecenti sexaginta:*
Absque seruis eorum, & ancillis eorum. Hi septem millia trecenti triginta septem. Et cantores, & cantatrices, ducenti quadragintaquinque.	67	*Præter seruos eorum, & ancillas: isti erant septem millia trecenti triginta septem: inter eos item erant cantores & cantatrices ducenti & quadraginta quinque.*

Vulgat. Editio.

Equi eorum, ſeptinginti triginta ſex: muli eorum,ducenti quadragintaquinque: 68

Cameli eorum, quadringinti triginta quinque: aſini,ſex millia ſeptingenti viginti. 69

Hucuſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit, exin Nehemiæ hiſtoria texitur.

Nonnulli autem de principibus familiarum dederũt in opus. Atherſatha dedit in theſaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta,tunicas ſacerdotales quingentas triginta. 70

Et de principibus familiarum dederunt in theſaurum operis auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas. 71

Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia,& argenti mnas duo millia, & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem. 72

Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ,& ianitores,& cantores,& reliquum vulgus, & Nathinæi,& omnis Iſrael in ciuitatibus ſuis. 73

CAP. VIII.

ET venerat menſis ſeptimus: filij autem Iſrael erant in ciuitatibus ſuis. Congregatuſque eſt omnis populus quaſi vir vnus ad plateam, quæ eſt ante portam aquarum: & dixerunt Eſdræ ſcribæ, vt afferret Librum legis Moyſi,quam præceperat Dominus Iſraeli. 1

Attulit ergo Eſdras ſacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum,cunctiſque qui poterant intelligere,in die prima menſis ſeptimi. 2

Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum,de mane vſque ad mediam diem, in conſpectu virorum & mulierum, & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum. 3

Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradũ ligneum, quem fecerat ad loquendum: & ſteterunt iuxta eum Mathathias,& Semeia,& Ania,& Vria, & Helcia,& Maaſia, ad dexteram eius: & ad ſiniſtram, Phadaia,& Melchia,& Haſum, & Hasbadana, Zacharia,& Moſollam. 4

Et aperuit Eſdras Librum coram omni populo: ſuper vniuerſum quippe populum eminebat: & cum aperuiſſet eum,ſtetit omnis populus. 5

Et benedixit Eſdras Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus:Amen, Amen: eleuans manus ſuas: & incuruati ſunt, & adorauerunt Deum proni in terram. 6

Porro Ioſue,& Bani,&Serebia,Iamin, Accub, Septhai,Odia Maaſia, Celita, Azarias,Iozabed,Hanan, Phalaia, Leuitæ, ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem ſtabat in gradu ſuo. 7

Et legerunt in Libro legis Dei diſtincte, & aperte ad intelligendum: & intellexerunt cũ legeretur. 8

Dixit autem Nehemias (ipſe eſt Atherſatha) & Eſdras ſacerdos & ſcriba, & Leuitæ interpretantes vniuerſo populo: Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro,nolite lugere,&nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. 9

Et dixit eis:Ite,comedite pinguia,& bibite mulſum, & mittite partes his,qui non præparauerunt ſibi: quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari:gaudium etenim Dñi eſt fortitudo noſtra. 10

Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo,dicentes:Tacete,quia dies ſanctus eſt, & nolite dolere, 11

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Equi eorum ſeptingenti triginta, & ſex: muli eorum ducenti quadragintaquinque. 68

Cameli quadringenti triginta, & quinque: aſini ſex millia ſeptingenti, & viginti. 69

Et aliqui è principibus dederunt in opus. Tirſatha dedit in theſaurum drachmas mille, crateras quinquaginta, tunicas ſacerdotum triginta, & quingentas. 70

Et de principibus familiarum dederunt in theſaurum operis auri drachmas bis decem millia, & argenti minas duo millia, & ducentas. 71

Et quod dederunt reſiduum populi auri drachmas bis decem millia, & argenti minas duo millia, & tunicas ſacerdotum ſexaginta, & ſeptem. 72

Habitauerunt autem ſacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & de populo, & Nethinim, & omnis Iſrael in vrbibus ſuis, & contigit menſis ſeptimus, & filij Iſrael erant in ciuitatibus ſuis. 73

CAP. VIII.

ET congregati ſunt omnis populus tamquam vir vnus ad plateam quæ eſt ante portam aquarum, & dixerunt Hezræ ſcribæ, vt afferret Librum Legis Moſeh, quam præcepit Dominus Iſraeli. 1

Et attulit Hezra ſacerdos legem coram multitudine à viro vſque ad mulierem, & omnem intelligentem, vt audiret die prima menſis ſeptimi. 2

Et legit in eo ante plateam quæ erat ante portam aquarum, à luce vſque ad dimidium diem coram viris, & mulieribus, & intelligentibus, & aures omnis populi erant ad librum legis. 3

Et ſtetit Hezra ſcriba ſuper ſuggeſtum ligneum quod fecerunt propter verbum, & ſtetit iuxta eum Matthithiah, & Semah, & Hanaiah, & Vriah, & Chilchiyah, & Mahaſeiah, ad dexteram eius: à ſiniſtra vero eius Pedaiah, Miſael, & Malchiyah, & Chaſum, & Chasbadanah, Zechariah, & Meſullam. 4

Et aperuit Hezra librum in oculis omnis populi, quia ſupra omnem populum erat: & cum aperuiſſet ſtetit omnis populus. 5

Et benedixit Hezra Domino Deo magno: & reſpondit omnis populus: Amen, Amen: cum exaltatione manuum ſuarum: & incuruati ſunt, & adorauerunt Dominum proni in terra. 6

Et Ieſuah, & Bani, & Serebiah, Iamin, Haccob, Sabbethai, Hodaiah, Mahaſeiah, Chelitha, Hazariah, Iozabad, Chanan, Pelaiah, & Leuitæ intelligere faciebant populum legem, populus autem erat in loco ſuo. 7

Et legerunt in libro, in lege Dei expoſiti, & poſitus eſt intellectus, & intellexerunt ſcripturam. 8

Et dixit Nechemiah (ipſe eſt Tirſata) & Hezra ſacerdos ſcriba & Leuitæ intelligere faciebat populum omni populo: Dies ſanctus eſt Domino Deo noſtro, ne lugatis, & ne fleatis: flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. 9

Et dixit eis: Ite comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes ei qui non parauit ſibi, quia ſanctus dies Domino noſtro, & ne contriſtemini, quia gaudium Domini eſt fortitudo veſtra. 10

Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo, dicendo: Tacete, quia dies ſanctus eſt, & ne doleatis. 11

Transl. ex Septuag.

Asini, duo millia septingenti. *

*Reliquaque deberẽt respondere nostrę vulgatæ desunt in hac trãslat.

Et de parte principum patriarum dederunt ad opus Neemiæ in thesaurum aureos mille, phialas quinquaginta, & Chothonoth sacerdotum triginta.

Et de principibus patriarum dederunt in thesauros operis, auri numismatis viginti millia, & argenti minas, bis mille quadringentas.

Et dederunt reliqui de populo auri viginti millia, & argenti minas, bis mille ducentas, & Chothonoth sacerdotum, sexaginta septem,

Et sederunt sacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & qui de populo, & Nathinim, & omnis Israel in ciuitatibus suis.

CAP. VIII.

ET aduenit mensis septimus, & filij Israel in ciuitatibus suis. Et congregati sunt omnis populus tamquam vir vnus in plateam, quæ ante portam aquæ. Et dixerunt Esdræ scribæ, vt afferret Librum legis Moysi, quam mandauit Dominus Israel.

Et attulit Esdras sacerdos legem coram Ecclesia à viro vsque ad mulierem, & omnis intelligens, ad audiendum in die vna mensis septimi.

Et legit in eo ab hora illuminationis Solis vsque ad dimidium diei, coram viris, & mulieribus: & ipsi intelligentes: & aures omnis populi ad librum legis.

Et stetit Esdras scriba super gradum ligneum: & steterunt iuxta eum Matthathias, & Samaias, & Ananias, & Vrias, & Chelcia, & Maasia à dextris eius, & à sinistris Phadaias, & Misael, & Melchias, & Asom, & Asabadma, & Zacharias, & Mesellam.

Et aperuit Esdras librum in cõspectu omnis populi: quoniam ipse erat supra populum. Et factum est, quando aperuit illum; stetit omnis populus.

Et benedixit Esdras Dominum Deum magnum. Et respondit omnis populus, & dixerunt: Amen, eleuantes manus suas. Et inclinarunt, & adorauerunt Dominum in faciem super terram.

Et Iesus, & Banaias, & Saradias erant instruentes populum in lege. Et populus in statione sua.

Et legerunt in libro legis Dei: & docuit Esdras, & distinxit in scientia Domini, & intellexit populus in lectione.

Et dixit Neemias, & Esdras sacerdos, & scriba, & Leuitæ, & qui instruebant populum: & dixerunt omni populo: Dies sancta est Domino Deo nostro: ne lugeatis, neque ploretis; quoniam plorabat omnis populus, vt audiuerunt verba legis.

Et dixit eis: Ite, comedite pinguedines, & bibite dulcedines, & mittite partes non habentibus: quia sancta est dies Domino nostro: & ne concidatis: quoniam est Dominus fortitudo nostra.

Et Leuitæ silere faciebant omnem populum; dicentes: Silete, quoniam dies sancta: & ne concidatis.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

68 *Equi eorum septingenti triginta sex: muli eorum ducenti quadraginta quinque:*

69 *Cameli, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti.*

70 *Aliqui autem è principibus familiarum dederunt in opus: Thirsatha dedit in thesaurum, auri drachmas mille, crateras quinquaginta, vestes Sacerdotum triginta & quingentas.*

71 *Aliquot vero de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmarum bis decem millia, & argenti minarum duo millia ac ducentas.*

72 *Quæ præterea dederunt residuum populi, fuerunt auri drachmarum bis decem millia, & argenti minarum duo millia, & vestes Sacerdotum sexaginta septem.*

73 *Habitauerunt autem Sacerdotes & Leuitæ, & ianitores, & cantores, & de populo & Nethinæi, vniuersus quoque Israel in vrbibus suis, & aduenit mensis septimus, filijq; Israelis erant in ciuitatibus suis.*

CAP. VIII.

1 *COngregati sunt itaque vniuersus populus tanquam vir vnus in platea quæ erat ante portam aquarum, dixeruntq; Ezræ scribæ vt afferret librum Legis Mosch quam præceperat Iehouah Israeli.*

2 *Attulit igitur Ezra Sacerdos Legem coram congregatione illa, tam virorum quam mulierum, & omnium intelligentium, audiendo, die prima mensis septimi.*

3 *Et legit in eo ante plateam quæ erat ante portam Aquarum, à luce ipsa vsque ad meridiem coram viris & mulieribus, & intelligentibus: & aures totius populi erant ad librum Legis.*

4 *Stabat autem Ezra scriba super suggestum ligneum quod fecerant propter verbum, stabatq; iuxta eum Matthithiah, & Sema, & Anaiah, & Vrijah & Hilciiah, & Maaseiah ad dexteram eius: à sinistra vero eius, Pedaiah & Misael, & Malchiiah, & Hasum, & Hasbadanah, Zechariah, & Mesullam.*

5 *Aperuit itaque Ezra librum in oculis totius populi, quia supra vniuersum populum erat: quumq; cœpisset aperire, stetit vniuersus populus.*

6 *Et benedixit Ezra Iehouæ Deo magno: respondit que vniuersus populus, Amen, amen, cum eleuatione manuum suarum: postea incuruauerunt se, atque adorauerunt Iehouam proni in terra.*

7 *Iesua autem, & Bani, & Serebiah, Iamin, Accob, Sabbethai, Hodiiah, Maasciah, Celita, Azariah, Iozabad, Hanan, Pelaiah, & Leuitæ intelligere faciebant populum Legem: populus autem erat in loco suo.*

8 *Et legerunt in libro ipso, in Lege Dei, explanatè, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt scripturam ipsam.*

9 *Dixit autem Nehemiah (ipse est Thirsatha) & Ezra, Sacerdos, Scriba, & Leuitæ qui intelligere faciebant populum, vniuerso populo, Dies sanctus est Iehouæ Deo nostro, ne lugeatis, neque fleatis. Flebat enim vniuersus populus quum audiret verba Legis.*

10 *Dixit præterea illis, Ite, comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes ei cui nihil est paratum, quia sanctus dies Domino nostro: neque contristemini, quia gaudium Iehouæ est fortitudo vestra.*

11 *Leuitæ autem silere faciebant vniuersum populum, dicendo, Tacete, quia dies sanctus est, & ne doleatis.*

Vulgat. Editio.

Abiit itaque omnis populus vt comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

Et in die secundo congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram scribam, vt interpretaretur eis verba Legis.

Et inuenerunt scriptum in Lege præcepisse Dominum in manu Moysi vt habitent filij Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo:

Et vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuersis vrbibus suis, & in Ierusalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi vt fiant tabernacula, sicut scriptum est.

Et egressus est populus, & attulerunt. Fecerunt-que sibi tabernacula vnusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.

Fecit ergo vniuersa ecclesia eorum, qui redierant de captiuitate, tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: non enim fecerant à diebus Iosue filij Nun taliter filij Israel vsque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.

Legit autem in Libro legis Dei per dies singulos, à die primo vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum.

CAP. IX.

IN die autem vigesimoquarto mensis huius conuenerunt filij Israel in ieiunio & in saccis, & humus super eos.

Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum.

Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

Surrexerunt autem super gradum Leuitarum Iosue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.

Et dixerunt Leuitæ Iosue, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathathia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno vsque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude.

Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuersa quæ in in ea sunt: maria, & omnia quæ in eis sunt; & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.

* Gen. 11. 31. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, & * eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.

Et inuenisti cor eius fidele coram te: & percussisti cum eo fœdus vt dares ei terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Gergesæi, vt dares semini eius: & implesti verba tua, quoniam iustus es.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *Et abierunt omnis populus ad comedendum, & bibendum, & ad mitendum partes, & ad faciendum lætitiam magnam, quia intellexerunt secundum verba quæ notificauerat eis.*

13 *Et in die secunda congregati sunt principes familiarum vniuersi populi sacerdotes, & Leuitæ ad Hezra scribam, & ad intelligendum verba legis.*

14 *Et inuenerunt scriptum in lege, quam præcepit Dominus per manũ Mosch, vt habitarent filij Israel in tabernaculis, in solemnitate, in mense septimo.*

15 *Et audire facerent, & transire facerent vocem per vniuersas vrbes suas, & per Ierusalaim dicendo: Egredimini in montem & afferte frondes oliuæ, & frondes arboris pinus, & frondes myrti, & frondes palmarum & frondes ligni densi, vt faciatis tabernacula sicut scriptum est.*

16 *Et egressi sunt populus, & attulerunt: feceruntq; sibi tabernacula vnusquisque in tecto suo, & in atrijs suis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.*

17 *Et fecerunt omnis cœtus, qui redierunt de captiuitate tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: quia non fecerunt à diebus Ihosuah filij Nun, sic filij Israel vsque ad diem illum, & fuit lætitia magna valde.*

18 *Legit autem in libro legis per singulos dies à die primo vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & die octauo collectam iuxta morem.*

CAP. IX

1 *IN die autem vigesima, & quarta mensis huius congregati sunt filij Israel in ieiunio, & saccis, & terra super se.*

2 *Et separauerunt se filij Israel ab omnibus filiis alienigenis, & steterunt, & confessi sunt peccata sua, & iniquitates patrum suorum.*

3 *Et surrexerunt in loco suo, & legerunt in libro legis Dei sui, quater in die, & quater confessi sunt, & incuruauerunt se Domino Deo suo.*

4 *Surrexit autem super gradum Leuitarum Iesuah & Bani, Chadmiel, Sebaniah, Buni, Serebiah, Bani Chenani, & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.*

5 *Et dixerunt Leuitæ Iesuah, & Chadmiel, Bani, Chasabneiah, Serebiah, Hodiiah, Sebaniah, Perhachiah, Surgite, benedicite Domino Deo nostro à sæculo, & vsque in sæculum: & benedicant nomini gloriæ tuæ, & excelso super omnem benedictionem, & laudem.*

6 *Tu Domine solus fecisti cœlum, cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuersa quæ sunt in ea: maria, & vniuersa quæ sunt in eis, & viuificas omnia hæc, & exercitus cœli tibi se incuruant.*

7 *Tu ipse Domine Deus elegisti Abram, & eduxisti eum de Vr Chasdim: & posuit nomen eius Abraham.*

8 *Et inuenisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus vt dares terram, Chenahanæi, Chittæi, & Emorræi, & Perizæi, & Iebusæi, & Ghirghasæi, vt dares semini eius: & confirmasti verba tua, quia iustus es,*

Transl. ex Septuag.

Et abiit omnis populus comedere, & bibere, 12
& mittere partes, & facere lætitiam magnam; quoniam intellexerant in verbis, quæ notificauerat eis.

Et in die secunda congregati sunt principes patriarum cum omni populo, sacerdotes & Leuitæ 13
ad Esdram scribam, ad intelligendum ad omnia verba legis.

Et inuenerunt scriptum in lege, quam mandauit Dominus Moysi; vt habitent filij Israel in 14
tabernaculis in festiuitate in mense septimo,

Et vt significent tubis in omnibus ciuitatibus 15
ipsorum, & in Hierusalem. Et dixit Esdras: Exite in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes lignorum cupressinorum, & frondes myrti, & frondes palmarum, & frondes ligni densi ad faciendum tabernacula iuxta id, quod scriptum est.

Et exiuit populus, & attulerunt, & fecerunt sibi 16
tabernacula vir in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platæis ciuitatis, & vsque ad portam Ephræm.

Et fecerunt omnis Ecclesia, qui reuerterant è 17
captiuitate, tabernacula, & sederunt in tabernaculis: quoniam non fecerunt à diebus Iesu filij Naue sic filij Israel vsque in diem illam. Et facta est lætitia magna.

Et legit in libro legis Dei, diem in die à die prima 18
vsque ad diem vltimam. Et fecerunt festiuitatem septem diebus, & die octaua Exodium iuxta iudicium.

CAP. IX.

ET in die vigesima & quarta mensis huius con- 1
gregati sunt filij Israel in ieiunio, & in saccis, & cinere super caput suum.

Et separati sunt filij Israel ab omni filio alieno: 2
& steterunt, & confessi sunt peccata sua, & iniquitates patrum suorum.

Et steterunt in statione sua: & legerunt in libro 3
legis Domini Dei sui: & fuerunt confitentes Domino, & adorantes Dominum Deum suum.

Et stetit super ascensum Leuitarum Iesus, & fi- 4
lij Cadmiel, Sechenia filius Sarabia, filij Choneni: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.

Et dixerunt Leuitæ, Iesus, & Cadmiel: Surgite, 5
benedicite Dominum Deum nostrum à sæculo, & vsque in sæculum: & benedicent nomen gloriæ tuæ, & exaltabunt in omni benedictione & laude.

Et dixit Esdras; Tu es ipse Dominus solus, tu fe- 6
cisti cœlum & cœlum cœli, & omnem stationem eorum, terram, & omnia, quæcumque sunt in ea, maria, & omnia, quæ in eis: & tu viuificas omnia, & te adorant exercitus cœlorum.

Tu es Dominus Deus: tu elegisti in Abram, & e- 7
duxisti eum de regione Chaldæorum, & imposuisti ei nomen Abraham.

Et inuenisti cor eius fidele coram te; & dispo- 8
suisti ad eum testamentum dare ei terram Chananæorum, & Chettæorum, & Amorræorum, & Pherezæorum, & Iebusæorum, & Gergesæorum, & semini eius. Et statuisti verba tua, quoniã iustus tu:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Abierunt itaque vniuersus populus vt comederet, & biberet, & vt mitteret partes, atque lætaretur lætitia magna: quia intellexerat verba quæ docuerant eos.

Postridie autem congregauerunt se principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes, & Leuitæ, ad Ezra scribam, vt intelligerent verba legis.

Inuenerunt autem scriptum in Lege quam præceperat Iehouah per manum Moseh, vt habitarent filij Israelis in tabernaculis, in solennitate ipsa, mense septimo,

Et audiri facerent ac transire vocem per vniuersas vrbes suas, & per Ierusalaim, dicendo, Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes arboris pinus, & frondes myrti, & frondes palmarum, & frondes arboris densæ: vt faciatis tabernacula quædam, sic vt scriptum est.

Egressi sunt itaque populus, atque attulerunt, fecerunt́q; sibi tabernacula, quisque super tectum suum, & in atrijs suis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ Aquarum, & in platea portæ Ephraim.

Fecerunt inquam vniuersus cœtus qui redierant de captiuitate, tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: non enim fecerant à diebus Iehosua filij Nun, sic filij Israelis vsque ad diem illum: fuitque lætitia magna valde.

Legit autem in libro Legis Dei per singulos dies à die primo vsque ad diem nouissimum: fecerunt́q; solennitatem septem diebus, die autem octauo collectam iuxta morem.

CAP. IX

PORro vicesima quarta die mensis huius congregauerunt sese filij Israelis in ieiunio, & cum saccis, ac terra erat super eos.

(Separauerant autem sese ab omnibus alienigenis) & steterunt, ac confessi sunt peccata sua, & iniquitates patrum suorum.

Surrexerunt́q; in loco suo, & legerunt in libro Legis Iehouæ Dei sui quater in die, & quater confessi sunt, atque adorauerunt Iehouam Deum suum.

Surrexit autem super gradum Leuitarum Iesua, & Bani, Cadmiel, Sebaniah, Bunnai, Serebiah, Bani Chenani: clamauerunt́q; voce magna ad Iehouam Deum suum.

Ac dixerunt Leuitæ illi, nempe Iesua, & Cadmiel, Bani, Hasabneiah, Serebiah, Hodiiah, Sebaniah, Pethahiah, Surgite, benedicite Iehouæ Deo vestro à sæculo, & vsque in sæculum: & benedicant nomini gloriæ tuæ, & excelso super omnem benedictionem, & laudem,

Tu es ô Iehoua solus, tu feciſti cœlum, cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & omnia quæ sunt in ea: maria, & vniuersa quæ sunt in eis: viuificas quoq; omnia hæc, & exercitus cœlorum te adorant.

Tu es, ô Iehoua, Deus ille qui elegisti Abram, & eduxisti eum de Vr Chasdim: posuistiq; nomen eius Abraham.

Inuenisti autem cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus quod dares terram Chenaanæi, Hitthæi, & Emoræi, & Perizæi, & Iebusæi, & Girgasæi, quod inquam dares eam semini eius: confirmastiq; verba tua, quia iustus es.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Aegypto: clamoremque eorum audisti super Mare rubrum.	9	*Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Aegypto: clamoremque eorum audisti in mari Suph.*
Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouisti enim quia superbe egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die.	10	*Et dedisti signa, & portenta in Parhoh, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ eius: cognouisti enim quia superbe egerant contra eos, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc.*
Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.	11	*Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco, & persecutores eorum proiecisti in profunda tamquam lapidem in aquas validas.*
Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via, per quam ingrediebantur.	12	*Et in columna nubis duxisti eos per diem, & in columna ignis per noctem, vt illucescere facares eis viam per quam ambulaturi erant.*
Ad montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de cœlo, & dedisti eis iudicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona:	13	*Et super montem Sinai descendisti, & locutus es cum eis è cœlo, & dedisti eis iudicia recta, & leges veras, statuta, & præcepta bona.*
Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysi serui tui.	14	*Et sabbatum sanctum tuum notificasti eis, & præcepta, & statuta, & legem præcepisti eis per manum Mosèh serui tui.*
Panem quoque de cœlo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus, & dixisti eis vt ingrederentur & possiderent terram, super quam leuasti manum tuam vt traderes eis.	15	*Et panem de cœlo dedisti eis, in fame eorum, & aquam è petra eduxisti eis in siti eorum, & dixisti eis, vt ingrederentur ad possidendum terram super quam leuasti manum tuam, vt traderes eis.*
Ipsi vero & patres nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruices suas, & non audierunt mandata tua.	16	*Et ipsi, & patres nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruicem suam, & non audierunt præcepta tua.*
Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et indurauerunt ceruices suas, & dederunt caput vt conuerterentur ad seruitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius & clemens, & misericors, & longanimis: & multæ miserationis non dereliquisti eos,	17	*Et renuerunt audire, & non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras cum eis: Et indurauerunt ceruicem suam, & posuerunt caput suum, vt reuerterentur ad seruitutem suam cum rebellione sua. Et tu Deus propitiationum clemens, & misericors, longanimis, & multæ misericordiæ, non dereliquisti eos.*
Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Aegypto: feceruntque blasphemias magnas.	18	*Insuper quando fecerunt sibi vitulum conflatilem, & dixerunt: Iste est Deus tuus, qui ascendere fecit te è terra Aegypti, feceruntque conuitia in Deum magna.*
Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem vt duceret eos in viam, & columna ignis per noctem vt ostenderet eis iter per quod ingrederentur.	19	*Tu propter misericordias tuas multas non dereliquisti eos in Deserto, columna nubis non recessit ab eis per diem, vt duceret eos per viam, & columna ignis per noctem, vt lucere faceres eis, & viam per quam ambulaturi in ea.*
Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti.	20	*Et spiritum tuum bonum dedisti ad audiendum eos, & man tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti eorum.*
Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.	21	*Et quadraginta annis pauisti eos in deserto: non eguerunt, vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non tumuerunt.*
Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes: & possederunt terram Sehon, & terram regis Hesebon, & terram Og regis Basan.	22	*Et dedisti eis regna, & diuisisti eos vt essent ad angulum vnum, & possederunt terram Sichon, & terram regis Chesbon, & terram Hogh regis Basan.*
Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, & adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum vt ingrederentur & possiderent.	23	*Et filios eorum multiplicasti sicut stellas cœli, & adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum, vt ingrederentur ad possidendum.*
Et venerunt filij, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dedisti eos in manu eorum & reges eorum & populos terræ, vt facerent eis sicut placebat illis.	24	*Et venerunt filij, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chenahan eorum, & dedisti eos in manu eorum, & reges eorum, & populos terræ, vt facerent in eis secundum voluntatem suam,*
Ceperunt itaque vrbes munitas & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliueta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna.	25	*Et ceperunt vrbes munitas, & humum pinguem, & possederunt domos plenas omni bono, cisternas excisas, vineas, & oliueta, & arbores fructiferas in multitudine: & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & delitiis affluxerunt propter bonitatem tuam magnam.*

Transl. ex Septuag.

Et vidisti humiliationem patrum nostrorum in Aegypto: & clamorem eorum audisti super mare rubrum:

Et dedisti signa, & prodigia in Ægypto in Pharaonem,& in omnes pueros eius, & in omnem populum terræ eius : quoniam nouisti, quia superbe egerunt super eos: & fecisti tibi nomen, sicut dies hæc.

Et mare scidisti coram eis: & transierunt in medio maris in sicco: & persequentes eos proiecisti in profundum, tamquam lapidem in aqua valida.

Et in columna nubis deduxisti eos die, & in columna ignis nocte ad illuminandam eis viam, in qua ibunt in ea.

Et super montem Sina descendisti, & locutus es ad eos de cœlo: & dedisti eis iudicia recta, & leges veritatis,præcepta,& mandata bona.

Et sabbatum tuum sanctum notificasti eis: & mandata,& præcepta,& legem mandasti eis in manu Moysi serui tui.

Et panem de cœlo dedisti eis in cibum eorum: & aquam de petra protulisti eis in siti eorum. Et dixisti eis ingredi ad hæreditandam terram,super quam extendisti manum tuam ad dandam eis.

Et ipsi & patres nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruicem suam, & non audierunt mandata tua.

Et abnuerunt exaudire, & non sunt recordati mirabilium tuorum quæ fecisti cum eis. Et indurauerunt ceruicem suam, & dederunt principium reuertendi ad seruitutem suam, in Aegypto. Et tu Deus misericors,& miserator,longanimis: & multum misericors, & non dereliquisti eos.

Adhuc autem & fecerunt sibi vitulum fusilem, & dixerunt: Hi sunt Dij, qui eduxerunt nos de Aegypto.Et fecerunt irritationes magnas.

Et tu in miserationibus tuis multis non dereliquisti eos in deserto: columnam nubis non declinasti ab eis die ad deducendum eos in via, & columnam ignis nocte,ad illuminandam eis viam,in qua ibunt in ea.

Et spiritum tuum bonum dedisti ad instruendos eos.Et Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum,& aquam dedisti eis in siti eorum.

Et quadraginta annis enutriuisti eos in deserto: non fecisti eis deesse quicquam:vestimenta eorū nō inueterauerunt, & pedes eorum non sunt disrupti.

Et dedisti eis regna, & populos distribuisti eis.Et hæreditauerunt terram Seon regis Esebon, & terram Og regis Basan.

Et filios eorum multiplicasti tamquam astra cœli, & introduxisti eos in terram, quam dixisti patribus eorum & hæreditarunt eam.

Et extriuisti coram eis habitantes terram Chananæorum, & dedisti illos in manus ipsorum, & reges illorum & populos terræ, ad faciendum eis, sicut placitum coram ipsis.

Et ceperunt ciuitates excelsas & hæreditarunt domos plenas omnium bonorum,cisternas excisas, vineas, & olueta, & omne lignum sui aptum in multitudine. Et comederunt, & repleti sunt, & impinguati sunt, & deliciati sunt, in bonitate tua magna.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

9 *Respexisti præterea afflictionem patrum nostrorum in Aegypto, clamoremque eorum audisti in mari Suph.*

10 *Dedistique signa & portenta in Paroh, & in vniuersis seruis eius, atque in vniuerso populo terræ eius: noueras enim quod superbe egissent contra eos: vnde fecisti tibi nomen secundum diem hanc.*

11 *Mare insuper diuisisti coram eis, & transierunt per medium eius in sicco: persequutores autem eorum proiecisti in profunditates, tanquam lapidem in aquas validas.*

12 *Atq; cum columna nubis deduxisti eos interdiu, & cum columna ignis noctu, vt illustrares eis viam per quam ambulaturi erant.*

13 *Post hæc super montem Sinai descendisti, loquutusq; es cum eis è cœlo, & dedisti eis iudicia recta, & leges veras, statuta, & præcepta bona.*

14 *Sabbathum quoque sanctum tuum notum fecisti eis, & præcepta, & statuta, & legem præcepisti eis per manum Mosch serui tui.*

15 *Panem insuper de cœlo dedisti eis in fame sua: & aquam è petra eduxisti eis in siti sua: tandem dixisti eis vt ingrederentur ad possidendum terram propter quam leuasti manum tuam quod traderes eam illis.*

16 *Ipsi vero & patres nostri superbe egerunt, & indurauerunt ceruicem suam, nec audierunt præcepta tua.*

17 *Imo renuerunt audire, neque recordati sunt mirabilium tuorum quæ feceras cum eis: indurauerunt; q; ceruicem suam, ac conuersi sunt vt reuerterentur ad seruitutem suam cum rebellione sua. tu tamen Deus veniarum, clemens, & misericors, longanimis, & multæ misericordiæ, non dereliquisti eos.*

18 *Insuper quando fecerunt sibi vitulum conflatilem, & dixerunt, Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Aegypto, feceruntq; conuitia magna.*

19 *Tu tamen propter misericordias tuas multas non dereliquisti eos in deserto, columna nubis non recessit ab eis interdiu, vt deduceret eos per viam, & columna ignis noctu, vt lucere faceret eis viam per quam ambulaturi erant.*

20 *Et Spiritum tuum bonum dedisti ad instruendum eos, man quoque tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti eorum.*

21 *Quadraginta quoque annis pauisti eos in deserto, nulla re indiguerunt: vestimenta eorum non inueterauerunt, nec pedes eorum intumuerunt.*

22 *Dedisti eis insuper regna & populos, quos diuisisti in angulum, ac possederunt terram Sihon & terram regis Hesbon, & terram Og regis Basan.*

23 *Filios autem eorum multiplicasti sicut stellas cœli, & introduxisti eos in terram de qua dixeras Patribus eorum quod ingrederentur eam vt possiderent.*

24 *Venerunt enim filij, & possederunt terram illam: atq; humiliasti coram eis habitatores ipsius terræ, Chenaaneos, dedistiq; eos in manum eorum, ac reges eorum, & populos eius terræ, vt facerent ex eis secundum voluntatem suam.*

25 *Ceperunt præterea vrbes munitas, atque humum pinguem, & possederunt domos plenas omni bono, cisternas excisas, vineas, & olueta, & arbores fructiferas quamplurimas: comederuntque, ac saturati sunt, atque impinguati, & delitiis affluxerunt propter bonitatem tuam magnam.*

Vulgat. Editio.

Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua: & prophetas tuos occiderunt, qui conteſtabantur eos vt reuerterentur ad te: feceruntq; blaſphemias grandes.

Et dediſti eos in manu hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum.

Cumque requieuiſſent, reuerſi ſunt vt facerent malũ in conſpectu tuo: & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & poſſederunt eos. Conuerſique ſunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cœlo exaudiſti, & liberaſti eos in miſericordiis tuis, multis temporibus.

Et conteſtatus es eos vt reuerterentur ad Legem tuam. Ipſi vero ſuperbe egerunt, & non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, nec audierunt.

Et protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es eos in ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum: & non audierunt, & tradidiſti eos in manu populorum terrarum.

In miſericordiis autem tuis plurimis non feciſti eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos: quoniam Deus miſerationum, & clemens es tu.

Nunc itaque Deus noſter magne, fortis, & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos, reges noſtros, & principes noſtros, & ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & patres noſtros, & omnem populum tuum à diebus regis Aſſur vſque in diem hanc.

Et tu iuſtus es in omnibus, quæ venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti, nos autem impie egimus.

Reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri, & patres noſtri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & teſtimonia tua quæ teſtificatus es in eis.

Et ipſi in regnis ſuis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latiſſima & pingui, quam tradideras in conſpectu eorum, non ſeruierunt tibi, nec reuerſi ſunt à ſtudiis ſuis peſſimis.

Ecce noſipſi hodie ſerui ſumus: & terra, quam dediſti patribus noſtris vt comederent panem eius, & quæ bona ſunt eius, & noſipſi ſerui ſumus in ea.

Et fruges eius multiplicantur regibus, quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur, & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam, & in tribulatione magna ſumus.

Super omnibus ergo his noſipſi percutimus fœdus, & ſcribimus, & ſignant principes noſtri, Leuitæ noſtri, & Sacerdotes noſtri.

CAP. X.

SIgnatores autem fuerunt, Nehemias, Atherſatha filius Hachelai, & Sedecias,
Saraias, Azarias, Ieremias,
Phethur, Amarias, Melchias,
Hattus, Sebenia, Melluch,
Harem, Merimuth, Obdias,
Daniel, Genthon, Baruch,

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

26 *Et irritauerunt, & rebellauerunt contra te, & proiecerunt legem tuam poſt corpus ſuum, & prophetas tuos occiderunt, qui teſtificabantur eis, vt conuerterent eos ad te, & fecerunt conuicia* in Deum *magna.*

27 *Et dediſti eos in manum hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſeruatores, & ſeruauerunt eos de manu hoſtium ſuorum.*

28 *Et cum fuiſſet requies eis, reuerſi ſunt ad faciendum malum coram te, & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & dominati ſunt eis: & conuerſi ſunt, & clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti, & eruiſti eos ſecundum miſerationes tuas multis temporibus.*

29 *Et conteſtatus es eis, vt redirent ad legem tuam, ſed ipſi ſuperbe egerunt, & non audierunt præcepta tua, & in iudiciis tuis peccauerunt quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, & non audierunt.*

30 *Et protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es eos ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum, & non auſcultauerunt, & tradidiſti eos in manum populorum terrarum.*

31 *Et propter miſericordias tuas multas non feciſti eos in conſumptionem, & non dereliquiſti eos, quia Deus clemens, & miſericors es.*

32 *Et nunc Deus noſter, Deus magne, fortis, & terribilis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam, ne diminuatur coram te omnis labor qui inuenit nos, reges noſtros, principes noſtros, ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & omnem populum tuum à diebus regum Aſſur vſque ad diem hanc.*

33 *Et tu iuſtus in omni quod venit ſuper nos, quia veritatem feciſti, & nos impie egimus.*

34 *Et reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri, & patres noſtri, non fecerunt legem tuum, & non attenderunt præceptis tuis, & teſtimoniis tuis quæ teſtificatus es eis.*

35 *Et ipſi in regno ſuo, & in bonitate tua multa quam dediſti eis, & in terra lata & pingui, quam tradideras coram eis, non ſeruierunt tibi, & non ſunt conuerſi ab operibus ſuis malis.*

36 *Ecce hodie ſerui ſumus, & in terra quam dediſti patribus noſtris, vt comederent fructum eius, & bonitatem eius, ecce ſerui ſumus*

37 *Et fructus eius multus regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam, & in tribulatione magna ſumus.*

38 *Et cum toto hoc percutimus fidelitatem, & ſcribimus & ſuper ſignaturam ſunt principes noſtri, Leuita noſtri, Sacerdotes noſtri.*

CAP. X.

1 *ET ſuper ſignaturas fuerunt Nechemiah Tirſatha filius Chachaliah, & Sidchijah,*
2 *Seraiah, Hazaryah, Irmeiah,*
3 *Paſchur, Amariah, Malachijah,*
4 *Chattus, Sebeniah, Malluch,*
5 *Charim, Meremoth, Hobadiah,*
6 *Daniel, Ghineto, Baruch,*

Transl. ex Septuag.

Et mutauerunt & receſſerunt à te, & proiecerunt 26
legem tuam poſt corpus ſuum. Et prophetas tuos occiderunt, qui conteſtabantur in eis, vt reuerterent ipſi ad te. Et fecerunt irritationes magnas:

Et dediſti eos in manu tribulantium eos: & tri- 27
bulauerunt eos. Et clamauerunt ad te in tempore tribulationis ſuæ, & tu de cœlo tuo audiſti, & in miſerationibus tuis magnis dediſti eis ſaluatores: & ſaluaſti eos de manu tribulantium eos.

Et vt requieuerunt; reuerterunt facere malum 28
in conſpectu tuo: & dereliquiſti eos in manus inimicorum eorum: & dominati ſunt in eis. Et rurſus exclamauerunt ad te: & tu de cœlo exaudiſti, & eruiſti eos in miſerationibus tuis multis:

Et conteſtatus es eis vt ipſi reuerterentur in le- 29
gem tuam. Et non audierunt, ſed in mandatis tuis, & iudiciis tuis peccauerunt, quæ faciens ea homo viuet in eis: Et dederunt dorſum rebelle, & ceruicem ſuam indurauerunt: & non audierunt.

Et protraxiſti ſuper eos, annos multos, & conte- 30
ſtatus es eis in ſpiritu tuo in manu prophetarum tuorum: & non perceperunt auribus: & dediſti eos in manu populorum terræ.

Et tu in miſerationibus tuis multis non feciſti 31
eos in conſummationem, & non dereliquiſti eos, quoniam fortis es, & miſericors, & miſerator.

Et nunc Deus noſter fortis, magnus, validus, & 32
terribilis, cuſtodiens teſtamentum tuum, & miſericordiam tuam; ne paucus ſit coram te omnis labor, qui inuenit nos, & reges noſtros, & principes noſtros, & ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & patres noſtros, & in omni populo tuo à diebus regum Aſſur, & vſque ad diem hanc.

Et tu iuſtus in omnibus, quæ veniunt ſuper 33
nos: quoniam veritatem feciſti. Et nos peccauimus,

Et reges noſtri, & principes noſtri, & ſacerdotes 34
noſtri, & patres noſtri non fecerunt legem tuam; & non attenderunt mandata tua, & teſtimonia tua quæ conteſtatus es eis.

Et ipſi in regno tuo, & in bonitate tua multa, 35
quam dediſti eis, & in terra lata & pingui, quam dediſti coram eis, non ſeruierunt tibi, & non auerterunt ſe à ſtudiis ſuis malis.

Ecce hodie ſumus ſerui, & terra, quam dediſti 36
patribus noſtris ad comedendum fructum eius, & bona eius, ecce ſumus ſerui ſuper eam,

Et fructus eius multi regibus, quos dediſti ſu- 37
per nos in peccatis noſtris, & ſuper corpora noſtra poteſtatem habent, & in pecoribus noſtris, ſicut placitum eis, & in tribulatione magna ſumus.

Et in omnibus his nos diſponimus fidem, & ſcri- 38
bimus, & ſignant principes noſtri, Leuitæ noſtri, Sacerdotes noſtri.

CAP. X.

ET ſuper obſignantes Neemias, Artaſaſtha filius 1
Achabia, & Sedecias filius
Araea, & Azaria, & Hieremia,
Phaſur, Amaria, Melchia,
Attias, Sebani, Maluch,
Iram, Meramoth, Abdia,
Daniel, Haunathon, Baruch, 6

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Irritauerunt itaque, & rebellauerunt contra te, ac proiecerunt Legem tuam poſt corpus ſuum: Prophetas quoque tuos occiderunt, qui teſtificabantur contra eos, vt conuerterent eos ad te: & fecerunt conuitia magna.

Itaque tradidiſti eos in manum hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos: ac in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audiſti, atque ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſeruatores qui ſeruauerunt eos de manu hoſtium ſuorum.

Quum vero eſſet illis quies, reuerſi ſunt ad faciendum malum coram te, idcirco dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, qui dominati ſunt eis: conuerſi autem, rurſum clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti, atque eruiſti eos ſecundum miſerationes tuas multis temporibus.

Conteſtatus vero es illos, vt conuerteres eos ad legem tuam: ſed ipſi ſuperbe egerunt, nec audierunt præcepta tua, & in iudicijs tuis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet in eis: dederuntq́, humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, & non audierunt.

Attamen protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es illos Spiritu tuo per manum Prophetarum tuorum, & non auſcultauerunt, ideo tradidiſti eos in manum populorum terrarum.

Sed propter miſericordias tuas multas non feciſti eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos, quia Deus clemens, & miſericors es.

Nunc igitur ô Deus noſter, Deus magne, fortis & terribilis, qui cuſtodis pactum & miſericordiam, ne paruas res videatur coram te omnis labor qui inuenit nos, id eſt reges noſtros, principes noſtros, ſacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, patres quoque noſtros, atque vniuerſum populum tuum à diebus regum Aſſur vſque in diem hanc.

Tu autem iuſtus in omnibus que venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti, nos vero impie egimus:

Et reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri, & patres noſtri, non fecerunt legem tuam, nec attenderunt præceptis tuis, & teſtimoniis tuis quæ teſtificatus es eis.

Et ipſi in regno ſuo, & in bonitate tua multa quam dediſti eis, & in terra lata & pingui quam tradideras coram eis, non ſeruierunt tibi, nec ſunt conuerſi ab operibus ſuis malis.

Ecce hodie ſerui ſumus, & quidem in terra quam dediſti Patribus noſtris vt comederent fructum eius & bonitatem eius, ecce inquam ſerui ſumus

Et fructum ſuum multiplicat regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur, & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam: & in tribulatione maxima ſumus:

Et tamen nos percutimus fidelitatem, & ſcribimus: & in libello illo ſignato ſunt principes noſtri, Leuitæ noſtri, Sacerdotes noſtri.

CAP. X.

INter ſignatos autem illos fuerunt Nehemiah Thirſatha filius Hachaliah, & Sidcijah, 1
Seraiah, Azariah, Irmeiah, 2
Paſhur, Amariah, Malchijah, 3
Hattus, Sebaniah, Malluch, 4
Harim, Meremoth, Obadiah, 5
Daniel, Ginethon, Baruch, 6

Vulgat. Editio.

Mosollam, Abia, Miamin,
Maazia, Belgai, Semeia: hi sacerdotes.
Porro Leuitæ, Iosue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel,
Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celitha, Phalaia, Hanan,
Micha, Rohob, Hasebia,
Zachur, Serebia, Sabania,
Odaia, Bani, Baninu.
Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Aelam, Zethu, Bani,
Bonni, Azgad, Bebai,
Adonia, Begoai, Adin,
Ater, Hezecia, Azur, (∴)
Odaia, Hasum, Besai,
Hareph, Anathoth, Nebai,
Megphias, Mosollam, Hazir,
Mesizabel, Sadoc, Ieddua,
Pheltia, Hanan, Anaia,
Osee, Hanania, Hasub, (∴)
Alohes, Phalea, Sobec,
Rehum, Hasebna, Maasia,
Echaia, Hanan, Anan,
Melluch, Haran, Baana:
Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, & cantores, Nathinæi, & omnes qui se seperauerunt de populis terrarum ad legem Dei vxores eorum, filij eorum & filiæ eorum,

Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & iurandum vt ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi serui Dei, vt facerent & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius & ceremonias eius,
Et vt non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris.
Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad vsum, per diem sabbati vt vendant, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus.
Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri,
Ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus & in sanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Israel, & in omnem vsum domus Dei nostri.

Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, à temporibus anni vsque ad annum: vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:

Et vt afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiua vniuersi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.

Et primitiua filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiua boum nostrorum, & ouium nostrarum, vt offerrentur in domo Dei nostri Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

7 *Mesullam, Abiiah, Miiamin,*
8 *Mahaziah, Bilgai, Semeiah: isti sacerdotes.*
9 *Et Leuitæ, & Iesuah filius Azaniah, Binui de filiis Chenadad Chadmiel,*
10 *Et fratres eorum Sebeniah, Hodiiah, Chelitha, Pelaiah, Chanan,*
11 *Micha, Rechob, Chasabiah,*
12 *Zacchur, Serebiah, Sebeniah,*
13 *Hodiiah, Bani, Beninu.*
14 *Capita populi, Parhos, Pachathmoab, Helam, Zatthu, Bani,*
15 *Bani, Hazghad, Bebai,*
16 *Adoniiah, Biguai, Hadin,* (∴)
17 *Ather, Chizchiiah, Hazur,*
18 *Hodiiah, Chasumi, Besai,*
19 *Chariph, Hanathoth, Nebai,*
20 *Magphihas, Mesullam, Chezir,*
21 *Mesezabel, Sadoc, Iaduah,*
22 *Pelatiiel, Chanan, Hanaiah,* (∴)
23 *Hoseah, Chananiah, Chasub,*
24 *Haloches, Pilcha, Sobech,*
25 *Rechum, Chasabnah, Maasciah,*
26 *Et Achiiah, Chanan, Hanan,*
27 *Malluch, Charim, Baanah:*
28 *Et residuum populi, Sacerdotes, Leuitæ, & ianitores, & cantores, Nethmim, & omnis diuisus à populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filii eorum, & filiæ eorum:*

29 *Omnis sciens, intelligens, tenentes cum fratribus suis optimates eorum, & venientes cum execratione, & iuramento, vt ambularent in lege Dei quæ data est per manum Moseh serui Dei, & custodirent & facerent vniuersa præcepta Domini Dei nostri, & iudicia eius, & statuta eius.*

30 *Et non daremus filias nostras populis terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris.*

31 *Et à populis terræ afferentibus merces, & omne venale in die sabbati, vt vendant, non accipiemus ab eis in sabbato, & in die sancto, & dimittemus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus.*

32 *Et statuemus super nos præcepta, vt imponatur nobis tertia pars Sechel in anno, ad opus domus Dei nostri.*

33 *Ad panem propositionis, & sacrificium iugè, & ad holocaustum iuge, sabbata, calendas, ad solemnitates, & ad sancta, & ad peccata, ad exorandum pro Israel, & omne opus domus Dei nostri.*

34 *Et sortes iecimus super oblationem lignorum, sacerdotes, Leuitæ, & populi, vt afferant in Domum Dei nostri per domum patrum nostrorum per tempora determinata annuatim, vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege.*

35 *Et afferemus primitiua terræ nostræ, & primitiua omnis fructus omnis arboris annuatim in domum Domini.*

36 *Et primogenita filiorum nostrorum, & iumentorum nostrorum, sicut scriptum est in lege & boum nostrorum, & pecorum nostrorum, vt afferant in domum Dei nostri sacerdotibus ministrantibus in domo Dei nostri.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Meſulam Abia, Miamin,	7	*Meſullam, Abiiah: Miiamin.*
Maazia, Belgai, Samaia: hi ſacerdotes.	8	*Maaziah, Bilgai, Semaiah. iſti ſunt Sacerdotes.*
Et Leuitæ, Ieſus filius Azania, Banæu de filiis Enadad, Cadmiel,	9	*Leuitæ vero, Ieſua filius Azaniah, Binnui de filiis Henadad, Cadmiel.*
Et fratres eius, Sabania, Oduia, Calitan, Phelia, Anan,	10	*Fratres autem eorum, Sebaniah, Hodiiah, Celita, Pelaiah, Hanan,*
Micha, Roob, Aſebias,	11	*Micha, Rehob, Haſabiah,*
Zacchor, Sarabia, Sebania,	12	*Zacchur, Serebiah, Sebaniah,*
Odun. Filij Banue.	13	*Hodiiah, Bani, Beninu.*
Principes populi Phoros, Phaathmoab, Elam, Zathuia,	14	*Capita populi, Paros, Pahath-moab, Elam, Zatthu, Bani,*
Filij Bani, Aſgad, Bebai,	15	*Bunni, Azgad, Bebai,*
Adama, Bagoi, Edin,	16	*Adoniiah, Biguai, Adin,*
Ater, Ezecia, Azur, (·.·)	17	*Ater, Hizciiah, Azzur,* (·.·)
Oduia, Eſam, Beſi,	18	*Hodiiah, Haſum, Beſai,*
Ariph, Anathoth, Nabai,	19	*Hariph, Anathoth, Nebai,*
Megaphes, Meſullam, Ezir,	20	*Magpias, Meſullam, Hezir,*
Meſozebel, Saduc, Ieddua,	21	*Meſezabel, Sadoc, Ladua,*
Phaltia, Anan, Anaia,	22	*Pelatiah, Hannan, Anaiah,*
Oſee, Anania, Aſub,	23	*Hoſea, Hananiah, Haſub,*
Aloes, Phalai, Sobee,	24	*Halohes, Pilha, Sobec,* (·.·)
Reum, Eſabana: Maaſia, (·.·)	25	*Rehum, Haſabnah, Maaſeiah.*
Et Aia, Aenan, Henam,	26	*Et Ahiiah, Hanan, Anan,*
Maluch, Eram, Baana,	27	*Malluch, Harim, Baanah:*
Et reliqui de populo: Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cantores, Nathinim, & accedens de populis terræ ad legem Dei, vxores eorum, filiæ eorum:	28	*Atque reſiduum populi, Sacerdotes, Leuitæ, & ianitores, cantores, Nethinæi, & omnis ſeparatus à populis terrarum ad Legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum, omnis ſciens & intelligens.*
Omnis ſciens, & intelligens inualeſcebant ſuper fratribus ſuis, & execratione adſtringebant eos. Et ingreſſi ſunt in execratione, & in iuramento ambulandi in lege Dei quæ data eſt in manu Moyſi ſerui Dei cuſtodiendi, & faciendi omnia mandata Domini, & iudicia eius, & præcepta eius,	29	*Apprehenderunt cum fratribus ſuis optimatibus ſuis: & venerunt cum execratione & iuramento, quod ambularent in Lege Dei, quæ data eſt per manum Moſeh ſerui Dei, & cuſtodirent ac facerent vniuerſa præcepta Iehouæ Domini noſtri, & iudicia eius, & ſtatuta eius:*
Et non dandi filias noſtras populis terræ, & filias eorum non accipiemus filiis noſtris,	30	*Et quod non daremus filias noſtras populis terræ, & filias eorum non acciperemus filiis noſtris.*
Et populi terræ afferentes venalia, & omnem venditionem in die ſabbati ad vendendum, non ememus ab eis in ſabbato & in die ſancta: & dimittemus annum ſeptimum, & exactionem vniuerſæ manus:	31	*Et quod à populis terræ afferentibus merces, & quancunque annonam in die ſabbathi, vt vendant, non accipiemus in ſabbatho, & in die ſancto: quodque dimittemus annum ſeptimum, & exactionem vniuerſæ manus.*
Et ſtatuemus ſuper nos mandata ad dandum ſuper nos tertiam partem didrachmatis per annum in ſeruitutem domus Dei noſtri,	32	*Et ſtatuimus ſuper nos præcepta, vt imponerent nobis tertiam partem ſechel eo anno, in opus domus Dei noſtri,*
In panes faciei, & ſacrificium continuationis, & in holocauſtum continuationis ſabbatorum, Neomeniarum, in feſtiuitates, & in ſancta, & quæ pro peccato, ad depropitiandum pro Iſrael, & ad opera domus Dei noſtri.	33	*In panem propoſitionis, & ſacrificium iuge: & in holocauſtum iuge, ſabbatha, Calendas, & ſolennitates, & in ſancta, & in ſacrificia pro peccato, ad expiandum Iſraelem, & omne opus domus Dei noſtri.*
Et ſortes iecimus de ſorte portationis lignorum, ſacerdotes, & Leuitæ, & populus, ad afferendum in domum Dei noſtri, in domum patriarum noſtrarum, in tempora à temporibus, annum per annum, ad accendendum ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege, & ad afferendum primitiua terræ noſtræ, & primitiua fructus omnis ligni annum per annum in domum Domini,	34	*Fecimus & ſortes ſuper oblatione lignorum, Sacerdotes, Leuitæ, & populi, vt adducant ea in domum Dei noſtri, in domum Patrum noſtrorum temporibus determinatis annuatim, vt arderent ſuper altare Iehouæ Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in Lege.*
Et primogenita filiorum noſtrorum, & pecorum noſtrorum, ſicut ſcriptum eſt in lege,	35	*Et afferemus primitiua terræ noſtræ, & primitiua omnis fructus cuiuſcunque arboris annuatim in domum Iehouæ.*
Et primogenita boum noſtrorum, & gregum noſtrorum, ad afferendum in domum Dei noſtri, ſacerdotibus miniſtrantibus in domo Dei noſtri:	36	*Primogenita inſuper filiorum noſtrorum & iumentorũ noſtrorum (ſicut ſcriptum eſt in Lege) & primogenita boum noſtrorum & pecorum noſtrorum, afferemus in domum Dei noſtri Sacerdotibus miniſtrantibus in domo Dei noſtri.*

Vulgat. Editio.

Et primitias ciborum noſtrorum,& libaminum noſtrorum & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei noſtri, & decimam partem terræ noſtræ Leuitis. Ipſi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum noſtrorum.

Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum,& Leuitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri, ad gazophylacium in domum theſauri.

Ad gazophylacium enim deportabunt filij Iſrael, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vaſa ſanctificata, & Sacerdotes,& cantores,& ianitores, & miniſtri, & non dimittemus domum Dei noſtri.

CAP. XI.

HAbitauerunt autem principes populi in Ieruſalem:reliqua vero plebs miſit ſortem,vt tollerent vnam partem de decem qui habitaturi eſſent in Ieruſalem ciuitate ſancta, nouem vero partes in ciuitatibus.

Benedixit autem populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerant vt habitarent in Ieruſalem.

Hi ſunt itaque principes prouinciæ, qui habitauerunt in Ieruſalem,& in ciuitatibus Iuda. Habitauit autem vnuſquiſque in poſſeſſione ſua, in vrbibus ſuis,Iſrael,Sacerdotes,Leuitæ, Nathinæi,& filij ſeruorum Salomonis.

Et in Hieruſalem habitauerunt de filiis Iuda,& de filiis Beniamin: de filiis Iuda, Athaias filius Aziam,filij Zachariæ, filij Amariæ,filij Saphatiæ, filij Malaleel, de filiis Phares,

Maaſia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia,filius Adaia,filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis:

Omnes hi filij Phares, qui habitauerunt in Ieruſalem, quadringenti ſexaginta octo viri fortes.

Hi ſunt autem filij Beniamin: Sellum filius Moſollam,filius Ioed,filius Phadaia,filius Colaia, filius Maſia,filius Etheel,filius Iſaia,

Et poſt eum, Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo.

Et Ioel filius Zechri præpoſitus eorum,& Iudas filius Senua ſuper ciuitatem ſecundus.

Et de ſacerdotibus,Idaia,filius Ioarib, Iachin,

Saraia filius Helciæ, filius Moſollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei.

Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Ieroham, filius Phelelia,filius Amſi,filius Zachariæ,filius Pheshur, filius Melchiæ,

Et fratres eius principes patrum, ducenti quadraginta duo. Et Amaſſai filius Azreel,filius Ahazi, filius Moſollamoth, filius Emmer,

Et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo: & præpoſitus eorum Zabdiel filius potentium.

Et de Leuitis, Semeia filius Haſub, filius Azaricam, filius Haſabia,filius Boni,

Et Sabathai & Iozabed, ſuper omnia opera, quæ erant forinſecus in domo Dei, à principibus Leuitarum.

Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

37 *Et primitias paſtarum noſtrarum, & decimationum noſtrarum, & fructus omnis arboris, vini, & olei afferemus Sacerdotibus ad cubicula domus Dei noſtri, & decimam terræ noſtræ Leuitis: & Leuitæ decimas accipient in omnibus vrbibus operum noſtrorum.*

38 *Erit aũt Sacerdos filius Aharon cum Leuitis cum decimam acciperent Leuitæ, offerent decimam decimæ in domo Dei noſtri ad cubiculum in dõmo theſauri.*

39 *Ad cubicula enim deferent filii Iſrael & filii Leui primitias frumenti, vini & olei, & ibi erunt vaſa ſanctuarii, & Sacerdotes miniſtrantes, & ianitores, & cantores, & non dimittemus domum Dei noſtri.*

CAP. XI.

1 *HAbitauerunt autem principes populi in Ieruſalaim: reſiduum vero populi iecerunt ſortes, vt adducerent vnum è decem ad habitandum in Ieruſalaim Ciuitatem ſanctam: nouem vero partes in ciuitatibus.*

2 *Et benedixerunt populus omnibus viris ſpontaneis ad habitandum in Ieruſalaim.*

3 *Et iſti ſunt principes prouinciæ qui habitauerunt in Ieruſalaim, & in vrbibus Iehudah. Habitauerunt vnuſquiſque in poſſeſſione ſua in vrbibus ſuis, Iſrael, Sacerdotes & Leuitæ, & Nethinim, & filii ſeruorum Selomoh.*

4 *Et in Ieruſalaim habitauerunt de filiis Iehudah, & de filiis Biniamin: de filiis Iehudah Hathaiah filius Huzziiah, filii Zecharia, filii Amariah, filii Sephathiah, filii Mahalalel, de filiis Peres:*

5 *Et Mahaſeiah, filius Baruch, filii Cholehozeh, filii Chazaiah, filii Hadaiah, filii Ioiarib, filii Zechariah, filii Haſiloni.*

6 *Omnes filii Peres qui habitabant in Ieruſalaim quadringenti ſexaginta & octo viri fortes.*

7 *Et iſti filii Biniamin Salun filius Meſullam filii Iohed, filii Pedaiah, filii Cholaiah, filii Mahaſeiah, filii Itthiel, filii Ieſahiah.*

8 *Et poſt eum Ghabbai, Sallai, nongenti viginti & octo,*

9 *Et Ioel filius Zichri præpoſitus ſuper eos, & Iehudah filius Semiah ſuper ciuitatem ſecundus.*

10 *De Sacerdotibus Iedahiah filius Ioiarib Iachin.*

11 *Seraiah filii Chilchiiah filii Meſullam filii Sadoc filii Meraioth, filii Achitub, principes domus Dei.*

12 *Et fratres eorum facientes opus in domo octingenti viginti & duo: & Hadaiah filius Ierocha, filii Pelaliah filii Amſi, filii Zechariah, filii Paſchur, filii Malchiiah,*

13 *Et fratres eius principes patrum ducenti quadraginta, & duo, & Hamaſſai filius Hazarel, filii Achazai, filii Meſillemoth, filii Immer.*

14 *Et fratres eorum potentes robore centum viginti, & octo: & præpoſitus ſuper eos Zabdiel filius Haghedolim.*

15 *Et de Leuitis Semahiah filius Chaſub, filius Hazricham, filii Chaſabiah, filii Buni.*

16 *Et Sabbethai, & Iozabad ſuper opus extrinſecum domus Dei de principibus Leuitarum.*

Transl. ex Septuag.

Et primitias frumentorum nostrorum, & fructum omnis ligni, vini, & olei afferemus sacerdotibus in gazophylacium domus Dei, & decimam terræ nostræ Leuitis: & ipsi Leuitæ decimas accipientes in omnibus ciuitatibus seruitutis nostræ.

Et erit sacerdos filius Aaron cum Leuita in decima: & Leuitæ offerent decimam decimæ in domum Dei nostri, in gazophylacia in domum Dei.

Quoniam in thesauros inferent filij Israel, & filij Leui primitias frumenti, & vini, & olei, & ibi vasa sancta, & sacerdotes, & ministri, & ianitores, & cantores: & non derelinquemus domum Dei nostri.

CAP. XI.

ET sederunt principes populi in Hierusalem. Et reliqui de populo miserunt sortes ad adducendum vnum è decem ad sedendum in Hierusalem ciuitate sancta, & nouem partes in ciuitatibus.

Et benedixit populus omnes viros sponte se offerentes ad sedendum in Hierusalem.

Et hi principes prouinciæ, qui sederunt in Hierusalem, & in ciuitatibus Iuda: sederunt vir in possessione sua in ciuitatibus suis Israel, sacerdotes, & Leuitæ, & Nathinæi, & filij seruorum Salomon.

Et in Hierusalem sederunt de filiis Iuda, & de filiis Beniamin: de filiis Iuda, Athaia filius Azia, filius Zacharia, filius Samaria, filius Saphatia, filius Maleleel, & de filiis Phares,

Et Maasia filius Baruch, filius Chalaza, filius Ozia, filius Adaia, filius Ioarib, filius Zachariæ, filius Seloni,

Omnes filij Phares sedentes in Hierusalem, quadringenti sexaginta octo viri virtutis.

Et hi filij Beniamin, Selo filius Mesulam, filius Ioad, filius Phadaia, filius Coleia, filius Maasiæ, filius Ethiel, filius Iesia,

Et post eum, Gebe, Seli, nongenti viginti octo.

Et Ioel filius Zechri visitator super eos. Et Iuda filius Asaria de ciuitate secundus.

De sacerdotibus: & Iadia, filius Ioarib, Iachin,

Saræa filius Elchia, filius Mesulam, filius Sadduc, filius Marioth, filius Æloth ante domum Dei.

Et fratres eorum facientes opus domus, octingenti viginti duo. Et Adaia filius Hieoram filij Phalalia, filij Amasi, filius Zacharia, filius Phassur, filius Melchia,

Et fratres eius principes patriarum, ducenti quadraginta duo. Et Amasia filius Esdriel filij Mesarimith filij Emmor,

Et fratres eius, potentes aciei, centum viginti octo: & visitator Badiel filius magnorum.

Et de Leuitis, Samaia filius Esricam,

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

37 *Et primitias pastarum nostrarum, & oblationum nostrarum, ac fructus cuiuscunque arboris, vini, & olei afferemus Sacerdotibus ad cubicula domus Dei nostri, & decimam terræ nostræ Leuitis: ipsi autem Leuitæ erunt hi qui decimas accipient in omnibus vrbibus operum nostrorum.*

38 *Aderit vero Sacerdos filius Aharon cum Leuitis quum decimam accipient Leuitæ: & Leuitæ ipsi offerent decimam decimæ in domo Dei nostri in ipsa cubicula in domo thesauri.*

39 *Ad cubicula enim illa deferent filii Israelis & filii Leui primitias frumenti, vini & olei, & ibi erunt vasa ipsius sanctuarii, & Sacerdotes ministrantes, & ianitores, & cantores: & non dimittemus domum Dei nostri.*

CAP. XI.

1 *HAbitauerunt itaque principes populi in Hierusalaim: reliquum vero populi iecerunt sortes vt adducerent vnum è decem ad habitandum in Ierusalaim Ciuitate sancta, & nouem aliæ partes in ciuitatibus.*

2 *Benedixeruntque populus omnibus viris spontaneis ad habitandum in Ierusalaim.*

3 *Porro isti sunt principes eius prouinciæ qui habitauerunt in Ierusalaim: at in aliis vrbibus Iehudah habitauerunt vnusquisque in possessione sua in vrbibus suis, Israel, Sacerdotes & Leuitæ, & Nethinæi, atque filii seruorum Selomoh.*

4 *In Ierusalaim itaque habitauerunt de filiis Iehudah & de filiis Biniamin, de filiis Iehudah Athaiah filius Vzziiah, filii Zechariah, filii Amariah, filii Sephatiah, filii Mahalaleel, de filiis Peres.*

5 *Et Maaseiah filius Baruch, filii Chol-hozeh, filii Hazaiah, filii Adaiah, filii Ioiarib, filii Zechariah, filii Hasiloni.*

6 *Omnes filii Peres, habitantes in Ierusalaim, fuerunt quadringenti sexagintaocto viri fortes.*

7 *Isti autem sunt filii Biniamin: Salu filius Mesullam filii Ioel, filii Pedaiah, filii Colaiah, filii Maaseiah, filii Ithiel, filii Iesaaiah.*

8 *Et post eum Gabbai, Sallai: nongenti viginti octo.*

9 *Ioel vero filius Zichri præpositus erat super eos: & Iehudah filius Senuah super ciuitatem erat secundus.*

10 *De Sacerdotibus: Iedaiah filius Ioiarib & Iachin.*

11 *Seraiah filii Hilciiah filii Mesullam, filii Sadoc, filii Meraioth, filii Ahitub, erat princeps domus Dei.*

12 *Fratres autem eorum qui faciebant opus ædis, octingenti vigintiduo: & Adaiah filius Ieroham, filii Pelaliah filii Amsi, filii Zechariah, filii Pashur, filii Malchiiah.*

13 *Et fratres eius principes familiarum, ducenti quadraginta duo: & Amassai, filius Azarel, filii Ahazai, filii Mesillemoth, filii Immer.*

14 *Fratres autem eorum potentes robore, centum vigintiocto: quibus præpositus erat Zabdiel filius Haggedolim.*

15 *De Leuitis autem: Semaiah filius Hassub, filius Azricam, filii Hasabiah, filii Buni.*

16 *Et Sabbethai, atque Iozabad erat super opus externum domus Dei, erantque de principibus Leuitarum.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione, & Becbecia secundus de fratribus eius, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum:	17	*Et Matthaniah filius Micha, filii Zabdi, filii Asaph princeps principalis confitens in oratione: & Babuchiah secundus de fratribus eius, & Habda filius Samuah filij Ghalal, filii Ieduthun.*
Omnes Leuitæ in ciuitate sancta ducenti octoginta quatuor.	18	*Omnes Leuitæ in ciuitate sancta ducenti octoginta, & quattuor.*
Et ianitores Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo.	19	*Et ianitores Hachub, Talmon, & fratres eorum qui erant custodes in portis, centum septuaginta, & duo.*
Et reliqui ex Israel Sacerdotes & Leuitæ in vniuersis ciuitatibus Iuda, vnusquisque in possessione sua.	20	*Et residuum Israel Sacerdotes, Leuitæ in vniuersis ciuitatibus Iehudah, vnusquisque in hæreditate sua.*
Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinæis.	21	*Et Nethinim qui habitabant in arce, & Sicha, & Ghispa super Nethinim.*
Et episcopus Leuitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.	22	*Et præpositus Leuitarum in Ieruſalaim, Huzzi filius Bani, filii Chasabiah, filii Mathaniah, filii Michah, de filiis Asaph, cantores super opus domus Dei.*
Præceptum quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos,	23	*Quia præceptum regis super eos erat, & permanentia super cantores per singulos dies.*
Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filij Iuda in manu regis, iuxta omne verbum populi,	24	*Et Pethachiah filius Mesezabel de filiis Zerach, filij Iehudah ad manum regis in omni re ad populum.*
Et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Iuda habitauerunt in Cariatharbe, & in filiabus eius: & in Dibon, & in filiabus eius: & in Cabseel, & in viculis eius,	25	*Et ad villas in agris suis. De filiis Iehudah habitauerunt in Chiriathharbah, & in viculis eius, & in Iecabseel, & villis eius.*
Et in Iesue, & in Molada, & in Bethphaleth,	26	*Et in Iesuah, & Moladah, & in Bethpeleth,*
Et in Hasersual, & in Bersabee, & in filiabus eius,	27	*Et in Chasarsuhal, & in Beersebah, & in viculis eius,*
Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius,	28	*Et in Siclagh, & in Mechonah, & in viculis eius,*
Et in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth,	29	*Et in Hemrimmon, & in Sorhah, & in Iarmuth,*
Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis, & regionibus eius, & Azeca, & filiabus eius. Et mansérunt in Bersabee vsque ad vallem Ennom.	30	*Zanoah, Hadullam, & in villis earum, Lachis, & agris eius, Hazechah, & viculis eius: & manserunt in Beersebah vsque ad Chehinnom.*
Filij autem Beniamin à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius:	31	*Filii autem Biniamin in Mighbah, Micmas, & Haia, & Bethel, & viculis eius.*
Anathoth, Nob, Anania,	32	*Hanathoth, Nob, Hananiah,*
Asor, Rama, Gethaim,	33	*Chasor, Ramah, Ghitthaim,*
Hadid, Seboim, & Neballat, Lod,	34	*Chadid, Seboim, Neballath, Lod,*
Et Ono valle artificum.	35	*Et Ono, valle artificum.*
Et de Leuitis portiones Iudæ, & Beniamin.	36	*Et de Leuitis portiones Iehudah in Biniamin.*
CAP. XII.		**CAP. XII.**
HI sunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, qui ascenderuntcum Zorobabel filio Salathiel, & Iosue: Saraia, Ieremias, Esdras,	1	*ISti sunt autem Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt cum Zerubabel filio Sealthiel, & Iehosuah: Seraiah, Irmeiah, Hezra,*
Amaria, Melluch, Hattus,	2	*Amariah, Malluch, Chathus,*
Sebenias, Rheum, Merimuth,	3	*Secheniah, Rechum, Meremoth,*
Addo, Genthon, Abia,	4	*Hiddo, Ghinnethoi, Abyah,*
Miamin, Madia, Belga,	5	*Myamin, Mahadiah, Bilghah,*
Semeia, & Ioarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias,	6	*Semahiah, & Ioiarib, Iedahiah,*
Idaia. Isti principes sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iosue.	7	*Salum, Hamoch, Chilchiyah, Iedaiah. Isti principes Sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iesuah.*
Porro Leuitæ, Iesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias, super hymnos ipsi & fratres eorum:	8	*Et Leuitæ, Iesuah, Binnui, Chadmiel, Serebiah, Iehudah, Matthaniah super hymnos, ipse & fratres eorum.*
Et Becbecia atque Hanni, & fratres eorum vnusquisque in officio suo.	9	*Et Bacbuchiah, & Hunni fratres eorum, coram eis in custodiis.*
Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib: & Eliasib genuit Ioiada.	10	*Et Iesuah genuit Ioiachim, & Ioiachim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiadah.*
Et Ioiada genuit Ionathan: & Ionathan genuit Ieddoa.	11	*Et Ioiadah genuit Ionathan, & Ionathan genuit Iadduah.*

Carmen de Hadid=

Reliqua quę hic desiderari possunt nō habentur in hac trā slat. ex Septu. Ro. sicut neq; in illo codice peruetusto Vaticano, quo potissimum vsi sūt qui Septuag. In ea transl. recognouerunt.

Transl. ex Septuag.

Matthanias filius Micha, & Iobeb filius Samiu, ducenti octuaginta quatuor.

Et ianitores Acub, Telamin, & fratres eorum, centum septuaginta duo.

Et visitator Leuitarum filius Bani filius Ozi filius Asabia filius Micha. De filiis Asaph cantorum ante opus domus Dei:

Quoniam mandatum regis ad eos.

Et Phathaia filius Baseza ad manum regis

Ad omnem vsum populo, & ad pagos in agro suo. Et de filiis Iuda sederunt in Cariatharboc,

Et in Iesu, & in Bersabee: & pagi eorum Lachis, & agri eius: & castra metati sunt in Bersabee.

Et filij Beniamin de Gabaa Machmas.

Et de Leuitis partes Iuda, Beniamin.

CAP. XII.

ET hi Sacerdotes, & Leuitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Iesu, Saraia, Hieremia, Esdra,
Amaria, Maluc, Sechenia.

Isti principes sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iesoi.

Et Leuitæ, Iesu, Banui, Cadmiel, Sarabia, Iodae, Matthania, super manus ipse & fratres eorum in vices.

Et Iesus genuit Ioacim: & Ioacim genuit Eliasib: & Eliasib Iodae:

Et Iodae genuit Ionathan: & Ionathan genuit Iadu.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

17 *Et Matthaniah filius Micha, filii Zabdi, filii Asaph principis, primus confitens in oratione: Bacbuciah, secundus ex fratribus eius, & Abda filius Samua filii Galal, filii Ieduthun.*

18 *Omnes Leuitæ habitantes in Vrbe sancta, ducenti octogintaquatuor.*

19 *Ianitores insuper: Accub, Talmon, & fratres eorum, custodes in portis, centum septuagintaduo.*

20 *Residuum item Israelis, Sacerdotum & Leuitarum, habitauerunt in cunctis ciuitatibus Iehudah, quisque in hæreditate sua.*

21 *Nethinæi vero habitabant in arce: & Siha & Gispa erant super Nethineos:*

22 *Præfectus autem Leuitarum qui habitabant in Ierusalaim, Vzzi filius Bani, filii Hasabiah, filii Mathaniah, filii Michah: de filiis Asaph, cantores super opus domus Dei:*

23 *Quia præceptum regis erat super eos, & firmitas super cantores, per singulos dies.*

24 *Et Pethahiah filius Mesezabel de filiis Zerah filii Iehudah, ad manum regis in omni re ad populum.*

25 *Et in villis, in viculis suis, de filiis Iehudah habitauerunt in Ciriathbaarba, & in viculis eius: & in Dibon, & villis eius: & in Iecabseel, & villis eius:*

26 *Et in Iesua, & Moladah, & in Beth-pelet:*

27 *Et in Hasar-sual, & in Beer-seba, & in viculis eius:*

28 *Et in Siclag, & in Mechonah, & in viculis eius:*

29 *Et in En-rimmon, & in Sorah, & in Iarmuth.*

30 *In Zanoah, Adullam, & in villis earum: in Lachis, & agris eius: in Azecah, & viculis eius. manseruntq; à Beerseba vsque ad Gehinnom.*

31 *Filii autem Biniamin habitauerunt à Giba in Michmas, & Aia, & Beth-el, & viculis eius,*

32 *Anathoth, Nob, Ananiah,*

33 *Hasor, Ramah, Gitthaim,*

34 *Hadid, Seboim, Neballath,*

35 *Lod, & Ono, valle Artificum.*

36 *Porro aliquot Leuitarum habitauerunt in diuisionibus Iehudah à Biniamin.*

CAP. XII.

1 *ISti sunt autem Sacerdotes & Leuitæ qui ascenderunt cum Zerubbabel filio Sealthiel, & Iesua: Seraiah, Irmeiah, Ezra,*

2 *Amariah, Malluch, Hattus,*

3 *Secaniah, Rehum, Meremoth,*

4 *Iddo, Ginnethoi, Abiiah,*

5 *Miiamin, Maadiah, Bilgah,*

6 *Semaiah, & Ioiarib, Iedaiah,*

7 *Sallu, Amoc, Hilciah, Iedaiah. isti principes Sacerdotum, & fratres eorum fuerunt in diebus Iesua.*

8 *Leuitæ autem fuerunt, Iesua, Binnui, Cadmiel, Serebiah, Iehudah, Matthaniah, super hymnos erat; & fratres eius.*

9 *Et Bacbuciah, & Vnni fratres eorum, erant coram eis in custodiis.*

10 *Et Iesua genuit Ioiacim, & Ioiacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada:*

11 *Et Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Iaddua.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
In diebus autem Ioacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Ieremiæ, Hananiæ:	12	*In diebus autem Ioiachim erant ſacerdotes principes familiarum ipſi Seraiah, Meraiah, ipſi Irmeiah, Chananiah:*
Eſdræ, Moſollam: Amariæ, Iohanan:	13	*Ipſi Hezra, Meſullam: ipſi Amariah, Iehochanan:*
Milicho, Ionathan, Sebeniæ, Ioſeph:	14	*Ipſi Meluchu, Ionathan: ipſi Sebaniah, Ioſeph:*
Haram, Edna: Maraioth, Helci:	15	*Ipſi Charim, Adna: ipſi Meraioth, Chilchai:*
Adaiæ, Zacharia: Genthon, Moſollam,	16	*Ipſi Iddo, Zechariah: ipſi Ghinnethon, Meſullam:*
Abiæ, Zechri: Miamin & Moadiæ, Phelti:	17	*Ipſi Abijah, Zichri: ipſi Miniamin, ipſi Moadhaiah, Pilthai:*
Belgæ, Sammua: Semaiæ, Ionathan,	18	*Ipſi Bilghah, Sammuah: ipſi Semahaiah, Iehonathan:*
Ioiarib, Mathanai: Iodaiæ, Azzi:	19	*Et ipſi Ioiarib, Matthenai: ipſi Iedahiah, Huzzi:*
Sellai, Celai: Amoc, Heber:	20	*Ipſi Sallai, Challai: ipſi Hamoch, Heber:*
Helciæ, Haſebia: Idaiæ, Nathanael.	21	*Ipſi Chilchyah: Chaſabiah: ipſi Iedahiah, Nethanel:*
Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa ſcripti principes familiarum, & Sacerdotes in regno Darij Perſæ:	22	*Leuitæ in diebus Eliaſib, Ioiadah, & Iochanan, & Iadduah ſcripti principes familiarum, & ſacerdotes uſque ad regnum Dariaues Perſæ.*
Filij Leui principes familiarum ſcripti in Libro verborum dierum & uſque ad dies Ionathan, filij Eliaſib.	23	*Filij Leui principes familiarum ſcripti in libro verborum dierum, uſque ad dies Iochanan filij Eliaſib.*
Et principes Leuitarum, Haſebia, Sarebia, & Ioſue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices ſuas, vt laudarent & confiterentur iuxta præceptum Dauid viri Dei, & obſeruarent æque per ordinem.	24	*Et principes Leuitarum Chaſabiah, Serebiah, & Ieſuah filius Chadmiel, & fratres eorum coram eis ad laudandum, ad confitendum, iuxta præceptum Dauid viri Dei cuſtodia contra cuſtodiam.*
Mathania, & Becbecia, Obedia, Moſollam, Telmon, Accub cuſtodes portarum & veſtibulorum ante portas.	25	*Matthaniah, & Bacbuchiah, Hobadiah, Meſullam, Talmon, Haccub, cuſtodes ianitores in cuſtodia in liminibus portarum.*
Hi in diebus Ioacim filij Ioſue, filij Ioſedec, & in diebus Nehemiæ ducis, & Eſdræ ſacerdotis ſcribæque.	26	*Hi in diebus Ioiachim filij Ieſuah, filij Ioſadac, & in diebus Nechemiah ducis, & Hezra ſacerdotis ſcribæ.*
In dedicatione autem muri Ieruſalem requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis vt adducerent eos in Ieruſalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, & pſalteriis, & citharis.	27	*Et in dedicatione muri Ieruſalaim quæſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt adducerent eos in Ieruſalaim, vt facerent dedicationem & lætitiam, & in confeſſionibus, & in cantico, cymbalis, pſalteriis, & citharis.*
Congregati ſunt autem filij cantorum, de campeſtribus circa Ieruſalem, & de villis Nethuphati,	28	*Et congregati ſunt filij cantorum, & de planicie circa Ieruſalaim, & de villis Nethophathi,*
Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaueth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalem.	29	*Et de domo Ghilghal, & de agris Ghebah, & Hazmaueth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores, in circuitu Ieruſalaim.*
Et mundati ſunt Sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.	30	*Et mundati ſunt ſacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.*
Aſcendere autem feci principes Iuda ſuper murum, & ſtatui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram ſuper murum ad portam ſterquilinij.	31	*Et aſcendere feci principes Iehudah ſuper murum, & ſtatui duos choros magnos, & ambulatores ad dexteram ſuper murum ad portam ſtercorum.*
Et iuit poſt eos Oſaias, & media pars principum Iuda,	32	*Et iuit poſt eos Hoſahiah, & dimidium principum Iehudah:*
Et Azarias, Eſdras, & Moſollam, Iudas, & Beniamin, & Semeia, & Ieremias.	33	*Et Hazariah, Hezra, & Meſullam, & Iehudah, & Biniamin, & Semahiah, & Irmeiah.*
Et de filiis ſacerdotum in tubis, Zacharias, filius Ionathan, filius Semeia, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Aſaph.	34	*Et de filiis ſacerdotum cum tubis, Zachariah filius Ionathan, filij Semahiah, filij Matthaniah, filij Michaiah, filij Zacchur, filij Aſaph.*
Et fratres eius Semeia, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Iudas, & Hanani, in vaſis cantici Dauid viri Dei: & Eſdras ſcriba ante eos in porta Fontis.	35	*Et fratres eius Semahiah, & Hazarel, Millalai, Ghillalai, Mahai, Nethanel, & Iehudah, Chanani cum inſtrumentis muſicis Dauid viri Dei, & Hezra ſcriba ante eos: & ad portam fontis,*
Et contra eos aſcenderunt in gradibus ciuitatis Dauid in aſcenſu muri ſuper domum Dauid, & vſque ad portam Aquarum ad Orientem.	36	*Et contra eos aſcenderunt ſuper gradus ciuitatis Dauid in aſcenſu ad murum ſuper domum Dauid, vſque ad portam Aquarum ad Orientem.*
Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex aduerſo, & ego poſt eum, & media pars populi ſuper murum & ſuper turrim furnorum, & vſque ad murum latiſſimum,	37	*Et chorus ſecundus ibat ex aduerſo populi ſuper murum, ſuper turrim furnorum vſque ad murum latum.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Et in diebus Ioacim fratres eius sacerdotes, & principes patriarum, ipsi Saraia Amaria, ipsi Hieremia Anania,	12	*In diebus autem Ioiacim fuerunt Sacerdotes principes familiarum: ipsi Seraiah, Meraiah: ipsi Irmeiah, Hananiah:*
Ipsi Esdræ Mesulam, ipsi Amaria Ioanan,	13	*Ipsi Ezra, Mesullam: ipsi Amariah, Iehohanan:*
Ipsi Amaluch Ionathan, ipsi Sechenia Ioseph,	14	*Ipsi Melichu, Ionathan: ipsi Sebaniah, Ioseph:*
Ipsi Are Maunas, ipsi Marioth Elcai,	15	*Ipsi Harim, Adna: ipsi Meraioth, Helcai:*
Ipsi Adaia Zacharia, ipsi Ganathoth Mesolam,	16	*Ipsi Iddo, Zechariah: ipsi Ginnethon, Mesullam:*
Ipsi Abia Zechri, ipsi Miamin Maadai, ipsi Phaleti,	17	*Ipsi Abijah, Zichri: ipsi Miniamin, ipsi Moadiah, Piltai:*
Ipsi Balgas Samue, ipsi Semia Ionathan,	18	*Ipsi Bilgah, Sammua: ipsi Semaiah, Iehonathan:*
Ipsi Ioarib Matthanai, ipsi Edio Ozi,	19	*Ipsi autem Ioiarib, Matthenai: Ipsi Iedaiah, Vzzi:*
Ipsi Salai Callai, ipsi Amec Abed,	20	*Ipsi Sellai, Callai: ipsi Amoc, Eber:*
Ipsi Elcia Asabias ipsi Iedeihu Nathanael.	21	*Ipsi Hilcyah: Hasabiah: ipsi Iedaiah, Nethanel.*
Leuitæ in diebus Eliasib, Ioada, & Ioa, & Ioanan, & Idua scripti principes patriarum, & sacerdotes in regno Darij Persæ:	22	*Leuitæ qui erant in diebus Eliasib, Ioiada, & Iohanan, & Iaddua scripti fuerunt principes familiarum: ipsi quoque fuerunt Sacerdotes vsque ad regnum Dariaues Persæ.*
Filij autem Leui principes patriarum scripti in Libro verborum dierum, & vsque ad dies Ioanan filij Elisue.	23	*Filij Leui principes familiarum scripti sunt in libro Verborum dierum, vsque ad dies Iohanan filij Eliasib.*
Et principes Leuitarum Asabia, & Sarabia, & Iesu: & filij Cadmiel, & fratres eorum ante eos ad hymnum ad laudandum in mandato Dauid hominis Dei, vicem ad vicem.	24	*Principes autem Leuitarum: Hasabiah, Serebiah, & Iesua filius Cadmiel, & fratres eorum coram eis ad laudandum & ad confitendum, iuxta præceptum Dauidis viri Dei, custodia contra custodiam.*
In congregando me ianitores	25	*Matthaniah, & Bacbuciah, Obadiah, Mesullam, Talmon, Accub erant custodes & ianitores in custodia sua in liminibus portarum.*
In diebus Ioacim filij Iesu, filij Iosedec, & in diebus Neemia, & Esdras sacerdos, & scriba.	26	*Hi fuerunt in diebus Ioiacim filij Iesuæ filij Iosadac, & in diebus Nehemiah ducis, & Ezra sacerdotis & scribæ.*
Et in Encœniis muri Hierusalem quæsierunt Leuitas in locis earum ad adducendum eos in Hierusalem ad faciendum Encœnia, & lætitiam in Thodatha, & in canticis, pulsantes cymbala, & psalteria, & citharæ.	27	*In dedicatione autem muri Ieruſalaim requisierunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ieruſalaim, vt facerent dedicationem & lætitiam tum in laudibus, tum in cantico, cymbalis, psalteriis, & citharis.*
Et congregati sunt filij cantorum, & de adiacente regione in circuitu in Hierusalem,	28	*Congregati sunt igitur filij cantorum, tum de planitie, quæ est circum Ieruſalaim, tum de villis Nethophati,*
Et de villis, & de agris: quoniam villas ædificauerant sibi cantores in Hierusalem.	29	*De domo item Gilgal, & de agris Geba, & Azmaueth: quoniam villas ædificauerunt sibi cantores illi in circuitu Ieruſalaim.*
Et mundati sunt sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & ianitores, & murum.	30	*Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, ac mundauerunt populum, portas quoque, & murum.*
Et ascendere fecerunt principes Iuda super murum: & statuerunt duos pro laudatione magnos, & transierunt à dextris super murum stercoris.	31	*Ascendere itaque feci principes tribus Iehudah super murum, & statui duos choros magnos, progressioneſq; vnius ad dextram super murum ad portam Stercorum.*
Et iuerunt post eos Osaia, & dimidium principum Iuda,	32	*Et incessit post eos Hosaiah, & dimidium principum Iehudah:*
Et Azarias, & Esdras, & Mesollam, & Iuda, & Beniamin, & Samarias, & Hieremias,	33	*Et Azariah, Ezra, & Mesullam,*
Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias, filius Ionathan, filius Samaia, filius Matthania, filius Michæa, filius Zacchur, filius Asaph.	34	*Iehudah, & Biniamin, & Semaiah, & Irmeiah.*
Et fratres eius Samaia, & Oziel, Gelol, Iama, Aia, Nathanael, & Iuda, Anani, ad laudandum in canticis Dauid hominis Dei. Et Esdras scriba ante eos super portam ad laudandum ante eos.	35	*Et de filiis Sacerdotum cum tubis: Zechariah filius Ionathan filij Semaiah, filij Matthaniah, filij Michaiah filij Zacchur, filij Asaph.*
Et ascenderunt super scalas ciuitatis Dauid in ascensione muri desuper domo Dauid, vsque ad portam aquæ.	36	*Fratres vero eius, Semaiah, & Azareel, Milalai, Gilelai, Maai, Nethanel, & Iehudah, Hanani cum instrumentis musicis Dauidis viri Dei: Ezra autem scriba erat ante eos.*
Textus hic mutilus est.	37	*Et ad portam Fontis, & ex regione eorum ascenderunt per gradus Ciuitatis Dauidis per ascensum muri, à domo Dauidis vsque ad portam Aquarum ad Orientem.*

Vulgat. Editio.

Et ſuper portam Ephraim, & ſuper portam antiquam, & ſuper portam piſcium & turrim Hananeel, & turpim Emath, & vſque ad portam gregis: & ſteterunt in porta cuſtodiæ,

Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magiſtratuum mecum.

Et ſacerdotes, Eliachim, Maaſia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis,

Et Maaſia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Aelam, & Ezer, Et clare cecinerunt cantores, & Iezraia præpoſitus:

Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: Deus enim lætificauerat eos lætitia magna, ſed & vxores eorum & liberi gauiſi ſunt, & audita eſt lætitia Ieruſalem procul.

Recenſuerunt quoque in die illa viros ſuper gazophylacia theſauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas: quia lætificatus eſt Iuda in Sacerdotibus & Leuitis aſtantibus.

Et cuſtodierunt obſeruationem Dei ſui, & obſeruationem expiationis, & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius,

Quia in diebus Dauid & Aſaph ab exordio erant principes conſtituti cantorum in carmine laudantium, & confitentium Deo.

Et omnis Iſrael, in diebus Zerobabel, & in diebus Nehemiæ dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies ſingulos, & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aaron.

CAP. XIII.

IN die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi audiente populo: & inuentum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in eccleſiam Dei vſque in æternum:

Eo quod non occurrerint filiis Iſrael cum pane & aqua: & conduxerint aduerſum eos Balaam, ad maledicendum eis: & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem.

Factum eſt autem, cum audiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſrael.

Et ſuper hoc erat Eliaſib ſacerdos, qui fuerat præpoſitus in gazophylacio domus Dei noſtri, & proximus Tobiæ.

Fecit ergo ſibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vaſa, & decimam frumenti, vini, & olei, & partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias ſacerdotales.

In omnibus autem his non fui in Ieruſalem, quia anno trigeſimo ſecundo Artaxerxis regis Babilonis veni ad regem, & in fine dierum rogaui regem.

Et veni in Ieruſalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliaſib Tobiæ vt faceret ei theſaurum in veſtibulis domus Dei.

Et malum mihi viſum eſt valde. Et proieci vaſa domus Tobiæ foras de gazophylacio:

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

38 *Et ſuper portam Ephraim & ſuper portam veterem, & ſuper portam piſcium, & turrim Chananel, & turrim Meah, & vſque ad portam pecorum: & ſteterunt in porta cuſtodiæ.*

39 *Steteruntq; duo chori in domo Dei, & ego, & dimidium magiſtratuum mecum.*

40 *Et ſacerdotes Eliachim, & Mahaſeiah, Miniamin, Michaiah, Eliohenai, Zechariah, Chananiah cum tubis.*

41 *Et Mahaſeiah, & Semahiah, & Elhazar, & Huzzi, & Iehochanan, & Malchijah, & Helam, & Hazer. Et audire fecerunt cantores, & Izrachiah præpoſitus.*

42 *Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: Deus enim lætificauit eos lætitia magna, & etiam vxores, & nati lætati ſunt, & audita eſt lætitia Ieruſalaim procul.*

43 *Et conſtituti ſunt in die illa viri ſuper cubicula, ſuper theſauros, ſuper donata, ſuper primitias, & ſuper decimas, ad coaceruandum in ea ex agris ciuitatum partes legis, ſacerdotibus, & Leuitis: Lætitia enim Iehudah erat ſuper ſacerdotibus, & Leuitis qui ſtabant.*

44 *Et cuſtodierunt cuſtodiam Dei ſui, & cuſtodiam expiationis: & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Selomoh filij eius.*

45 *Quia in diebus Dauid, & Aſaph ab exordio erant principes cantorum cantici, hymni, & confeſſionum Deo.*

46 *Et omnis Iſrael in diebus Zerubabel, & in diebus Nehemiah dabant partes cantorum, & ianitorum per ſingulos dies: & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aharon.*

CAP. XIII.

1 *IN die illo lectum eſt in libro Moſeh in auribus populi, & inuentum eſt ſcriptum in eo quod non ingrediantur Hammonites, & Moabites eccleſiam Dei vſque in ſæculum.*

2 *Quia non præuenerunt filios Iſrael cum pane, & aquis, ſed conduxit aduerſus eum Bilham ad maledicendum ei: & conuertit Deus veſter maledictionem in benedictionem.*

3 *Et fuit, cum audiſſent legem, ſeparauerunt omnem mixturam ab Iſrael.*

4 *Et ante hac Eliaſib ſacerdos, fuerat præpoſitus cubiculo domus Dei noſtri, propinquus ipſi Thobijah.*

5 *Et fecit ſibi cubiculum grande, & ibi ante hac ponebant munera, thus, & vaſa, & decimam frumenti, & vini, & olei iuſſam vt detur Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & oblationem ſacerdotum.*

6 *Et in omni hoc non fui in Ieruſalaim, quia anno trigeſimo, & ſecundo Arthachſaſtha regis Babel veni ad regem, & in fine dierum poſtulaui à rege.*

7 *Et veni in Ieruſalaim, & intellexi malum quod fecerat Eliaſib propter Thobijah, vt faceret ei cubiculum in atriis domus Dei.*

8 *Et diſplicuit mihi valde, & proieci omnia vaſa domus Thobijah extra cubiculum.*

Transl. ex Septuag.

Ephræm,& ſuper portam piſcium ,& turri Arameel,& vſque ad portam gregis.

Et auditi ſunt cantores,& viſitati ſunt.

Et ſacrificauerunt in die illa victimas magnas , & lætati ſunt : quoniam Deus lætificauit eos magnifice. Et vxores eorum , & filij eorum lætati ſunt:& audita eſt lætitia in Hieruſalem à longe.

Et conſtituerunt in die illa viros ſuper gazophylacia,theſauris,primitiis , & decimis,& congregatis in ipſis principibus ciuitatum partes ſacerdotibus & Leuitis : quoniam lætitia in Iuda ſuper ſacerdotes,& ſuper Leuitas ſtantes.

Et cuſtodierunt cuſtodias Dei ſui , & cuſtodias mundationis & cantores,& ianitores ; ſicut mandata Dauid,& Salomon filij eius.

Quoniam in diebus Dauid Aſaph ab initio primus cantorum,& hymnum,& laudem Deo.

Et omnis Iſrael in diebus Zorobabel , & in diebus Neemiæ dantes partes cantorum,& ianitorum, verbum diei in die eius,& ſanctificantes Leuitis , & Leuitæ ſanctificantes filiis Aaron.

CAP. XIII.

IN illa die lectum eſt in libro Moyſi in auribus populi. Et inuentum eſt ſcriptum in eo ; vt non ingrediantur Ammanitæ , & Moabitæ in eccleſiam Dei vſque in ſæculum:

Quoniam non occurrerunt filiis Iſrael in pane, & aqua & conduxerunt ſuper eum Balaam ad maledicendum : & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem.

Et factum eſt , vt audierunt legem , & ſeparati ſunt omnis admiſtus in Iſrael.

Et ſuper hoc Eliaſib ſacerdos habitans in gazophylacio domus Dei noſtri propinquus Tobiæ.

Et fecit ſibi gazophylacium magnum. Et ibi fuerant antea dantes manaa , & thus , & vaſa, & decimam frumenti , & vini,& olei,mandatum Leuitarum,& cantorum,& ianitorum,& primitias ſacerdotum.

Et in omni hoc non fui in Hieruſalem:quoniam in anno trigeſimo & ſecundo Arthaſaſtha regis Babylonis veni ad regem,& poſt finem dierum petij à rege,

Et veni in Hieruſalem:& intellexi in malo, quod fecerat Eliaſib Tobiæ , faciendo ei gazophylacium in atrio domus Dei.

Et malum mihi viſum eſt valde : & proieci omnia vaſa domus Tobiæ foras de gazophylacio.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

38 *Chorus autem ſecundus proficiſcebatur regione , & ego eram poſt eum : & media pars populi ſuper murum ipſum à turri Furnorum vſque ad murum latum.*

39 *Et à porta Ephraim ,ad portam Veteris , & ad portam Piſcium, & turrim Hananel, & turrim Meah, vſque ad portam Pecorum : & ſteterunt in porta cuſtodiæ.*

40 *Suſtiteruntq; duo chori in domo Dei,& ego, & dimidium magiſtratuum mecum:*

41 *Et ſacerdotes Eliacim , Maaſeiah , Miniamin , Michaiah, Elioenai, Zechariah , Hananiah erant cum tubis.*

42 *Et Maaſeiah , & Semaiah , & Elazar, & Vzzi , & Iehohanan,& Malchijah , & Elam , & Ezer: audireq; fecerunt cantores, & Izrahiah erat præpoſitus.*

43 *Immolauerunt præterea in die illa victimas magnas, & lætati ſunt : Deus enim exhilarauit eos lætitia magna, quin & mulieres & pueri lætati ſunt , auditaque eſt lætitia Ieruſalaim procul.*

44 *Præpoſiti ſunt in die illa viri ſuper cubicula vt eſſent in theſauros oblationibus , primitiis, & decimis,ad coaceruandum in ea ex agris vrbium portiones legis Sacerdotibus , & Leuitis. lætitia enim Iehudah erat ſuper acerdotes & Leuitas qui aſſiſtebant.*

45 *Et cuſtodierunt cuſtodiam Dei ſui,& cuſtodiam expiationis: & cantores,& ianitores: iuxta præceptum Dauidis & Selomoh filij eius.*

46 *Nam tempore Dauidis & Aſaph, ab exordio erant principes cantorum, & viri cantici, laudis, & laudationum Deo.*

47 *Vniuerſus quoque Iſrael in diebus Zerubbabel & in diebus Nehemiah dabant portiones cantorum & ianitorum per ſingulos dies : ſanctificabant præterea Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aharon.*

CAP. XIII.

1 *IN die illo lectum eſt in libro Moſeh in auribus populi & inuentum eſt ſcriptum in eo, quod non ingrediantur Ammonitæ & Moabitæ eccleſiam Dei vſque in ſæculum:*

2 *Quia non præuenerunt filios Iſraelis cum pane, & aqua; ſed conduxit aduerſus eum Bilam vt malediceret ei : conuertit autem Deus noſter maledictionem in benedictionem.*

3 *Fuit autem,quum audiſſent legem, ſeparauerunt vniuerſam miſturam ab Iſraele.*

4 *At antea Eliaſib ſacerdos, fuerat præpoſitus cubiculo domus Dei noſtri,propinquus ipſi Tobijah.*

5 *Cui fecit cubiculum grande , vbi antea reponebant munera, thus, & vaſa, & decimam frumenti , & vini, & olei , iuſſam dari Leuitis , & cantoribus, & ianitoribus, oblationem quoque Sacerdotum.*

6 *Verum dum hæc omnia agerentur,non eram in Ieruſalaim : quia anno trigeſimo ſecundo Arthahſaſthe regis Babel veni ad regem,& in fine dierum poſtulaui à rege.*

7 *Quum autem veniſſem in Ieruſalaim , intellexi malum quod fecerat Eliaſib propter Tobijah, vt faceret ei cubiculum in atrijs domus Dei.*

8 *Quod diſplicuit mihi valde ,itaq; proieci omnia vaſa domus Tobijah extra cubiculum.*

Vulgat. Editio.

Præcepique & emundauerunt gazophylacia: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus. 9

Et cognoui quod partes Leuitarũ nõ fuissent datæ: & fugisset vnusquisque in regionem suam de Leuitis, & cantoribus, & de his, qui ministrabant: 10

Et egi causam aduersus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis. 11

Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini & olei in horrea. 12

Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 13

Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas misericationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis eius. 14

In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die sabbati. Et contestatus sum vt in die qua vendere liceret, venderent. 15

Et Tyrij habitauerunt in ea inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in sabbatis filiis Iuda in Ierusalem: 16

Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis & profanatis diem sabbati? 17

Numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? & vos additis iracundiam super Israel violando sabbatum. 18

Factum est autem, cum quieuissent portæ Ierusalem in die sabbati, dixi: & clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsque post sabbatum: & de pueris meis constitui super portas vt nullus inferret onus in die sabbati. 19

Et manserunt negotiatores, & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem semel & bis. 20

Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato. 21

Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. 22

Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas & Moabitidas. 23

Et filij eorum ex media parte loquebantur Azotice & nesciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi. 24

Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis, & sibimetipsis, dicens: 25

* 3. Reg. 3. 7. * Numquid non in huiusce modi re peccauit Salomon rex Israel? & certe in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israel: * & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 26

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Et dixi, & mundauerunt cubicula, & retuli illuc vasa domus Dei, oblationem & thus. 9

Et cognoui quod pars Leuitarum non esset data, & quod fugissent vnusquisque ad agrum suum, Leuitæ & cantores facientes opus. 10

Et increpaui magistratus, & dixi: Cur derelinquimus domum Dei? & congregaui eos, & stare feci eos in loco suo. 11

Et omnis Iehudah attulerunt decimam frumenti, vini, & olei ad thesauros. 12

Et constitui thesaurarios super thesauros, Selemiah sacerdotem, & Sadoc scribam, & Pedaiah de Leuitis, & iuxta manum eorum Chanan filium Zacchur, filij Matthaniah, quia fideles reputati sunt, & secundum eos ad diuidendum fratribus suis, 13

Memento mei Deus propter hoc, & ne deleas misericordias meas, quas feci in domo Dei mei, & in obseruationibus eius. 14

In diebus illis vidi calcantes torcularia in sabbato, & afferentes aceruos, & onerantes super asinos, & etiam vinum, vuas, & ficus, & omne onus, & afferentes in Ierusalaim in die sabbati: & contestatus sum diem qua venderent escam. 15

Et Sorim habitauerunt in ea, afferentes pisces, & omne venale, & vendebant in sabbato filiis Iehudah, in Ierusalaim. 16

Et obiurgaui optimates Iehudah, & dixi eis: Quod malum est hoc quod facitis, & prophanatis diem sabbati? 17

Nonne sic fecerunt patres vestri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem istam? & vos additis iracundiam super Israel, violando sabbatum? 18

Et fuit cum obumbratæ essent portæ Ierusalaim ante sabbatum, & dixi: Et clausæ sunt valuæ, & dixi, vt non aperirent eas nisi post sabbatum: & de pueris meis statui in portis, vt non introduceretur onus in die sabbati. 19

Et remanserunt negotiatores, & venditores omnis venalis extra Ierusalaim semel, & iterum. 20

Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerso muri? Si irritaueritis, manum mittam in vos. A tempore illo non venerunt in sabbato. 21

Dixiq; Leuitis, vt essent mundati, & venirent custodes portarum ad sanctificandum diem sabbati: etiam propter hoc memento mei Deus mi, & parce mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ. 22

Etiam in diebus illis vidi Iehudæos, qui duxerant vxores Asdodiotidas, Hammonitidas, Moabijotidas. 23

Et filij eorum partim loquebantur asdodice, & nesciebant loqui Iehudaice, sed secundum linguam cuiusque populi. 24

Et contendi cum eis, & maledixi eis, & percussi ex eis aliquos, & capillos euulsi eis, & adiuraui eos per Deum: si dederitis filias vestras filiis eorum, & si acceperitis de filiabus eorum filiis vestris, & vobis: 25

Nonne propter istas peccauit Selomoh rex Israel? Et in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super Israel: Etiam eum peccare fecerunt mulieres alienigenæ. 26

Transl. ex Septuag.

Et dixi,& mundauerunt gazophylacia. Et retuli illuc vasa domus Dei,manna,& thus.

Et cognoui, quia partes Leuitarum non fuerant datæ:& fugerant vir in agrum suum,Leuitæ,& cantores,facientes opus.

Et concertaui cum magistratibus, & dixi: Cur derelicta est domus Dei? Et congregaui eos,& statui eos in statione ipsorum.

Et omnis Iuda attulerunt decimam tritici,& vini,& olei in thesauros

Super manum Selemia sacerdotis, & Sadoc scribæ, & Phadaia ex Leuitis. Et ad manum eorum Anan filius Zahur filius Matthania, quoniam fideles putati sunt: super eos distribuere fratribus suis.

Memento mei Deus in hoc:non deleatur misericordia mea,quam feci in domo Domini Dei.

In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, & ferentes manipulos, & onerantes super asinos, & vinum & vuam, & ficus, & omne onus, & ferentes in Hierusalem in die sabbati. Et contestatus sum in die venditionis eorum.

Et sederunt in ea ferentes piscem, & omnem venditionem vendentes sabbato filiis Iuda, & in Hierusalem.

Et concertaui cum filiis Iuda ingenuis, & dixi eis:Quod verbum hoc malum,quod vos facitis? & pollutis diem sabbati?

Nonne sic fecerunt patres vestri;& adduxit super eos Deus noster, & super nos omnia mala hæc, & super ciuitatem hanc? Et vos additis iram super Israel polluendo sabbatum.

Et factum est, quando constiterunt portæ in Hierusalem ante sabbatum, & dixi, & clauserunt portas:& dixi, vt illæ non aperirentur vsque post sabbatum. Et de pueris meis statui super portas, vt non tollerent onera in die sabbati.

Et commorati sunt omnes, & fecerunt venditionem extra Hierusalem semel,& bis:

Et contestatus sum in eis,& dixi ad eos: Cur vos commoramini ante murum? si iteraueritis;extendam manum meam in vos. A tempore illo non venerunt in sabbato.

Et dixi Leuitis,qui erant mundati, & venientes custodientes portas sanctificare diem sabbati. Ad hæc memento mei Deus, & parce mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

Et in diebus illis vidi Iudæos, qui habitare fecerant vxores Azotias, Ammanitidas, Moabitidas:

Et filij eorum dimidium loquentes Azotice: & non sunt scientes loqui iudaice,

Et concertaui cum eis, & execratus sum eos: & percussi in eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui eos in Deo: Si dederitis filias vestras filiis eorum, & si acceperitis de filiabus eorum filiis vestris.

Nonne sic peccauit Salomon rex Israel? & in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo erat, & dederat eum Deus in regem super omnem Israel: & hunc declinare fecerunt mulieres alienæ.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Ac iussi, & mundauerunt cubicula: postea retuli illuc vasa domus Dei, oblationem & thus.

Cognoui præterea quod partes Leuitarum non fuissent datæ: quodque fugissent singuli in agrum suum, Leuitæ & cantores facientes opus.

Propterea increpaui magistratus, ac dixi, Cur derelicta est domus Dei? Congregaui itaque eos, & statui illos in locum suum.

Et vniuersus Iehudah attulerunt decimam frumenti, vini, & olei in thesauros.

Ac thesaurarios constitui super thesauros illos, Selemiah Sacerdotem, & Sadoc scribam, & Pedaiah ex Leuitis: iuxta manum autem eorum Hanan filium Zacchur, filij Matthaniah: quia fideles reputati sunt, & ad eos erat diuidere fratribus suis,

Memento mei Deus propter hoc, & ne deleas misericordias meas quas feci in domo Dei mei, & in obseruationibus eius.

In diebus illis vidi in Iehudah calcantes torcularia in sabbatho ipso, & afferentes aceruos, onerantes item asinos vino, vuis, & ficubus, ac quouis onere, afferentes inquam in Ierusalaim die sabbathi: & contestatus sum eos die qua vendebant escam.

Tyrij quoque ipsi habitauerunt in ea, afferentes pisces, & quascunque merces, & vendebant in ipso sabbatho filiis Iehudah in Ierusalaim.

Idcirco obiurgaui optimates Iehudah, ac dixi eis, Quæ est res hæc mala quam facitis, & profanatis diem sabbathi?

Annon sic fecerunt patres vestri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem istam? & vos additis iracundiam super Israelem, violando sabbathum?

Quum ergo obtenebratæ essent portæ Ierusalaim ante sabbathum, dixi, & clausæ sunt valuæ: dixi præterea ne aperirent eas nisi vsque post sabbathum: de pueris quoque meis statui in portis, ne introduceretur onus in die sabbathi.

Manserunt itaque negotiatores & venditores omnium rerum venalium extra Ierusalaim semel & iterum.

Et contestatus sum eos, ac dixi illis, Quare manetis vos ex aduerso muri? si iteraueritis, manum mittam in vos: à tempore illo non venerunt in sabbatho.

Dixi præterea Leuitis vt mundarent sese, & venirent ad custodiendum portas, & sanctificarent diem sabbathi. etiam propter hoc memento mei Deus mi, & parce mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

In diebus quoque illis vidi Iehudæos qui duxerant mulieres Asdodithidas, Ammonithidas, Moabithidas,

Et filij eorum partim loquebantur Asdodice, & nesciebant loqui Iehudaice, & secundum linguam cuiusque populi.

Propterea contendi cum eis, & maledixi eis, atque percussi ex eis aliquos, capilloso; eorum euulsi: & adiuraui eos per Deum, Si dederitis filias vestras filiis eorum, & si acceperitis de filiabus eorum filiis vestris, aut vobis.

Nonne propter ista peccauit Selomoh rex Israelis? & tamen in gentibus multis non fuit rex similis ei, qui dilectus Deo suo erat, & posuerat eum Deus regem super vniuersum Israelem: eum quoque peccare fecerunt mulieres alienigenæ.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo nostro & ducamus vxores peregrinas?	27	*Et vobis nunquid obediemus, vt faciamus omne malum grande hoc, vt præuaricemus in Deum nostrum, ducendo vxores alienigenas?*
De filiis autem Ioiada filij Eliasib sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Honorites, quem fugaui à me.	28	*De filiis autem Ioiadah filij Eliasib sacerdotis magni, gener erat ipsi Sanballath Choronitæ, & fugaui eum à me.*
Recordare Domine Deus meus aduersum eos, qui polluunt sacerdotium iusque Sacerdotale, & Leuiticum.	29	*Recordare eorum Deus mi contra eos qui polluunt Sacerdotium, & pactum sacerdotij & Leuitarum.*
Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum, & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo:	30	*Et mundaui eos ab omni alienigena, & statui obseruantias sacerdotibus, & Leuitis, vnicuique in opere suo:*
Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis & in primitiuis: memento mei Deus meus in bonum. Amen.	31	*Et oblationi lignorum in temporibus constitutis, & primitiuis: recordare mei Deus meus, in bonum.*

FINIS LIBRI SECVNDI ESDRÆ.



Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Et vos numquid audiemus facere omne malum hoc, prævaricari in Deum nostrum, ducendo vxores alienas?	27	*Et vobis nunquid oboediamus vt admittamus omne malum grande hoc, vt prævaricemur in Deum nostrum, ducendo mulieres alienigenas?*
Et de filiis Ioada filij Eliſub ſacerdotis magni, generis Sahaballat Vranitæ, & expuli eum à me.	28	*Vnus autem è filiis Ioiada filij Eliasib Sacerdotis magni, gener erat ipsius Sanballat Horonitæ, propterea fugaui eum à me.*
Memor eſto eis Deus ſuper abdicatione ſacerdotis, & teſtamento ſecerdotij, & Leuitas.	29	*Recordare eorum Deus mi contra eos qui polluunt Sacerdotium, & pactum Sacerdotij & Leuitarum.*
Et mundaui eos ab omni alienatione, & ſtatui vices ſacerdotibus, & Leuitis, vir ſicut opus eius.	30	*Itaque emundaui eos ab omni alienigena: & ſtatui obſeruantias Sacerdotibus & Leuitis, vnicuique in opere ſuo:*
Et donum portantium ligna in temporibus à temporibus, & in Bacchuriis. Memento mei Deus in bonitatem.	31	*Atque oblationi lignorum temporibus conſtitutis primitiis quoque. recordare mei Deus mi, in bonum.*

FINIS LIBRI SECVNDI ESDRÆ.

LIBRI TOBIAE.

Vulgat. Editio.

CAPVT PRIMVM.

TObias ex tribu, & ciuitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens ciuitatem Sephet)

* 4. Reg. 17 3. & 18. 9. * Cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit,

Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.

Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

* 3. Reg. 12 28. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, * quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium,

Sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens,

Ita vt in tertio anno proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem.

Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus obseruabat,

Cum vero factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei,

Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

Igitur, cum per captiuitatem deueniisset cum vxore sua, & filio in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua,

(Cum omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodiuit animam suam, & numquam contaminatus est in escis eorum.

Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis,

Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.

Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.

Cum autem veniisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti:

Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

LIBRI TOBIT.

Transl. ex Septuag.

CAPVT PRIMVM.

Liber verborum Tobit filij Tobiel filij Ananiel filij Aduel filij Gabael de semine Asiel, de tribu Nephthali;

Qui captiuus ductus est in diebus Enemessari regis Assyriorum, è Thisbes, quæ est à dextris Cydios Nephthali in Galilæa super Aser. Ego Tobit in vijs veritatis ambulabam, & iustitiæ, omnibus diebus vitæ meæ,

Et eleemosynas multas feci fratribus meis, & genti, profectis mecum in regionem Assyriorum in Niniue.

Et quando eram in regione mea in terra Israel, cum ego essem iunior, vniuersa tribus Nephthali patris mei recessit à domo Hierosolymorum, quæ fuerat electa ex omnibus tribubus Israel, vt omnes tribus sacrificarent: & sanctificatum fuerat templum habitationis altissimi, & ædificatum fuerat in omnes generationes seculi.

Et omnes tribus, quæ simul recesserant, sacrificabant ipsi Baal ipsi vitulæ, & domus Nephthali patris mei.

Et ego solus ibam sæpe in Hierosolyma in festiuitatibus, sicut scriptum est omni Israel in præcepto æterno, primitias, & decimas geniminum, & primas tonsuras habens: & dabam eas sacerdotibus filiis Aaron ad altar omnium geniminum: decimam dabam filiis Leui ministrantibus in Hierusalem; & secundam decimam diuendebam, & ibam, & expendebam ea in Hierosolymis per singulos annos:

Et tertiam dabam, quibus conueniebat; sicut mandauerat Debbora mater patris mei:

Propterea, quod orphanus relictus sum à patre meo.

Et, quando factus sum vir; accepi Annam vxorem de semine patriæ meæ: & genui ex ea Tobiam.

Et quando captiui ducti sumus in Niniue;

Omnes fratres mei, & qui de genere meo, comedebant de panibus gentium: ego autem conseruauit animam meam, vt non manducarem,

Sicut memineram Dei in tota anima mea. Et dedit altissimus gratiam, & formam in conspectu Enemessari:

Et fui eius emptor.

Et iui in Mediam,

Et deposui Gabaelo fratri Gabriæ in Ragis Mediæ, argenti talenta decem.

Vulgat. Editio.

Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo & filios Israel exosos haberet in conspectu suo:

Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis:

Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.

* Denique cum reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.

* 4. Reg. 19. 35. Eccl. 48. 24.

At vbi nunciatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.

Tobias vero cum filio suo, & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

* Post dies vero quadragintaquinq; occiderunt regem filij ipsius,

* Esa. 37. 38. 2. Mac. 8. 19. 2. Par. 32. 21.

Et reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.

CAP. II.

POsthæc vero, cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ,

Dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.

Cumque abiisset, reuersus nunciauit ei: vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus:

Tollensque illud portauit ad domum suam occulte, vt dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.

Cumque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore,

Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus * per Amos prophetam: Dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum.

* Amos 8. 10. 2. Mac. 1. 14.

Cum vero sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum.

Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes. Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?

* Sed & Tobias plus timens Deum, quam regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.

* Sup. 1. 23.

Contigit autem, vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset,

Transl. ex Septuag.

Et quando mortuus est Emeneſſar, regnauit Sennecherim filius eius pro eo: & viæ eius infirmatæ ſunt: & non vltra potui ire in Mediam.

Et in diebus Emeneſſari eleemoſynas multas faciebam fratribus meis:

Panes meos dabam eſurientibus, & veſtimenta nudis: & ſi quem de genere meo aſpiciebam mortuum, & proiectum poſt murum Nineue, ſepeliebam eum:

Et ſi quem interfecerat Sennecherim rex, quando venit fugiens è Iudæa, ſepeliebam eos furatus: multos enim interfecit in furore ſuo. Et quæſita ſunt à rege corpora, & non ſunt inuenta.

Profectus autem vnus eorum, qui de Nineue, indicauit regi de me, quia ſepelio eos: & occultatus ſum.

Cognoſcens autem, quia queror, vt moriar, timore perculſus receſſi. Et directa ſunt omnes ſubſtantiæ meæ: & non remanſit mihi quicquam præter Annam vxorem meam, & Tobiam filium meum.

Et non tranſierunt dies quinquaginta, donec interfecerunt eum duo filij eius. Et fugerunt in montes Ararath. Et regnauit Sacherdonus filius eius pro eo: & conſtituit Achiacharum Anael filium fratris mei ſuper omnem computationem regni ſui, & ſuper omnem adminiſtrationem: & poſtulauit Achiacharus pro me: & veni in Nineue. Achiacharus autem erat pincerna, & ſuper annulum, & adminiſtrator, & computator. Et conſtituit eum Sacherdonus ſecundo: erat autem filius fratris mei.

* *Quando autem deueni in domum meam, & reſtituta eſt mihi Anna vxor mea, & Tobias filius meus.*

* Hic incipit cap. in tranſl. ex Sep. Rom.

CAP. II.

IN Pentecoſte feſtiuitate, quæ eſt ſancta ſeptem hebdomadarum, factum eſt prandium bonum mihi: & accubui ad manducandum. Et aſſexi obſonia multa.

Et dixi filio meo: Vade, & adduc, quemcumque inueneris fratrum noſtrorum egentem, qui meminerit Domini: & ecce expecto te.

Et veniens dixit: Vnus de genere noſtro ſtrangulatus proiectus eſt in platea. Et ego, antequam ego guſtarem,

Exiliens tuli in domum quandam, donec occidit Sol.

Et reuerſus, laui me, & comedebam panem meum in triſtitia:

Et recordatus ſum prophetiæ Amos, quomodo dixit: Conuertentur dies feſti veſtri in luctum, & omnes lætitiæ veſtræ in lamentationem. Et ploraui:

Et quando occiderat Sol; abij, & fodiens ſepeliui eum.

Et proximi irridebant, dicentes: Non adhuc timet interfici pro re hac: & aufugit, & ecce rurſus ſepelit mortuos.

Et in ipſa nocte, redij, cum ſepeliſſem, & cubui pollutus iuxta murum atrij:

Vulgat. Editio.

Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretque cæcus.

Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

Nam cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei,

Sed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.

Nam ſicut beato Iob inſultabant reges, ita iſti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes:

Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas?

Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui:

Quoniam filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo.

Anna vero vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat.

Vnde factum eſt, vt hœdum caprarum accipiens detuliſſet domi:

Cuius cum vocem balantis vir eius audiſſet dixit: * Videte, ne forte furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

* Deu. 22. 1.

* Ad hæc vxor eius irata reſpondit: Manifeſte vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt.

* Iob 2. 9.

Atque his, & aliis huiuſcemodi verbis exprobrabat ei.

CAP. III.

TVnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis,

Dicens: Iuſtus es Domine, & omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas, & iudicium.

Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.

* Deu. 28. 15.

* Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi ſumus in direptionem & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus in quibus diſperſiſti nos.

Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus ſecundum præcepta tua, & non ambulauimus ſyncriter coram te.

Et nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam viuere.

Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipſa audiret improperium ab vna ex ancillis patris ſui,

Tranſl. ex Septuag.

Et facies mea diſcooperta erat: & non vidi, quia paſſeres in muro erant: & oculis meis apertis immiſerunt paſſeres calidum in oculos meos: & facta ſunt albugines in oculis meis: & iui ad medicos: & non profuerunt mihi. Achiacharus autem nutriebat me, quoadusque profectus ſum in Elymaida.

(.·.)

(.·.)

Et vxor mea Anna ſeruiebat in Gynecæis, & mittebat dominis: & reddiderunt ei etiam ipſi mercedem,

Addentes etiam hœdum.

Quando autem venit ad me, cœpit clamare. Et dixi ad eam: Vnde hœdus? nunquid furtiuus eſt redde illum dominis: non enim licitum eſt manducare furtiuum. At illa dixit: donum mihi datum eſt ſuper mercedem. Et non credebam ei: & dicebam reddere illum dominis, & erubeſcebam aduerſus eam.

At illa reſpondens dixit mihi: Vbi ſunt eleemoſynæ tuæ, & iuſtitiæ tuæ? Ecce cognita omnia tecum.

CAP. III.

ET triſtatus ploraui: & deprecatus ſum cum dolore,

Dicens: Iuſtus es Domine: & omnia opera tua, & omnes viæ tuæ, miſericordia, & veritas: & iudicium verum, & iuſtum tu iudicas in ſæculum.

Memento mei, & reſpice ſuper me. Ne de me vindictam ſumas propter peccata mea, & ignorantias meas, & patrum meorum, qui peccauerunt in conſpectu tuo.

Non enim obedierunt mandatis tuis: & dediſti nos in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & parabolam improperij omnibus gentibus, in quibus diſperſi ſumus.

Et nunc multa ſunt iudicia tua, & vera ex me ad faciendum pro peccatis meis, & patrum meorum: quoniam non fecimus mandata tua: non enim ambulauimus in veritate coram te.

Et nunc ſecundum id quod placet coram te, fac mecum: præcipe recipere ſpiritum meum, vt diſſoluar, & iam terra: quoniam expedit mihi mori, quam viuere: quoniam improperia falſa audiui: & triſtitia multa eſt in me. Præcipe abſolui me de neceſſitate iam in æternum locum: ne auertas faciem tuam à me.

In eadem die contigit filiæ Raguel Sarræ in Ecbatanis Mediæ, & ipſam improperari ab ancilla patris ſui:

Vulgat. Editio.

Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam.

Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.

Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit:

Sed in oratione perstitens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.

Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum,

Dixit: Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.

Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.

Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certe desuper terram eripias me.

Tu scis Domine, quia numquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.

Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.

Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alij conseruasti me.

Non est enim in hominis potestate consilium tuum.

Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: & post lachrymationẽ, & fletum, exultationem infundis.

Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.

In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei:

Et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

CAP. IIII.

IGitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum,

* Eccl. 7.29. Dixitque ei: * Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe.

Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: * & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius:

* Exo. 20.12.

Transl. ex Septuag.

Quoniam data fuerat viris septem: & Asmodæus malum dæmonium interfecerat eos, antequam illi fuissent cum ea, vt in vxoribus.

Et dixerunt ad eam: Non intelligis suffoeans tu viros? Ecce septem habuisti: & vnius eorum non es nominata. Quid nos flagellas? Si mortui sunt, vade cum eis: non videamus tuum filium, vel filiam in sæculum.

Hæc audiens tristata est valde, vt suffocaretur, & dixit: Vna quid m sum patri meo: si fecero hoc; opprobrium ei erit, & senectutem eius deducam cum dolore ad infernum.

Et orauit ad fenestram:

Et dixit: Benedictus es Domine Deus meus, & benedictum nomen tuum sanctum, & honorabile in sæcula. Benedicant te omnia opera tua in sæculum.

Et nunc Domine oculos meos, & faciem meam in te dedi:

Dixi vt absoluas me de terra, & non facias me audire vltra improperium.

Tu cognoscis Domine, quia munda sum ab omni peccato viri, neque pollui nomen meum, neque nomen patris mei in terra captiuitatis mea. Vnigenita sum patri meo; & non adest ei puer, qui hereditabit eum, neque frater propinquus, neque exiliens ei filius, vt conseruem me ei vxorem: iam perierunt mihi septem. Vtquid mihi viuere? Et si non videtur tibi interficere me; præcipe r spicere in me, & non vltra miserabilem me facere, & audire improperium.

(*) (*)

CAP. IIII.

IN illa die recordatus est Tobit de argento, quod deposuerat apud Gabael in Ragis Mediæ: & dixit in s. ipso: Ego p tij mortem: cur non Tobiam filium meum, vt ei indicem, priusquam ego moriar?

Et vocans eum dixit:

Fili, si mortuus fuero, sepeli me, & ne despicias matrem tuam: honora eam omnibus diebus vitæ tuæ, & fac quod placitum ei: & ne contristes eam:

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
	Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.	4	*Memento fili; quia multa pericula vidit propter te in ventre.*
	Cum autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.	5	*Cum mortua fuerit; sepeli eam iuxta me in vno sepulchro.*
	Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.	6	*Omnibus diebus fili Domini Dei nostri recordare, & noli peccare, & transgredi mandata eius. Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & ne ambulaueris vijs iniustitiæ; quoniam faciente te veritatem, prosperitates erunt in operibus tuis, & omnibus facientibus iustitiam.*
★ Luc. 14. 13. Pro. 3. 9 Ecc. 4. 1 & 14. 13 Eccli. 35. 4.	★ Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.	7	*Ex substantia tua fac eleemosynam; & non videat oculus tuus in faciendo te eleemosynam. Ne auertas faciem tuam ab omni mendico: & à te non auertetur facies Dei.*
	Quomodo potueris, ita esto misericors.	8	*Quomodo tibi fuerit secundum multitudinem; facito ex eis eleemosynam.*
	Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.	9	*Si paucum tibi fuerit; iuxta paucum ne timeas facere eleemosynam.*
	Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.	10	*Præmium enim bonum thesaurizas tibi in diem necessitatis:*
★ Eccl. 29. 13.	★ Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.	11	*Quoniam eleemosyna à morte liberat, & non permittit introire in tenebras.*
	Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.	12	*Munus enim bonum est eleemosyna omnibus facientibus eam in conspectu altissimi.*
★ 1. Thes. 4. 3.	★ Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen scire.	13	*Attende tibi fili ab omni fornicatione: & vxorem primum accipe de semine patrum tuorum: non accipias vxorem alienam, quæ non est de tribu patris tui, quoniam filij prophetarum sumus: Noe, Abraham, Isaac, Iacob, isti patres nostri à sæculo. Memento fili, quia ipsi omnes acceperunt vxores de fratribus suis, & benedicti sunt in filiis suis, & semen eorum hæreditabit terram.*
★ Gen. 3. 5.	Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: ★ in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.	14	*Et nunc fili dilige fratres tuos: & noli superbire corde tuo, præ fratribus tuis, & filijs, & filiabus populi tui, accipere tibi ex eis vxorem: quoniam in superbia perditio, & perturbatio multa, & in nequitia diminutio, & egestas magna: nequitia enim mater est famis.*
★ Leu. 19. 13. Deu. 24. 14. Mat. 7. 12.	★ Quicumque tibi aliquid operatus fuerit statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.	15	*Merces omnis hominis, quicumque operatus fuerit, apud te non moretur: sed redde ei statim. Si seruieris Deo, reddetur tibi.*
	★ Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.	16	*Attende tibi fili in omnibus operibus tuis, & esto eruditus in omni conuersatione tua. Et quod odio habes; nemini feceris.*
★ Luc 6 31. ★ Luc. 14. 24.	★ Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.	17	*Vinum ad ebrietatem ne bibas: & non erit tecum ebrietas in via tua. De pane tuo da esurienti, & de vestibus tuis nudis. Omne quodcumque superfuerit tibi, fac eleemosynam, & non inuideat oculus tuus in faciendo te eleemosynam.*
	Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.	18	*Effunde panes tuos super sepulturam iustorum: & ne dederis peccatoribus.*
	Consilium semper à sapiente perquire.	19	*Consilium ab omni prudente quære: & ne contemnas super omne consilium vtile.*
	Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.	20	*Et in omni tempore benedic Dominum Deum: & ab eo pete, & viæ tuæ rectæ sint, & omnes semitæ tuæ, & consilia tua prosperentur: eo quod omnis gens non habet consilium: sed ipse Dominus dat omnia bona: & quemcumque voluerit humiliat, sicut vult. Et nunc fili recordare mandatorum meorum, & non delantur de corde tuo.*
	Indico etiam tibi fili mi dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo:	21	*Et nunc indico tibi decem talenta argenti, quæ deposui apud Gabaelum filium Gabriæ in Ragis Mediæ.*
	Et ideo perquire quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum	22	

Vulgat. Editio.

Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed * multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *Rom. 8.17.

CAP. V.

TVnc respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater.

Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui.

Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet.

Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt, dum adhuc viuo, recipias eam.

Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quàsi paratum ad ambulandum.

Et ignorans, quod Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis?

At ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

Cui respondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.

Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo.

Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater rogauit vt introiret ad eum.

Ingressus itaq; salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper.

Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?

Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.

Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatatem Medorum? & cum redieris, restituam tibi mercedem tuam.

Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te.

Cui Tobias respondit: Rogo te indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?

Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium qui cum filio tuo eat?

Sed ne forte solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.

Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris, quod voluerim cognoscere genus tuum.

Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.

Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

Transl. ex Septuag.

23 *Et ne timeas fili, quia mendici facti sumus. Sunt tibi multa, si timueris Deum, & recesseris ab omni peccato, & feceris, quod placitum coram eo.*

CAP. V.

1 *ET respondens Tobias dixit ei: Pater faciam omnia, quæcumque mandasti mihi:*

2 *Sed quomodo potero accipere argentum, & non cognosco eum.*

3 *Et dedit ei Chirographum,*

4 *Et dixit ei: Quære tibi hominem, qui simul ibit tecum, & dabo ei mercedem, dum viuo: & accipe vadimonium argentum.*

5 *Et iuit quærere hominem, & inuenit Raphael,*

6 *Qui erat Angelus, & nesciebat.*

7 *Et dixit ei: Si possum ire tecum in Ragis Medie, & si peritus es locorum?*

8 *Et dixit ei Angelus: Ibo tecum, & via peritus sum, & apud Gabael fratrem nostrum commoratus sum.*

9 *Et dixit ei Tobias: Subsiine me, & dicam patri. Et dixit ei: Vade, & ne tardaueris.*

10 *Et ingressus dixit patri: Ecce inueni, qui simul ibit mecum. At ille dixit: Voca ipsum ad me, vt agnoscam, cuius tribus est, ac, si fidelis ad eundum tecum.*

11 *Et vocauit eum, & introiuit: & salutarunt se inuicem.*

12

(·.·)

13

(·.·)

14

(·.·)

15

16 *Et dixit ei Tobit: Frater, ex qua tribu, & ex qua patria es tu? indica mihi.*

17 *Et dixit ei: Tribum, & patriam tu quæris; an mercenarium, qui simul ibit cum filio tuo?*

18 *Et dixit ei Tobit: Volo frater agnoscere genus tuum, & nomen. At ille dixit: Ego Azarias Ananiæ magni de fratribus tuis.*

19 *Et dixit ei: Sanus venias frater: & ne mihi irascaris, quia quæsiui tribum tuam, & patriam tuam agnoscere: & tu es frater meus ex pulchra, & bona progenie. Cognoui enim ego Ananiam, & Ionathan filios Semei magni; quomodo ibamus via in Hierosolyma ad adorandum, offerentes primogenita, & decimas geninimum: & non errauerunt in errore fratrum nostrorum. De bona radice es frater. Sed dicito mihi, quam tibi ero mercedem daturus? drachmam die, & necessaria tibi, sicut & filio meo, & adhuc adijciam tibi super mercedem, si sani reuerteritis. Et bene senserunt sic. Et dixit ad Tobiam: Paratus esto ad viam, & prosperemini.*

Vulgat. Editio.

Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.

* Inf. 10.4 * Cumque profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis.

Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.

Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.

Dixitque ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

Credo enim quod Angelus Dei bonus cõmitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.

Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

CAP. VI.

PRofectus est autem Tobias, & canis sequutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.

Et exiuit, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.

Quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine inuadit me.

Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.

Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter.

Quod cum fecisset, assauit carnes eius & secum tulerunt in via: cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.

Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti.

Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.

Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.

Et dixit ei Tobias: Vbi vis, vt maneamus?

Respondensque Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.

* Nu. 27.8. & 36.8. * Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem.

Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.

Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.

Transl. ex Septuag.

22 *Et parauit filius eius, quæ ad viam. Et dixit ei pater eius: Vade cum homine hoc. Qui autem in cœlo habitat Deus, prosperabit viam vestram: & Angelus eius ibit vobiscum.*

23 *Et exierunt vtrique ad abeundum, & canis pueri cum eis. Ploraut autem Anna mater eius, & dixit ad Tobit: Quid emisisti filium nostrum? An non virga manus nostræ est in ingrediendo ipsum, & egrediendo coram nobis?*

24 *Argentum argento non anteuertat, sed peripsema filij nostri sit.*

25 *Quomodo enim datum est nobis viuere à Domino, hoc satis multum nobis est.*

26 *Et dixit ei Tobit: Ne solicitudinem habeas soror: sanus veniet, & oculi tui videbunt eum.*

27 *Angelus enim bonus ibit cum eo: & prosperabitur iter eius, & redibit sanus.*

* *Et cessauit plorans.*

* Hic incipit c. 6. in transl. ex Sep. Rom.

CAP. VI.

1 *ILli vero euntes viam, venerunt vesperi ad Tigrim flumen, & manserunt ibi.*

2 *Puer autem descendit ad lauandum se: & prosiliit piscis è flumine, & voluit deuorare puerum.*

3

4 *Angelus autem dixit ei: Apprehende piscem. Et tenuit piscem puer, & proiecit eum super terram.*

5 *Et dixit ei Angelus: Incide piscem, & sumens cor, & iecur, & fel, repone tuto.*

6 *Et fecit puer, sicut dixit ei Angelus. Piscem autem assanies comederunt. Et pergebant vtrique: donec appropinquauerunt in Ecbatana.*

7 *Et dixit puer Angelo: Azaria frater, quid est cor, & iecur, & fel piscis?*

8 *Et dixit ei: Cor, & iecur, si quem turbauerit dæmonium, vel spiritus malignus, hæc oportet suffire coram homine, vel muliere: & non vltra turbabitur.*

9 *Fel autem, vnge hominem, qui habet allugines in oculo, & sanabitur.*

10 *Vt autem appropinquauerunt Rage;*

11 *Dixit Angelus puero: Frater, hodie manebimus apud Raguel, & ipse cognatus tuus est, & est ei filia nomine Sara.*

12 *Loquar de ea, vt ipsa detur tibi in vxorem, & quoniam ad te pertinet hæreditas eius, & tu solus es de genere eius, & puella pulchra, & prudens est.*

13 *Et nunc audi me, & loquar patri eius: &, quando reuertemus è Ragis, faciamus nuptias: quoniam nouit Raguel, quia non dabit eam viro alteri iuxta legem Moysi, vel reus erit mortis: quoniam hæreditatem tibi conuenit accipere, quam omnem hominem.*

14 *Tunc dixit puer Angelo: Azaria frater, audiui ego puellam datam esse septem viris, & omnes in nuptiali thalamo periisse.*

Vulgat. Editio.

Timeo ergo ne forte & mihi hæc eueniant: & cum sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.

Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium.

Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.

Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.

Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium.

Secunda vero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.

Tertia autem nocte benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.

Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

CAP. VII.

INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio.

Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quam similis est iuuenis iste consobrino meo?

Et cum hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captiuitate Niniue,

Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.

Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

Et misit se Raguel, & cum lachrymis osculatus est eum, & plorans supra collum eius,

Dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri filius es.

Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia lachrymatæ sunt.

Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium,

Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

Quo audito verbo Raguel, expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne forte, & huic similiter contingeret: & cum nutaret, & non daret petenti vllum responsum,

Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces, & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.

Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ * secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere, quod tibi eam tradam.

* Nu. 26.6.

Transl. ex Septuag.

15 *Et nunc ego solus sum patri: & timeo, ne ingressus moriar, sicut & priores: queniam dæmonium diligit eam; quod non nocet cuiquam, nisi accedentibus ad eam. Et*
16 *nunc ego timeo, ne moriar, & deducam vitam patris mei, & matris meæ cum dolore super me in sepulturam ipsorum: & filius alius non est eis qui sepeliet eos. Dixit autem ei Angelus: Non meministi verborum, quæ mandauit*
17 *tibi pater tuus, super accipiendo te vxorem de gente tua? Et nunc audi me frater: quoniam tibi erit in vxorem: & dæmonij nullam rationem habe: quoniam nocte*
18 *hac dabitur tibi hæc ipsa in vxorem. Et, si ingressus fueris in thalamum; sumes cinerem thymiamatum, & superpones de corde, & iecore piscis; & facies fumigare: &*
19 *olfaciet dæmonium, & fugiet, & non redibit iterum in sæculum sæculi.*

20 *Quando autem accedes ad eam; surgite vtrique, & clamate ad misericordem Deum, & saluabit vos, & mi-*
21 *serebitur. Ne timeas, quoniam tibi hæc parata fuit à*
22 *sæculo: & tu ipsam saluabis, & ibit tecum: & existimo, quia tibi erunt ex ea filij. Et, vt audiuit Tobias hæc; dilexit eam, & anima ipsius adhæsit valde ei. Et venit in Ecbatana.*

CAP. VII.

1 *ET aduenit in domum Raguel. Et Sarra vero occurrit ei, & salutauit eum, & ipse eos. Et introduxit eos in domum.*

2 *Et dixit Raguel Ednæ vxori suæ: Quam similis adolescens Tobit consobrino meo?*

3 *Et interrogauit eos Raguel: Vnde estis fratres? Et dixerunt ei: De filiis Nephthali captiuorum in Ninene.*

4 *Et dixit eis: Noscitis Tobit fratrem nostrum? At illi dixerunt: Noscimus. Et dixit eis: Valet? At illi dixerunt: Et viuit, & valet.*

5 *Et dixit Tobias: Pater meus est.*

6 *Et prosilijt Raguel: & deosculatus est eum, & plorauit.*

7 *Et benedixit eum, & dixit ei: Honesti, & boni hominis filius. Et audiens, quia Tobit amisit oculos suos; tristatus est, & plorauit.*

8 *Et Edna vxor eius, & Sarra filia eius plorauerunt:*

9 *Et susceperunt eos prompte: & immolauerunt arietem ouium, & apposuerunt obsonia plura.*

10 *Dixit autem Tobias ad Raguel: Azarias frater loquere, de quibus dicebas in itinere, & perficiatur negotium. Et communicauit verbum ipsi Raguel.*

11 *Et dixit Raguel ad Tobiam: Comede, & bibe, & iucundè esto: tibi enim conuenit filiolam meam accipere: verumtamen indicabo tibi veritatem. Dedi filiolam meam septem viris, & simulatque ingredebantur ad eam; moriebantur sub noctem. Sed in præsentia iucunde*
12 *esto. Et dixit Tobias: Non gustabo quicquam hic, quoadusque fietis, & statuatis ante me. Et dixit Raguel: Duc illam ex nunc iuxta iudicium: tu vero frater es illius,*
13 *& ipsa tui est. Misericors autem Deus prosperabit vobis optima.*

14

Textus huius transl. adeo differt à nostra vulgata, vt numeris respondentib. minime coaptare possint.

Difficile possunt numeris ista cõnecti textui nostræ vulgatæ.

Vulgat. Editio.

Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.

Et accepta charta fecerunt conscriptionem coniugij.

Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

Vocauitque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum.

Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lachrymata est.

Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio, quod perpessa es.

CAP. VIII.

POstquam vero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.

Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos.

Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.

Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes, quæ ignorant Deum.

Surgentes autem pariter, initanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.

Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli, & terræ, mareque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

* Gen. 2.7. * Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Heuam.

Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.

Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.

Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulchrum.

Dicebat enim: ne forte simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.

Cumque parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei:

Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies.

At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos, & incolumes, secum pariter dormientes.

Et reuersa, nunciauit bonum nuncium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius,

Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.

Transl. ex Septuag.

15 *Et vocauit Sarram filiam suam, & sumens manum eius tradidit eam Tobiæ vxorem: & dixit: Ecce iuxta legem Moysi duc eam, & adduc ad patrem tuum. Et benedixit eos. Et vocauit Ednam vxorem suam:*

16 *Et sumens librum, scripsit syngraphum, & obsignauit.*

17 *Et cœperunt comedere.*

18 *Et vocauit Raguel Ednam vxorem suam, & dixit ei: Soror para alterum thalamum, & introduc eam. Et fecit sicut dixit:*

19 *Et introduxit eam illuc, & plorauit: & suscepit lachrymas filiæ suæ.*

20 *Et dixit ei: Confide filia, Dominus cœli, & terræ det tibi gratiam pro tristitia tua hac. Confide filia.*

CAP. VIII.

1 *POstquam vero consummauerunt cœnantes, introduxerunt Tobiam ad eam.*

2 *Ille autem vadens recordatus est verborum Raphael, & sumpsit cinerem thymiamatum, & superposuit cor piscis, & iecur, & fecit famigare.*

3 *Quando autem olfecit dæmonium odorem; fugit in superiora Aegypti: & ligauit ipsum Angelus.*

4 *Vt autem clausi sunt vtrique, surrexit Tobias de lecto, & dixit: Surge soror, & deprecemur, vt misereatur nostri Dominus.*

5

6

7 *Et cœpit Tobias dicere: Benedictus es Deus patrum nostrorum, & benedictum nomen tuum sanctum, & honoratum in sæcula. Benedicant te cœli, & omnes creaturæ eius.*

8 *Tu fecisti Adam, & dedisti ei adiutricem Euam firmamentum vxorem eius. Ex his natum est hominum semen. Tu dixisti non bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutricem similem ei.*

9 *Et nunc Domine non propter fornicationem ego accipio sororem meam hanc, sed super veritatem.*

10 *Præcipe misereri mei, & ei consenescere. Et dixit secum, Amen. Et dormierunt vtrique nocte.*

11 *Et surgens Raguel iuit, & effodit sepulchrum,*

12

13 *Et venit Raguel in domum suam, & dixit Ednæ vxori suæ.*

14 *Mitte vnam ancillarum, & videant, si viuit: si autem non, vt sepeliamus eum, & nemo sciat.*

15 *Et intrauit ancilla aperiens ianuam, & inuenit ambos dormientes:*

16 *Et egressa annunciauit eis, quia viuit. Et benedixit Raguel Deum,*

17 *Dicens: Benedictus es tu Deus in omni benedictione munda, & sancta, & benedicant te sancti tui, & omnes creaturæ tuæ, & omnes Angeli tui, & electi tui: benedicant te in sæcula.*

Vulgat. Editio.

Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos.

Miſertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ ſanitatis offerre, vt cognoſcat vniuerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra.

Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerunt priuſquam eluceſceret.

Vxori autem ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria.

Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis.

Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe.

De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſupererat poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

CAP. IX.

TVnc vocauit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto vt auſcultes verba mea.

Si me ipſum tradam tibi ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.

Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi animalia, ſiue ſeruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddaſque ei chirographum ſuum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

Scis enim ipſe quoniam numerat pater meus dies: & ſi tardauero vna die plus, contriſtatur anima eius.

Et certe vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum ſpernere non poſſum.

Tunc Raphael aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

Indicauitque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ geſta ſunt: fecitque eum ſecum venire ad nuptias,

Cumque ingreſſus eſſet domum Raguelis, inuenit Tobiam diſcumbentem: & exiliens, oſculati ſunt ſe inuicem: & fleuit Gabelus, benedixitque Deum,

Et dixit: Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi viri, & iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis:

Et dicatur benedictio ſuper vxorem tuam, & ſuper parentes veſtros:

Et videatis filios veſtros: & filios filiorum veſtrorum, vſque in tertiam, & quartam generationem: & ſit ſemen verum benedictum à Deo Iſrael, qui regnat in ſæcula ſæculorum.

Cumque omnes dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad conuiuium: ſed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

Tranſl. ex Septuag.

18 *Benedictus es, quoniam lætificaſti me, & non factum eſt mihi ſicut ſuſpicabar, ſed ſecundum multam miſericordiam tuam feciſti nobiſcum.*

19 *Benedictus es, quoniam miſertus es duorum vnigenitorum: fac eis Domine miſericordiam, conſumma vitam eorum in ſanitate cum lætitia, & miſericordia.*

20 *Iuſſit autem famulos exaggerare ſepulchrum,*

21 *Et fecit eis nuptias diebus quattuordecim.*

22

23 *Et dixit ei Raguel, antequam conſummarentur dies nuptiarum, cum iuramento non exire eum, niſi impleti fuerint quattuordecim dies nuptiarum.*

24 *Et tunc accipiens dimidium ſubſtantiæ ipſius ire cum ſanitate ad patrem, & reliqua, cum mortuus fuero, & vxor mea.*

CAP. IX

1 *ET vocauit Tobias Raphael, & dixit ei: Azaria frater.*

2

3 *Sume tecum puerum, & duos camelos, & vade in Ragis Medis ad Gabael, & affer mihi argentum, & ipſum adduc mihi ad nuptias,*

4 5. *Quoniam iurauit Raguel non exire me:*

5 4. *Et pater meus numerat dies: ac ſi tardauero valde, triſtabitur nimis.*

6 *Et iuit Raphael, & manſit apud Gabael, & dedit ei Chirographum. Ille autem protulit arculas in ſigillis, & dedit ei.*

7 *Et diluculo ſurrexerunt vna, & venerunt ad nuptias. Et benedixit Tobias vxorem ſuam.*

8

(∴)

9

10

(∴)

11

12 (∴)

(∴)

Vulgat. Editio.

CAP. X.

CVm vero moras faceret Tobias, cauſa nuptiarum, ſolicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi?

Putaſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?

Cœpit autem contriſtari nimis ipſe & Anna vxor eius cum eo: & cæperunt ambo ſimul flere: eo quod die ſtatuto minime reuerteretur filius eorum ad eos.

Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ?

Omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.

Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter: fatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.

Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.

At vero Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane hic, & ego mittam nuncium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuum.

Cui Tobias ait: Ego noui, quia pater meus, & mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis.

Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & ſaluum, atque gaudentem dimiſit eum à ſe.

Dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inueniatis omnia recte circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar.

Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire:

Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

CAP. XI.

CVmque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die.

Dixitque Angelus: Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum.

Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus.

Cumque hoc placuiſſet, vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

Tranſl. ex Septuag.

CAP. X.

1 *ET Tobit pater eius computabat vnumquemque diem. Et poſtquam completi ſunt dies itineris, & non veniebat; dixit: Numquid forte confuſi fuerunt?*

2 *Aut, nunquid forte mortuus eſt Gabael, & nemo ei dat argentum?*

3 *Et triſtabatur nimis. Dixit autem ei vxor: Perijt puer, quandoquidem tardauit.*

4 *Et cœpit flere eum, & dixit: Non mihi cura eſt fili, quia dimiſi te lumen oculorum meorum?*

5 (∴) (∴)

6 *Et Tobit dicit ad eam: Tace, ne ſolicita ſis, valet.*

7 *Et dixit ei: Tace, ne decipias me, perijt puer meus. Et ibat per diem ad viam foras, qua abierat. Ac diebus panem non comedebat, & noctibus non intermittebat flens Tobiam filium ſuum; quoadusque conſummati ſunt quattuordecim dies nuptiarum, quas iurauerat Raguel facere eum ibi. Dixit autem Tobias Raguel: Dimitte me, quoniam pater meus, & mater mea non vltra ſperant aſpicere me.*

8 *Dixit autem ei ſocer: Mane apud me: & ego mittam ad patrem tuum, & indicabunt ei, quæ circa te.*

9 *Et Tobias dicit: Dimitte me ad patrem meum.*

10 *Surgens autem Raguel dedit ei Sarram vxorem eius, & dimidium ſubſtantiæ, corpora, & pecora, & argentum. & benedicens eos dimiſit, dicens: Proſperabit vos filij, deus cœli, priuſquam ego moriar. Et dixit filiæ ſuæ: Honora ſoceros tuos: ipſi nunc parentes tui ſunt: audiam de te auditionem bonam. Et oſculatus eſt eam.*

11 *Et Edna dixit ad Tobiam: Frater dilecte, reſtituat te Dominus cœli, & det mihi videre tuos filios ex Sarra filia mea; vt later in conſpectu Domini. Et ecce depono apud te filiam meam in depoſito: & ne contriſtes eam. Poſt hæc ibat, & Tobias benedicens Deum, quia proſperauerat viam ipſius: & benedicebat Raguel, & Ednam vxorem eius. Et ibat, quoadusque appropinquarunt ipſi in Nineue.*

CAP. XI.

1

2 *Et dixit Raphael ad Tobiam: Non cognoſcis frater quomodo dimiſiſti patrem tuum?*

3 *Præcurramus ante vxorem tuam, & paremus domum. Sume autem ad manum fel piſcis.*

4 *Et iuerunt, & ſimul venit canis poſt eos.*

Vulgat. Editio.

Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo.

Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longe, & illico agnouit venientem filium ſuum: currenſque nunciauit viro ſuo, dicens: Ecce venit filius tuus.

Dixitque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum,

Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum. ſcias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aſpectu tuo gaudebit.

Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuncius aduenies, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.

Et conſurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio ſuo.

Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

Cumque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt.

Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui.

Et ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam: & cæpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui, egredi.

Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit.

Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum.

Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Iſrael quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris: ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo:

Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem, qui eum duxerat.

Veneruntque Achior, & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.

Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

CAP. XII.

TVnc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitque ei: Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?

Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius?

Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit, lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

Tranſl. ex Septuag.

Et Anna ſedebat circumſpectans in viam puerum ſuum:

Et proſpexit eum venientem, & dixit patri eius: Ecce filius tuus venit, & homo, qui iuit cum eo.

Et Raphael dixit: Scio ego, quia aperiet oculos pater tuus: Tu unge fel in oculos eius: & eroſus deteret & abijciet albugines, & videbit te. Et accurrens Anna irruit ſuper collum filij ſui, & dixit ei: Vidi te fili: ex nunc moriar. Et plorauerunt vtrique.

Et Tobit exibat ad ianuam, & prolapſus eſt. Filius autem eius accurrens ei, & apprehendit patrem ſuum.

Et inſperſit fel ſuper oculos patris ſui, dicens: Confide pater.

Et autem eroſi ſunt; detriuit oculos ſuos, & deſquamatæ ſunt ab angulis oculorum eius albugines.

Et videns filium ſuum procidit ſuper collum eius, & plorauit.

Et dixit: Benedictus es Deus; & benedictum nomen tuum in ſæcula, & benedicti omnes ſancti tui Angeli; quoniam flagellaſti, & miſertus es mei: Ecce video Tobiam filium meum. Et intrauit filius eius gaudens, & annunciauit patri ſuo magnalia facta ſibi in Media. Et exiuit Tobit in obuiam nurui ſuæ gaudens, & benedicens Deum, ad portam Nineue. Et mirabantur ſpectantes eum euntem, quia vidit. Et Tobit confitebatur coram eo, quia miſertus eſt ipſorum Deus. Et vt appropinquauit Tobit nurui ſuæ, benedixit eam, dicens: Venias Sarra filia. Benedictus Deus, qui addduxit te ad nos, & pater tuus, & mater tua. Et factum eſt gaudium omnibus, qui in Nineue, fratribus eius.

Et aduenit Achiacharus, & Nasbas filius fratris ipſius:

Et facta ſunt nuptiæ Tobiæ cum lætitia diebus ſeptem.

CAP. XII.

ET vocauit Tobit Tobiam filium ſuum, & dixit ei: Vide fili mercedem homini, qui venit vnà tecum: & adijcere ei oportet.

Et dixit: Pater non ledor dans ei dimidium eorum, quæ attuli:

Quoniam me tibi reduxit ſanum, & vxorem meam curauit: & argentum meum attulit, & te ſimiliter curauit. Et dixit ſenex: Iuſte fit ei.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Sed peto te pater mi, vt roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.	4	
Et vocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.	5	*Et vocauit Angelum, & dixit ei : Accipe dimidium omnium, quæ attulisti, & adhuc sanus.*
Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.	6	*Tunc vocans ambos clam, dixit eis : Benedicite Deum, & ei confitemini, & magnificentiam date ei : & confitemini ei coram omnibus viuentibus, pro ijs, quæ fecit vobiscum.*
Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.	7	*Bonum est benedicere Deum, & exaltare nomen eius, verba operum Dei honorifice demonstrantes : & ne pigri sitis confiteri ei. Mysterium regis bonum est occultare, opera autem Dei reuelare honorifice. Bonum facite : & malum non inueniet vos.*
Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quam thesauros auri recondere:	8	*Bonum oratio cum ieiunio, & elecmosyna, & iustitia. Bonum est paucum cum iustitia, quam multum cum iniustitia. Bonum facere elecmosynam, quam thesaurizare aurum.*
Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.	9	*Elecmosyna enim à morte liberat : & ipsa emundat omne peccatum. Facientes elecmosynas, & iustitias, implebuntur vita:*
Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.	10	*Peccantes autem, sunt hostes suæ ipsorum vitæ.*
Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.	11	*Non occultabo à vobis omne verbum. Dixi iam: mysterium regis occultare bonum, opera autem Dei reuelare honorifice.*
Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.	12	*Et nunc, quando orasti tu, & nurus tua Sarra, ego obtuli memoriale orationis vestræ coram sancto: & quando sepeliebas mortuos, similiter ad eram tibi: &, quando non piger eras surgere, & relinquere prandium tuum, vt abiens operires mortuum, non latuisti me benefaciens, sed tecum fui.*
Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.	13	
Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.	14	*Et nunc misit me Deus sanare te, & nurum tuam Sarram.*
Ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.	15	*Ego sum Raphael vnus ex septem sanctis Angelis, qui offerunt orationes sanctorum, & ingrediuntur in conspectu gloriæ sancti.*
Cumque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam.	16	*Et turbati sunt ambo, & ceciderunt in faciem, quoniam timuerunt.*
Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.	17	*Et dixit eis : Ne timeatis : pax vobis erit.*
Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi.	18	*Deum autem benedicite in sæcula : quoniam non mea ipsius gratia, sed voluntate Dei nostri veni : vnde benedicite eum in sæcula.*
Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.	19	*Omnibus diebus apparebam vobis, & non manducabam, neque bibebam: sed visionem vos spectabatis.*
Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.	20	*Et nunc confitemini Deo; quoniam ascendo ad eum, qui misit me: & scribite omnia, quæ consummata sunt, in libro.*
Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltra eum videre non potuerunt.	21	*Et surrexerunt, & non vltra viderunt eum.*
Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum : & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.	22	*Et confitebantur opera magna, & mirabilia eius, quomodo apparuerat eis Angelus Domini.*
CAP. XIII.		**CAP. XIII.**
APeriens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum:	1	ET Tobit scripsit orationem in exultationem, & dixit: *Benedictus Deus viuens in sæcula, & regnum eius:*
* Quoniam tu flagellas, & saluas : deducis ad inferos, & reducis : & non est qui effugiat manum tuam.	2	*Quoniam ipse flagellat, & miseretur, deducit ad infernum, & reducit: & non est, qui effugiat manum eius.*
Confitemini Domino filij Israel, & in conspectu gentium laudate eum:	3	*Confitemini ei filij Israel in conspectu gentium,*

* Deu. 32. 39. 1. Reg. 2. 6. Sap. 16. 13.

Vulgat. Editio.

Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.

Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates noſtras: & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.

Aſpicite ergo quæ fecit nobiſcum, & cum timore, & tremore confitemini illi: regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris:

Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem.

Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiſcum miſericordiam ſuam.

Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.

Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.

Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſæculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſæcula ſæculorum.

Luce ſplendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te.

* Iſa. 60. 5. * Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.

Nomen enim magnum inuocabunt in te.

Maledicti erunt qui contempſerint te: & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te: benedictique erunt qui ædificauerint te.

Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua.

Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noſter.

Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem.

* Apoc. 21. 18. * Portæ Ieruſalem ex ſapphiro, & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.

Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.

Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & ſit regnum eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam. Amen.

CAP. XIV.

ET conſummati ſunt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum.

Completis itaque annis centum duobus, ſepultus eſt honorifice in Niniue.

Tranſl. ex Septuag.

4 *Quoniam ipſe diſſ minauit nos in eis. Vbi demonſtrate magnificentiam eius: exaltate eum coram omni viuente, ſicut ipſe Dominus noſter, & Deus ipſe pater noſter in omnia ſæcula.*

5 *Et flagellabit nos in iniuſtitiis noſtris: & rurſus miſerebitur, & congregabit nos ex omnibus gentibus, vbicumque diſperſi fueritis in eis. Si reuerteritis ad eum in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra ad faciendum coram eo veritatem; tunc redibit ad vos, & non occultabit faciem ſuam à vobis:*

6 *Et videte, quæ faciet vobiſcum, & confitemini ei in toto ore veſtro, & benedicite Dominum iuſtitiæ, & exaltate regem ſæculorum.*

7 *Ego in terra captiuitatis meæ confiteor ei, & oſtendo fortitudinem; & magnificentiam eius genti peccatorum.*

8 *Reuertite peccatores, & facite iuſtitiam coram eo. Quis ſcit, ſi volet vos, & faciet miſericordiam vobiſ?*

9 *Deum meum exalto, & anima mea regi cœli, & exultabit magnificentiam eius.*

10 *Dicant omnes, & confiteantur ei in Hieroſolymis.*

11 *Hieroſolyma ciuitas ſancti, flagellabit ſuper opera filiorum tuorum: & rurſus miſerebitur filiorum iuſtorum.*

12 *Confitere Domino bene, & benedic regem ſæculorum; vt rurſus tabernaculum eius ædificetur in te cum gaudio, & lætificet in te captiuos, & diligat in te miſeros in omnes generationes ſæculi.*

13

14 *Gentes multæ de longe venient ad nomen Domini Dei munera in manibus habentes, & munera regi cœli.*

15 *Generationes generationum dabunt tibi exultationem.*

16 *Maledicti omnes, qui odio habent te: benedicti erunt omnes diligentes te in ſæculum.*

17 *Gaude, & exulta ſuper filiis iuſtorum; quoniam congregabuntur, & benedicent Dominum iuſtorum.*

18 *O beati, qui diligunt te, gaudebunt in pace tua. Beati, quicumque triſtati ſunt ſuper omnibus flagellis tuis: quoniam in te gaudebunt, videntes omnem gloriam tuam, & lætabuntur in ſæcula.*

19 *Anima mea benedicat Deum regem magnum:*

20

21 *Quoniam ædificabitur Hieruſalem Saphiro, & Smaragdo, & lapide pretioſo muri tui, & turres:*

22 *Et propugnacula in auro mundo, & plateæ Hieruſalem in beryllo, & carbunculo, & lapide de Suphir ſternentur. Et dicent omnes viri eius Alleluia,*

23 *Et laudem, dicentes: Benedictus Deus, qui exaltauit omnia ſæcula.*

CAP. XIV.

1 *ET ceſſauit confitens Tobit.*

Vulgat. Editio.

Quinquaginta namque & ſex annorum lumen oculorum amiſit,ſexagenarius vero recepit.

Reliquum vero vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

In hora autem mortis ſuæ vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios eius nepotes ſuos,dixitque eis:

Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini:&*fratres noſtri,qui diſperſi ſunt à terra Iſrael,reuertentur ad eam.

* 1. Eſd. 3. 8.

Omnis autem deſerta terra eius replebitur, & domus Dei,quæ in ea incenſa eſt, iterum reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum,

Et relinquent gentes idola ſua, & venient in Ieruſalem,& inhabitabunt in ea,

Et gaudebunt in ea omnes reges terræ,adorantes regem Iſrael.

Audite ergo filij mei patrem veſtrum: Seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita ſunt illi.

Et filiis veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate,& in tota virtute ſua.

Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: ſed quacumque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros,vt exeatis hinc:

Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.

Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ, Tobias abſceſſit ex Niniue cum vxore ſua, & filiis,& filiorum filiis, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos.

Inuenitque eos incolumes in ſenectute bona: & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit:viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum.

Et completis annis nonagintanouem in timore Domini,cum gaudio ſepelierunt eum.

Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit,ita vt accepti eſſent tam Deo, quam hominibus,& cunctis habitantibus in terra.

Tranſl. ex Septuag.

3 *Et erat annorum quinquaginta octo, quando amiſit viſum:& poſt annos octo recuperauit viſum.*

4 *Et faciebat eleemoſynas:& adiecit timere Dominum Deum,& confitebatur ei.*

5 *Magnopere autem ſenuit: & vocauit filium ſuum & filios eius, & dixit ei: Fili accipe filios tuos:Ecce ſenui,& ad exeundum è vita ſum.*

6 *Abi in Mediam fili,quoniam credidi, quæcumque locutus eſt Ionas propheta de Nineue,quia ſubuertetur: in Media autem erit pax magis vſque ad tempus: & quia fratres noſtri in terra diſpergentur à bona terra: & Hieroſolyma erit deſerta, & domus Dei in ea comburetur,& deſerta erit vſque ad tempus. Et rurſus miſerebitur eorum Deus, & reducet eos in terram, & ædificabunt domum, non qualis prior, donec impleta fuerint tempora ſæculi.*

7 *Et poſt hæc reuertent de captiuitatibus, & ædificabunt Hieruſalem honorifice:& domus Dei in ea ædificabitur glorioſe, ſicut locuti ſunt de ea prophetæ.*

8 *Et omnes gentes conuertentur veraciter ad timendum Dominum Deum, & defodient idola ſua: & benedicent omnes gentes Dominum.Et populus eius confitebitur Deo: & exaltabit Dominus populum ſuum:*

9 *Et gaudebunt omnes, qui diligunt Dominum Deum in veritate,& iuſtitia, facientes miſericordiam fratribus noſtris.*

10 *Et nunc fili diſcede à Nineue; quoniã omnino erunt, quæ locutus eſt propheta Ionas.Tu autem ſerua legem,& præcepta,& eſto amator miſericordiæ, & iuſtus; vt tibi bene ſit. Et ſepeli me honeſte, & matrem tuam mecum, & non vltra maneatis in Nineue. Fili vide, quid fecit Aman Achiacharo, qui nutriuerat eum, quomodo è luce adduxit eum in tenebras,& quæcumque retribuit ei.Et*

12 *Achiacharum quidem ſaluauit: illi autem retributio rètributa eſt,& ipſe deſcendit in tenebras.Manaſſes fecit miſericordiam,& ſaluatus eſt de laqueo mortis, quem fixerat ei. Aman autem incidit in laqueum, & perijt. Et*

13 *nunc filij videte,quid eleemoſyna facit, & iuſtitia liberat. Et hæc ipſo dicente,defecit anima eius ſuper lectum.*

14 *Erat autem annorum centum quinquaginta octo: & ſepelierunt eum glorioſe. Et quando mortua eſt Anna; ſepeliuit eam cum patre ſuo. Diſceſſit autem Tobias cum*

15 *vxore ſua,& filijs ſuis in Ecbatana ad Raguel ſocerum ſuum. Et ſenuit honorifice.Et ſepeliuit ſoceros ſuos glorioſe,& hæreditauit ſubſtantiam eorum, & Tobit patris ſui. Et mortuus eſt annorum centum vigintiſeptem in*

16 *Ecbatanis Mediæ.Et audiuit, priuſquam ipſe moreretur, perditionem Nineue, quam captiuauit Nabuchodonoſor,*

17 *& Aſyeros: & gauiſus eſt, antequam moreretur,ſuper Nineue.*

FINIS LIBRI TOBIÆ.

LIBRI IVDITH.

VVLGATA EDITIO.

CAPVT PRIMVM.

ARphaxad itaque,rex Medorum, ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam,quam appellauit Ecbatanis,

Ex lapidibus quadratis,& ſectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum ſeptuaginta,& in altitudinem cubitorum triginta, turres vero eius poſuit in altitudinem cubitorum centum.

Per quadrum vero earum latus vtrumque vicenorum pedum ſpatio tendebatur, poſuitque portas eius in altitudinem turrium:

Et gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui,& in gloria quadrigarum ſuarum.

Anno igitur duodecimo regni ſui: Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad,& obtinuit eum

In campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem,& Tigrin, & Iadaſon in campo Erioch regis Elicorum.

Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, & cor eius eleuatum eſt: & miſit ad omnes,qui habitabant in Cilicia,& Damaſco,& Libano,

Et ad gentes, quæ ſunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Eſdrelon,

Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vſque ad Ieruſalem, & omnem terram Ieſſæ quouſque perueniatur ad terminos Aethiopiæ.

Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum:

Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos,& ſine honore abiecerunt.

LIBRI IVDITH.

TRANSLATIO EX SEPTVAGINTA.

CAPVT PRIMVM.

ANNO duodecimo regni Nabuchodonoſor, qui regnauit ſuper Aſſyrios in Nineue, ciuitate magna, in diebus Arphaxad, qui regnauit ſuper Medos in Ecbatanis, & ædificauit ſuper Ecbatana,

Et in circuitu muros ex lapidibus ſectis, in latitudine, cubitorum trium, & in longitudine, cubitorum ſex: & fecit altitudinem muri, cubitorum ſeptuaginta, & latitudinem eius, cubitorum quinquaginta: & turres eius ſtatuit ſuper portas illius cubitorum centum: & latitudinem eius fundauit in cubitis ſexaginta: & fecit portas eius portas ſuſtitatas in altitudinem cubitorum ſeptuaginta, & latitudinem earum cubitos quadraginta ad exitus exercituum potentium ipſius, & ordines peditum ipſius.

Et fecit bellum in diebus illis rex Nabuchodonoſor aduerſus regem Arphaxad in campo magno: hic eſt in finibus Ragay. Et concurrerunt ad eum omnes habitantes montanam, & omnes habitantes Euphratem, & Tigrim, & Aydaſpem, & campo Irioch rex Elymæorum. Et conuenerunt gentes multæ valde in aciem filiorum Cheleul. Et miſit Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum ad omnes habitantes Perſidem, & ad omnes habitantes ad Occidentem, habitantes Ciliciam, & Damaſcum, Libanum, & Antilibanum, & omnes qui habitabant ad faciem maritimæ, & qui in gentibus Carmeli, & Galaad, & ſuperiorem Galilæam, & magnum campum Eſdrelom, & omnes, qui in Samaria, & ciuitatibus eius, & trans Iordanem vſque Hieruſalem, & Betane, & Chellus, & Cades, & fluminis Aegypti, & Taphnas, & Rameſſe, & omnem terram Geſem, vſque ad veniendum ſupra Tanim, & Memphim, & omnes habitantes Aegyptum vſque ad veniendum ſuper fines Aethiopiæ. Et vilipenderunt omnes habitantes vniuerſam terram verbum Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum: & non conuenerunt ei ad bellum; quoniam non timuerunt eum: ſed erat coram eis tanquam vir æqualis. Et remiſerunt nuncios eius vacuos in ignominia ante faciem ſuam.

Vulgat. Editio.

Tunc indignatus Nabuchodonosor rex aduersus omnem terram illam, iurauit per thronum, & regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his.

CAP. II.

ANno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, vt defenderet se.

Vocauitque omnes maiores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui:

Dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.

Quod dictum cum placuisset omnibus, vocauit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ,

Et dixit ei: Egredere aduersus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipue, qui contempserunt imperium meum.

Non parcet oculus tuus vlli regno, omnemque vrbem munitam subiugabis mihi.

Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumerauit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia.

Transl. ex Septuag.

12 *Et indignatus est Nabuchodonosor super omnem terram hanc valde, & iurauit per thronum, & regnum suum; nimirum vlturum se omnes fines Cilicia, & Damascenæ, & Syriæ, interempturum gladio suo, & omnes habitantes in terra Moab, & filios Ammon, & omnem Iudæam, & omnes, qui in Aegypto vsque ad veniendum super fines duorum martum. Et aciem strinxit in virtute sua aduersus Arphaxad regem in anno septimo & decimo: & præualuit in prælio suo, & euertit omnem virtutem Arphaxad, & omnem equitatum eius, & omnes currus eius, & dominatus est ciuitatibus eius. Et peruenit vsque Ecbatana, & obtinuit turres, & prædatus est plateas eius, & ornatum eius posuit in opprobrium eius. Et cepit Arphaxad in montibus Ragai, & confixit eum in iaculis suis, & exterminauit eum vsque in diem illam. Et reuertit cum eis ipse, & omnis commistus eius, multitudo virorum bellatorum plurima valde. Et erat ibi torpens, & epulans, ipse, & virtus eius per dies centum viginti.*

CAP. II.

1 *ET in anno octauo & decimo, secunda & vigesima primi mensis, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, vlcisci omnem terram, sicut locutus erat.*

2 *Et conuocauit omnes ministros suos, & omnes magnates suos, & posuit cum eis mysterium consilij sui.*

3 *Et consummauit omne malum terræ de ore suo: & ipsi iudicauerunt exterminare omnem carnem, qui non obsequuti fuerant sermoni oris eius.*

4 *Et factum est, vt consummauit consilium suum, vocauit Nabuchodonosor rex Assyriorum Olophernem principem virtutis suæ, qui secundus erat ab ipso,*

5 *Et dixit ad eum: Hæc dixit rex magnus, dominus vniuersæ terræ. Ecce tu egredieris à facie mea, & sumes tecum viros confidentes in fortitudine sua, peditum ad millia centum viginti, & multitudinem equorum cum ascensoribus myriadum duodecim: & egredieris in occursum omni terræ ad Occidentem, quoniam non obedierunt verbo oris mei: & annunciabis eis parare terram, & aquam: quoniam egrediar in furore meo super eos; & operiam omnem faciem terræ in pedibus virtutis meæ: & dabo illos in direptionem eis: & cæsi istorum implebunt valles, & torrentes ipsorum: & fluuius inundans mortuis eorum implebitur: & ducam captiuitatem eorum, ad summitates vniuersæ terræ. Tu vero egressus præoccupabis mihi omnem terminum eorum: & dedent se tibi, & conseruabis mihi eos in diem argutionis eorum: super inobedientes autem non parcet oculus tuus dare eos in cæde, & direptionem in omni terra tua: quoniam viuens ego, & imperium regni mei: locutus sum, & faciam hæc in manu mea.*

6 *Et tu autem non transgredieris vnum quid ex verbis domini tui, sed perficiens perficies, sicut præcepi tibi: & non cunctaberis facere hæc.*

7 *Et exiuit Olophernes à facie domini sui, & vocauit omnes Dynastas, & duces, & præsides virtutis Assur; & numerauit electos viros in aciem sicut iusserat ei dominus eius ad myriadas duodecim, & equites sagittarios duodecim millia:*

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
	Omnemque expeditionem ſuam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus ſufficerent copioſe, boum quoque armenta, gregeſque ouium, quorum non erat numerus.	8	*Et ordinauit eos, quemadmodum belli multitudo coordinatur. Et ſumpſit camelos, & aſinos ad impedimenta ipſorum, multitudinem plurimam valde, & oues, & boues, & capras ad apparatum ipſorum, quorum non erat numerus,*
	Frumentum ex omni Syria in tranſitu ſuo parari conſtituit.	9	*Et rem frumentariam omni viro in multitudine,*
	Aurum vero, & argentum de domo regis aſſumpſit multum nimis.	10	*Et aurum, & argentum è domo regis multum valde.*
	Et profectus eſt ipſe, & omnis exercitus cum quadrigis, & equitibus, & ſagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, ſicut locuſtæ.	11	*Et exijt ipſe, & vniuerſa virtus eius ad iter ad præcedendum regem Nabuchodonoſor, & operiendum omnem faciem terræ ad Occidentem in currubus, & equitibus, & peditibus electis ipſorum. Et multus admiſtus, tanquam locuſta exierunt cum eis, & tanquam arena terræ. Non enim erat numerus præ multitudine eorum.*
	Cumque pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, aſcenditque omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem.	12	*Et abierunt de Nineue viam trium dierum ſuper faciem campi Bactilath: & caſtra fecit à Bactilath prope montem, qui ad ſiniſtram ſuperioris Ciliciæ. Et ſumpſit omnem virtutem ſuam pedite & equites, & currus ſuos: & abijt inde in montanam:*
	Effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melothi, prædauitque omnes filios Tharſis, & filios Iſmael, qui erant contra faciem deſerti, & ad Auſtrum Cellon.	13	*Et excidit Phud, & Lud: & prædati ſunt omnes filios Raſſis, & filios Iſmael, qui ſuper faciem deſerti ad Auſtrum Chelleon.*
	Et tranſiuit Euphratem, & venit in Meſopotamiam: & fregit omnes ciuitates excelſas, quæ erant ibi, à torrente Mambre vſquequo perueniatur ad mare:	14	*Et tranſiuit Euphratem, & pertranſit Meſopotamiam, & diruit omnes ciuitates excelſas, quæ ſuper torrentem Abrona vſque ad veniendum ſuper mare.*
	Et occupauit terminos eius, à Cilicia vſque ad fines Iapheth, qui ſunt ad Auſtrum.	15	*Et cepit fines Ciliciæ, & concidit omnes reſiſtentes ſibi. Et venit vſque ad fines Iapheth, qui ad Auſtrum ſuper faciem Arabiæ.*
	Abduxitque omnes filios Madian, & prædauit omnem locupletationem eorum, omneſque reſiſtentes ſibi occidit in ore gladij.	16	*Et circuiuit omnes filios Madian, & incendit tabernacula eorum, & diripuit mandras eorum.*
	Et poſt hæc deſcendit in campos Damaſci in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omneſque arbores, & vineas fecit incidi:	17	*Et deſcendit in campum Damaſci in diebus meſſis triticorum, & incendit omnes agros eorum: & greges, & armenta boum dedit in perditionem: & ciuitates eorum ſpoliauit, & campos eorum ventilauit & percuſſit omnes iuuenes eorum in ore gladij.*
	Et cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram.	18	*Et incidit timor, & tremor eius ſuper omnes habitantes maritimam, eos qui erant in Sydone, & Tyro, & habitantes Sur, & Ocina, & omnes habitantes Hiemnaan. Et habitantes in Azoto, & Aſcalone timuerunt eum valde.*
	(·.·)		
	CAP. III.		CAP. III.
	TVnc miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbium, ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ ſcilicet, Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt:	1	ET *miſerunt ad eum nuncios verbis pacificis; dicentes:*
	Deſinat indignatio tua circa nos: Melius eſt enim vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor regi magno, & ſubditi ſimus tibi, quam morientes cum interitu noſtro ipſi ſeruitutis noſtræ damna patiamur.	2	*Ecce nos pueri Nabuchodonoſor regis magni adſumus coram te: vtere nobis ſicut placitum eſt in facie tua.*
	Omnis ciuitas noſtra, omniſque poſſeſſio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregeſque ouium, & caprarum, equorumque & camelorum, & vniuerſæ facultates noſtræ, atque familiæ in conſpectu tuo ſunt:	3	*Ecce villæ noſtræ, & omnis campus triticorum, & greges, & armenta, & omnes mandræ tabernaculorum noſtrorum adſunt ante faciem tuam: vtere, quomodo placuerit tibi. Ecce & ciuitates noſtræ, & habitantes in eis ſerui tui ſunt.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Sint omnia noſtra ſub lege tua.	4	
Nos,& filij noſtri,ſerui tui ſumus.	5	
Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro,ſicut placuerit tibi.	6	*Veniens occurre eis, prout eſt bonum in oculis tuis. Et aduenerunt viri ad Olophernem, & annunciarunt ei ſecundum verba hæc.*
Tunc deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram.	7	*Et deſcendit ſuper maritimam ipſe,& virtus eius,& præſidia poſuit in ciuitatibus excelſis:*
De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes,& electos ad bellum.	8	*Et aſſumpſit ex eis in belli ſocietatem viros electos,*
Tantuſque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores principes, & honorati ſimul cum populis exirent obuiam venienti,	9	(..) (..)
Excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis.	10	*Et ſuſceperunt eum ipſi, & omnis regio adiacens eorum cum coronis,& choris,& ympanis.*
Nec iſta tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt:	11	
Nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit.	12	*Et demolitus omnes fines eorum,& lucos eorum excidit.*
Præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.	13	*Et erat decretum ei exterminare omnes Deos terræ: vt ipſi ſoli Nabuchodonoſor ſeruirent omnes gentes: & omnes linguæ, & omnes tribus eorum inuocarent eum in Deum.*
Pertranſiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam,omnemque Meſopotamiam,venit ad Idumeos in terram Gabaa,	14	*Et venit ſuper faciem Eſdrelon prope Dotæam,quæ eſt contra Serram magnam Iudææ.*
Accepitque ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuerſum exercitum virtutis ſuæ.	15	*Et caſtrametatus eſt inter Gabæ, & Scytharum ciuitatem: & fuit ibi menſibus ad colligenda omnia impedimenta virtutis ſuæ.*
CAP. IIII.		CAP. IIII.
TVnc audientes hæc filij Iſrael, qui habitabant in terra Iuda,timuerunt valde à facie eius.	1	*ET audierunt filij Iſrael habitantes in Iudæa omnia; quæcumque fecerat Olophernes gentibus, princeps militiæ Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum, & quomodo ſpoliauerat omnia templa earum, & dederat ea in perditionem:*
Tremor, & horror inuaſit ſenſus eorum,ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini,quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum.	2	*Et timuerunt valde valde à facie eius; & pro Hieruſalem, & templo Domini Dei ſui turbati ſunt: quoniam recenter aſcenderant è captiuitate, & nuper omnis populus collectus fuerat Iudææ: & vaſa, & altare, & domus ex pollutione fuerant ſanctificata.*
Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium:	3	*Et miſerunt in omnem terminum Samariæ, & Conas, & Bathoron, & Belmen, & Hiericho, & in Choba, & Aſora, & vallem Salem: & præoccupauerunt omnia cacumina montium excelſorum,*
Et muris circumdederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.	4	*Et muris circundederunt pagos, qui in eis: & repoſuerunt in rem frumentariam ad apparatum belli: quoniam recenter fuerant campi ipſorum demeſſi.*
Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos, qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuerſos, per quos viæ tranſitus eſſe poterat,	5	*Et ſcripſit Ioacim ſacerdos magnus, qui erat in diebus illis in Hieruſalem, habitantibus Batylua, & Betomeſtham, quæ eſt è regione Eſdrelon ſuper faciem campi, qui prope Dothaim.*
Vt obtinerent aſcenſus montium, per quos via eſſe poterat ad Ieruſalem, & illic cuſtodirent vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes.	6	*Dicens obtinere aſcenſiones ipſius montanæ: quoniam per eas erat introitus in Iudæam: & erat facile prohibere eos accedentes, quod anguſtus acceſſus erat,duos ſuper omnes viros.*

Vulgat. Editio.

Et fecerunt filij Iſrael ſecundum quod conſtituerat eis ſacerdos Domini Eliachim.

Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna,& humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis,& orationibus,ipſi & mulieres eorum.

Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio:

Et clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter ne darentur in prædam infantes eorum , & vxores eorum in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium , & ſancta eorum in pollutionem , & fierent opprobrium Gentibus.

Tunc Eliachim , ſacerdos Domini magnus , circuiuit omnem Iſrael , alloeutuſque eſt eos,

Dicens : Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras , ſi manentes permanſeritis in ieiuniis,& orationibus in conſpectu Domini.

* Exo. 17-12. *, Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalec confidentem in virtute ſua , & in potentia ſua , & in exercitu ſuo , & in clypeis ſuis , & in curribus ſuis , & in equitibus ſuis, non ferro pugnando , ſed precibus ſanctis orando deiecit :

Sic erunt vniuerſi hoſtes Iſrael : ſi perſeueraueritis in hoc opere,quod cœpiſtis.

Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum , permanebant in conſpectu Domini.

Ita vt etiam hi , qui offerebant Domino holocauſta , præcincti ciliciis offerrent ſacrificia Domino,& erat cinis ſuper capita eorum.

Et ex toto corde ſuo omnes orabant Deum , vt viſitaret populum ſuum Iſrael.

CAP. V.

NVnciatumque eſt Holoferni principi militiæ Aſſyriorum,quod filij Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum,ac montium itinera concluſiſſent,

Et furore nimio exarſit in iracundia magna, vocauitque omnes principes Moab & duces Ammon,

Et dixit eis : Dicite mihi quis ſit populus iſte, qui montana obſidet : aut quæ , & quales,& quantæ ſint ciuitates eorum : quæ etiam ſit virtus eorum , aut quæ ſit multitudo eorum : vel quis rex militiæ illorum:

Et quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, iſti contempſerunt nos , & non exierunt obuiam nobis vt ſuſciperent nos cum pace?

Tranſl. ex Septuag.

7 *Et fecerunt filij Iſrael , ſicut conſtituit eis Ioacim ſacerdos magnus,& ſenatus vniuerſi populi Iſrael , qui ſedebant in Hieruſalem.*

8 *Et exclamauerunt omnis vir Iſrael ad Deum in inſtantia magna , & humiliauerunt animas ſuas in inſtantia magna , ipſi , & vxores ipſorum, & infantes ipſorum , & iumenta ipſorum : & omnis incola , vel mercenarius , vel argento emptus ipſorum.*

9 *Impoſuerunt ſaccos ſuper lumbos ſuos. Et omnis vir Iſrael , & mulier , pueri, & habitantes in Hieruſalem ceciderunt ad faciem templi , & cinere conſperſerunt capita ſua , & extenderunt ſaccos ſuos ad faciem Domini. Et altare ſacco circumtexerunt,*

10 *Et clamauerunt ad Deum Iſrael vnanimiter aſſidue, vt non daret in direptionem infantes ipſorum,& vxores in prædam,& ciuitates hæreditatis ipſorum in perditionem,& ſancta in pollutionem , & opprobrium, gaudium gentibus. Et exaudiuit Dominus vocem eorum, & inſpexit tribulationem eorum. Et fuit populus ieiunans dies plures in omni Iudæa,& Hieruſalem ad faciem ſanctorum Dei omnipotentis.*

11

12

(∴)

13 (∴)

14 (∴)

15

16 *Et Ioacim ſacerdos magnus , & omnes aſſiſtentes ante Dominum , ſacerdotes , & miniſtrantes Domino , ſaccus accincti lumbos ſuos , offerebant holocauſtoma iugis ſacrificij , & vota , & ſpontanea dona populi : & erat cinis ſuper cidaras eorum.*

17 *Et clamabant ad Dominum ex omni virtute in bonum viſitare omnem domum Iſrael.*

CAP. V.

1 *ET nunciatum eſt Olopherni principi virtutis Aſſur , quia filii Iſrael parati erant ad prælium , & tranſitus montanæ concluſerant, & muris circundederant omne cacumen montis excelſi , & poſuerant in campis ſcandala.*

2 *Et iratus eſt furore valde , & vocauit omnes principes Moab, & duces Ammon , & omnes ſatrapas maritimæ,*

3 *Et dixit eis : Annunciate nunc mihi filij Chanaan , quis populus hic habitans in montana , & quænam , quas habitant,ciuitates , & quæ multitudo virtutis eorum , & in quo poteſtas eorum , & fortitudo eorum, & quis ſurrexit ſuper eos rex , dux exercitus eorum,*

4 *Et cur erexerunt dorſum,vt non venirent in occurſum mihi præter omnes habitantes in Occidente.*

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
	Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.	5	*Et dixit ad eum Achior dux omnium filiorum Ammon: Audiat, quæso dominus meus verbum ex ore serui sui, & annunciabo tibi veritatem de populo, qui habitat montanam hanc prope te habitantem: & non exibit mendacium ex ore serui tui.*
	Populus iste ex progenie Chaldæorum est.	6	*Populus hic sunt prognati ex Chaldæis,*
* Gen. 11.31.	* Hic primum in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum:	7	*Et incoluerunt antea in Mesopotamia: quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum:*
	Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant,	8	*Et digressi sunt è via parentum suorum,*
*Gen. 12.1. * Gen. 46.2.	Vnum Deum cæli coluerunt, * qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, * descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.	9	*Et adorauerunt Deum cæli, Deum, quem cognouerunt. Et eiecerunt eos à facie deorum suorum. Et fugerunt in Mesopotamiam, & incoluerunt ibi dies multos. Et dixit Deus eorum, vt exirent de incolatu suo, & irent in terram Chanaan. Et habitauerunt ibi, & multiplicati sunt auro, & argento, & in pecoribus multis valde. Et descenderunt in Aegyptum (operuerat enim faciem terræ Chanaan fames) & incoluerunt ibi, quoadusque aucti sunt. Et facti sunt ibi in multitudinem plurimam, & non erat numerus generis eorum.*
	Cumque grauaret eos rex Aegypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto & latere subiugasset eos, clamauerunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Aegypti plagis variis.	10	*Et insurrexit eis rex Aegypti; & circumuenerunt eos in labore, & latere, & humiliauerunt eos, & posuerunt eos in seruos. Et exclamauerunt ad Deum suum: & percussit vniuersam terram Aegypti plagis in quibus non erat curatio.*
* Exo. 14.1.	* Cumque eiecissent eos Aegyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad suum seruitium reuocare.	11	*Et eiecerunt eos Aegyptij à facie sua.*
* Exo. 14.29.	* Fugientibus his Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.	12	*Et exiccauit Deus rubrum mare ante eos,*
	In quo loco dum innumerabilis exercitus Aegyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus, qui factum posteris nunciaret.	13	(·.·)
	Egressi vero mare rubrum, deserta Sina montis occupauerunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.	14	*Et duxit eos in viam Sina, & Cades Barne. Et eiecerunt omnes habitantes in deserto: & habitauerunt in terra Amorræorum: & omnes Esebonitas exterminarunt in fortitudine sua. Et transeuntes Iordanem hæreditarunt vniuersam montanam:*
	Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt.	15	
	Vbicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.	16	
	Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.	17	(·.·)
	Quotiescunque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.	18	(·.·)
	Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.	19	
	Denique Chananæum regem, & Iebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipsi possederunt:	20	*Et eiecerunt à facie sua Chananæum, & Pherezæum, & Iebusæum, & ipsum Sychem, & omnes Gergesæos: & inhabitarunt in ea dies multos.*
	Et vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum, odit iniquitatem.	21	*Et quoadusque non peccauerunt in conspectu Dei sui, fuerunt bona cum eis: quoniam Deus odio habens iniustitiam cum eis est.*

Vulgat. Editio.

Nam & ante hos annos cum receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt in terram non ſuam.

Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Ieruſalem, vbi ſunt ſancta eorum.

Nunc ergo mi domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ.

Si vero non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ,

Et factum eſt, cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum:

Quis eſt iſte, qui filios Iſrael poſſe dicat reſiſtere regi Nabuchodonoſor, & exercitibus eius, homines inermes, & ſine virtute, & ſine peritia artis pugnæ?

Vt ergo agnoſcat Achior quoniam fallit nos, aſcendamus in montana: & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eiſdem gladio tranſuerberabitur:

Vt ſciat omnis gens quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt.

CAP. VI.

FActum eſt autem cum ceſſaſſent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

Quoniam prophetaſti nobis dicens, quod gens Iſrael defendatur à Deo ſuo, vt oſtendam tibi quoniam non eſt Deus, niſi Nabuchodonoſor:

Cum percuſſerimus eos omnes, ſicut hominem vnum. tunc & ipſe cum illis Aſſyriorum gladio interibis, & omnis Iſrael tecum perditione diſperiet:

(.·.) (.·.) (.·.)

Tranſl. ex Septuag.

Quando autem receſſerunt à via, quam diſpoſuit eis: exterminati ſunt in multis bellis plurimum valde: & captiui ducti ſunt in terram non propriam: & templum Dei ipſorum factum eſt in pauimentum: & ciuitates eorum captæ ſunt ab aduerſarijs. 22

Et nunc reuertentes ad Deum ſuum, aſcenderunt è diſperſione, vbi diſperſi fuerunt illic, & tenuerunt Hieruſalem, vbi ſanctuarium eorum: & habitauerunt in montana, quoniam erat deſerta. 23

Et nunc dominator domine, ſiquidem eſt ignorantia in populo hoc, & peccant in Deum ſuum, & videbimus, quia eſt in eis ſcandalum hoc, & aſcendemus, & debellabimus eos. 24

Si autem non eſt iniquitas in gente ipſorum; prætereat, quæſo, dominus meus; ne forte protegat Dominus eorum, & Deus eorum pro ipſis, & erimus in opprobrium coram omni terra. 25

Et factum eſt, vt ceſſauit Achior loquens ſermones hos; & murmurauit omnis populus circundans tabernaculum, & adſtans. 26

Et dixerunt magnates Olophernis, & omnes habitantes maritimam, & Moab concidere eum: non enim timebimus à filiis Iſrael. Ecce enim populus, in quo non eſt virtus, neque potentia ad faciem fortem. Quare nunc aſcendamus: & erunt in eſcam vniuerſi exercitus tui domine Olophernes. 27 28

CAP. VI.

ET vt ceſſauit tumultus virorum, qui in circuitu conſeſſus; & dixit Olophernes princeps virtutis Aſſur ad Achior coram omni populo alienigenarum, & ante omnes filios Moab. 1

Et quis es tu Achior, & mercenarij Ephræm, quia prophetaſti in nobis, ſicut hodie, & dixiſti genus Iſrael non oppugnare, quoniam Deus eorum protegit eos? Et quis eſt Deus, niſi Nabuchodonoſor? 2

Hic mittet potentiam ſuam, & exterminabit eos à facie terræ: & non liberabit eos Deus eorum: ſed nos ſerui eius percutiemus eos, tamquam virum vnum, & non ſubſtinebunt potentiam equorum noſtrorum. Comburemus enim eos in ipſis, & montes eorum inclinabuntur in ſanguine ipſorum, & campi eorum implebuntur mortuis ipſorum: & non reſiſtet veſtigium pedum eorum ad faciem noſtram, 3

(.·.) (.·.)

Vulgat. Editio.

Et probabis quoniam Nabuchodonosor Dominus sit vniuersæ terræ : tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israel, & non respirabis vltra, donec exterminaris cum illis.

(.·.)

(·.)

(·.·)

Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet abscedat à te, si verba mea hæc putas impleri non posse.

Vt autem noueris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, vt, dum dignas mei gladij pœnas exceperint, ipse simul vltioni subiaceas.

Tunc Holofernes præcepit seruis suis vt comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israel.

Et accipientes eum serui Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularij.

(·.·)

Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reuersi sunt ad dominum suum.

Porro filij Israel descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: Quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset quod illum vinctum Assyrij reliquissent.

In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

In medio itaque seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus : & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum,

Et quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit eum Israelitis hac de causa tradi: vt dum vicerit filios Israel, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire supplicijs, propter hoc quod dixisset : Deus cœli defensor eorum est.

* Sup. 5.12. * Cumque Achior vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt,

Dicentes : Domine Deus cœli & terræ, intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias.

Finito itaque fletu, & per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior,

Dicentes: Deus patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas,

Transl. ex Septuag.

4 *Sed perditione perdentur, dicit rex Nabuchodonosor dominus vniuersæ terræ. Dixit enim: non euanescent verba sermonum eius. tu autem Achior mercenarie Ammon, qui locutus es verba hæc in die iniustitiæ tuæ, non videbis amplius faciem meam à die hac : quoadusque vltus fuero genus eorum, qui ex Aegypto. Et tunc pertransibit ferrum exercitus mei, & populus ministrorum meorum costas tuas : & cades in cœsis eorum, quando reuertero : & reducent te serui mei in montanam, & ponent te in vna ciuitatum adscensionum : & non peribis, donec exterminatus fueris cum illis.*

5 *Et, si quidem speras corde tuo, quia non capientur: ne concidat tuus vultus. Locutus sum, & nihil decidet de verbis meis. Et iussit Olophernes seruos suos, qui erant assistentes in tabernaculo eius, comprehendere Achior, & reducere eum in Betylua, & tradere in manus filiorum Israel.*

7 (·.·)

8 *Et comprehenderunt eum serui eius, & duxerunt eum extra castra in campum. Et promouerunt è medio campestris in montanam, & adunerunt super fontes, quæ erant sub Betylua. Et, viderunt eos viri ciuitatis super cacumen montis : sumpserunt arma sua ; & abierunt extra ciuitatem ad cacumen montis : & omnis vir fundibularius tenuit ascensum ipsorum, & iaculati sunt in lapidibus super eos.*

9 *Et subeuntes subter montem, ligauerunt Achior, & reliquerunt proiectum subter radicem montis, & abierunt ad dominum suum.*

10 *Descendentes autem filij Israel de ciuitate sua, stetérunt super eum, & soluentes eum abduxerunt in Betylua, & constituerunt eum super principes ciuitatis suæ, qui erant.*

11 *In temporibus illis Ozias filius Micha de tribu Symeon, & Abris filius Gothoniel, & Charmis filius Melchiel.*

12 *Et conuocauerunt omnes seniores ciuitatis : & concurrerunt omnis iuuenis eorum, & mulieres in ecclesiam : & statuerunt Achior in medio populi sui. Et interrogauit eum Ozias, quod acciderat. Et respondens annunciauit eis verba consessus Olophernis,*

13 *Et omnia verba, quæcumque locutus erat in medio principum filiorum Assur, & quæcumque magniloque locutus erat Olophernes in domum Israel.*

14 *Et procidentes populus adorauerunt Deum, & clamauerunt,*

15 *Dicentes: Domine Deus cœli respice superbias eorum, & miserere humiliationis generis nostri, & respice in faciem sanctificatorum tibi in die hac.*

16 *Et consolati sunt Achior, & laudauerunt eum valde.*

17

Vulgat. Editio.

Cum vero Dominus Deus noſter dederit hanc libertatem ſeruis ſuis, ſit & tecum Deus in medio noſtri: vt ſicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerſeris nobiſcum.

Tunc Ozias, finito conſilio, ſuſcepit eum in domum ſuam, & fecit ei cœnam magnam.

Et vocatis omnibus presbyteris, ſimul expleto ieiunio refecerunt.

Poſtea vero conuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra eccleſiam orauerunt petentes auxilium à Deo Iſrael.

CAP. VII.

HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis vt aſcenderent contra Bethuliam.

Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouinciis & vrbibus vniuerſæ iuuentutis.

Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnam contra filios Iſrael, & venerunt per crepidinem montis vſque ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothain, à loco qui dicitur Belma vſque ad Chelmon, qui eſt contra Eſdrelon.

Filij autem Iſrael vt viderunt multitudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, vnanimes orantes vt Deus Iſrael miſericordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum.

Et aſſumentes arma ſua bellica, ſederunt per loca, quæ ad anguſti itineris tramitem dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea totadie & nocte.

Porro Holofernes, dum circuit per gyrum reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte Auſtrali extra ciuitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum.

Erant tamen non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum.

Sed filij Ammon, & Moab acceſſerunt ad Holofernem, dicentes: Filij Iſrael non in lancea, nec in ſagittà confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti.

Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putant in montibus poſitam ſuperari non poſſe.

(·.·)

(·.·)

Tranſl. ex Septuag.

18

19 *Et aſſumpſit eum Ozias de eccleſia in domum ſuam: & fecit conuiuium ſenioribus.*

20

21 *Et aduocauerunt Deum Iſrael in adiutorium tota nocte illa.*

CAP. VII.

1 *POſtridie autem annunciauit Olophernes vniuerſo exercitui ſuo, & omni populo ſuo, qui venerant in auxilium ipſius, mouere caſtra ſuper Betylua, & aſcenſiones montanæ præoccupare, & faceret bellum aduerſus filios Iſrael. Et mouit caſtra in die illa omnis vir potens eorum:*

2 *Et virtus eorum, virorum bellatorum, millia virorum peditum centum ſeptuaginta, & equitum millia duodecim, præter apparatum, & viros, qui erant pedites in eis, multitudo plurima valde.*

3 *Et caſtrametati ſunt in valle prope Betylua ſuper fontem: & extenderunt in latitudinem ſuper Dothaim, & vſque Belthem, & in longitudinem à Betylua vſque ad Cyamonem, quæ eſt contra Eſdrelom.*

4 *Filij autem Iſrael, vt viderunt eorum multitudinem: turbati ſunt valde. & dixit vnuſquiſque ad proximum ſuum. Nunc exorbebunt hi faciem terræ vniuerſæ: & neque montes excelſi, neque valles, neque colles ſuſtinebunt grauitatem eorum.*

5 *Et aſſumentes vnuſquiſque vaſa bellica ſua, & accendentes pyras ſuper turres ſuas manebant cuſtodientes totam noctem illam.*

6 *Die autem ſecunda eduxit Olophernes vniuerſum equitatum ſuum ad faciem filiorum Iſrael, qui erant in Betylua, & conſiderauit aſcenſiones ciuitatis eorum:*

7 *Et fontes aquarum eorum aggreſſus eſt, & occupauit eos: & impoſuit eis caſtra virorum bellatorum: & ipſe rediit ad populum ſuum.*

8 *Et accedentes ei omnes principes filiorum Eſau, & omnes duces populi Moab, & duces maritimæ ducebant: Audiat nunc verbum dominus noſter: vt non fiat quaſſatio in virtute tua. Populus enim hic filiorum Iſrael non confidunt in lanceis ſuis, ſed in ſublimitatibus montium ſuorum, in quibus ipſi inhabitant in eis. Non enim eſt facile accedere cacuminibus montium eorum.*

9 *Et nunc domine ne belles aduerſus eos, ſicut fit bellum præli: & non cadet de populo tuo vir vnus. Mane in caſtris tuis, cuſtodiens omnem virum de virtute tua & obtineant pueri tui fontem aquæ, qui egreditur è radice montis, quoniam inde aquantur omnes habitantes Betylua: & perdet eos ſitis, & dedent ciuitatem ſuam. Et nos, & populus noſter aſcendemus ſuper vicina cacumina montium, & caſtrametabimur in eis ad cuſtodiam, vt non exeat è ciuitate vir vnus. Et tabeſcent in fame ipſi, & vxores eorum, & filij eorum: & priuſquam veniat gladius ſuper eos, ſternentur in plateis habitationis ſuæ: & retribues eis retributionem malam, pro eo quod rebellarunt, & non occurrerunt faciei tuæ in pace.*

Vulgat. Editio.

Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

(·.·)

(·.·)

(·.·)

Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.

Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæque, iuuenes, & paruuli, omnes simul vna voce

*Exod. 5.21. Dixerunt: *Iudicet Deus inter nos & te, quoniam fecisti in nos mala nolens loqui pacifice cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

Et ideo non est qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.

Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt, vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

Melius est enim vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quam moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori ante oculos nostros.

Contestamur hodie cœlum & terram, & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.

Et cum hæc dixissent, factus est fletus & vlulatus magnus in ecclesia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes:

* Psal. 105.6. *Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Tu quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te,

Vt non dicant inter Gentes: Vbi est Deus eorum?

Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent,

Exurgens Ozias infusus lachrymis, dixit: Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam.

Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.

Transl. ex Septuag.

10 *Et placuerunt verba eorum in conspectu Olophernis, & in conspectu omnium ministrorum eius, & constituerunt facere, sicut locuti fuerant. Et promouerunt castra filiorum Ammon, & cum eis millia quinque filiorum Assur: & castrametati sunt in valle, & præoccupauerunt aquas, & fontes aquarum filiorum Israel. Et ascenderunt filij esau, & filij Ammon, & castrametati sunt in montana contra Dothaim: & miserunt ex ipsis ad Austrum, & subsolanum è regione Ecrebel, quæ est prope Chus, quæ est super torrentem Mochmur. Et reliquus exercitus Assyriorum castrametati sunt in campo, & operuerunt omnem faciem terræ. Et tabernacula, & impedimenta eorum castrametata sunt in turba multa, & fuerunt in multitudine plurima valde. Et filij Israel exclamauerunt ad Dominum Deum suum, quoniam pusillanimis factus est spiritus eorum; quoniam in circuitu erant inimici ipsorum, & non erat effugere è medio eorum.*

11 *Et mansserunt in circuitu eorum castra Assur, pedites, & currus, & equites eorum diebus triginta quattuor. Et defecerunt omnibus habitantibus Bethulua omnia receptacula sua aquarum: & cisternæ euacuabantur, & non habebant bibere ad satietatem aquam diem vnum: quoniam in mensura dabant eis bibere. Et consternati sunt infantes eorum & mulieres eorum, & iuuenes defecerunt præ siti, & cadebant in plateis ciuitatis, & in transitibus portarum: & non erat robur vltra in eis.*

12 *Et congregati sunt omnis populus ad Oziam, & principes ciuitatis, iuuenes, & mulieres, & pueri, & exclamauerunt voce magna,*

13 *Et dixerunt coram omnibus senioribus: Iudicet Deus inter nos & vos: quoniam fecisti in nobis iniustitiam magnam, non loquentes pacifica cum filiis Assur.*

14 *Et nunc non est adiutor noster, sed vendidit nos Deus in manus eorum, vt prosternamur coram eis in siti, & perditione magna.*

15 *Et nunc inuocate eos, & date ciuitatem omnem in direptionem populo Olophernis, & omni virtuti eius.*

16 *Melius enim nobis fieri eis in direptionem. Erimus enim in seruos, & viuet anima nostra: & non videbimus mortem infantium nostrorum in oculis nostris, & vxores, & filios nostros, deficientes animas eorum.*

17 *Contestamur vobis cælum, & terram, & Deum nostrum, & Dominum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, & secundum peccata patrum nostrorum; vt non faciat iuxta verba hæc in die hodierna.*

18 *Et facta est ploratio magna in medio ecclesia omnium vnanimiter: & clamauerunt ad Dominum Deum voce magna.*

19

(·.·)

20

21

22

23 *Et dixit ad eos Ozias: Confidite fratres: obduremus adhuc quinque dies, in quibus conuertet Dominus Deus noster misericordiam suam super nos.*

24 *Non enim derelinquet nos in finem.*

Vulgat. Editio.

Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

CAP. VIII.

ET factum est, cum audisset hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari filij Idox, filij Ioseph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben:

Et vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeacæ:

Instabat enim super alligãtes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est in Bethulia ciuitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis.

Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & mensibus sex.

Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur,

Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.

Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas.

Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

Hæc itaque cum audisset quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri, & Charmi.

Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium?

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.

Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.

Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus:

Transl. ex Septuag.

Si autem transierint hi; & non venerit super nos auxilium; faciam secundum verba vestra. Et dispersit populus in castra ipsius, & ad muros, & turres ciuitatis suæ abierunt: & mulieres, & filios in domos suas dimisit. Et fuerunt in humiliatione multa in ciuitate.

CAP. VIII.

ET audiuit in illis diebus Iudith filia Merari, filij Ox, filij Ioseph, filij Oziel, filij Elcia, filij Eliu, filij Chelciæ, filij Eliab, filij Nathanael, filij Salamiel, filij Sarasadai, filij Israel.

Et vir eius Manasses de tribu eius, & de patria eius, & mortuus est in diebus messis hordeorum.

Instabat enim super ligantem manipulum in campo; & æstus venit super caput eius, & procidit in lectum, & obiit in Betulua ciuitate sua: & sepelierunt eum cum patribus eius in agro, qui inter Dothaim, & Belamon.

Et fuit Iudith in domo sua viduitatem seruans annos tres, & menses quattuor.

Et fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ,

Et imposuit super lumbum suum cilicium: & erant super eam vestimenta viduitatis eius: & ieiunabat omnibus diebus viduitatis sue præter ante sabbata, & sabbata, & ante neomœnias, & Neomœnias, & festiuitates, & letas solemnitates domus Israel.

Et erat pulchra specie, & decora aspectu valde: & reliquerat ei Manasses vir eius aurum, & argentum, & pueros, & ancillas, & pecora, & agros: & manebat super ea.

Et non erat, qui inferret ei verbum malum; quoniam timebat Deum valde. Et audiuit verba populi mala in principem, quia animo defecerunt super raritate aquarum.

Et audiuit omnia verba Iudith, quæ locutus erat ad eos Ozias, quomodo iurauerat eis traditurum ciuitatem post dies quinque Assyriis. Et mittens ancillam suam, quæ præerat omnibus substantiis suis, vocauit Oziam, & Chabrin, & Charmin seniores ciuitatis suæ.

Et venerunt ad eam. Et dixit ad eos: Audite nunc me principes habitantium in Betulua: quoniam non rectum est verbum vestrum, quod locuti estis coram populo in die hac, & statuistis iuramentum, quod locuti estis; inter Deum, & vos, & dixistis deditiros ciuitatem inimicis nostris, nisi in illis diebus conuersus fuerit Dominus ad adiuuandum nos.

Et nunc qui estis vos, qui tentastis Deum in die hodierna, & statuistis pro Deo in medio filiorum hominum?

Et nunc Dominum omnipotentem examinatis, & nihil cognoscetis vsque in sæculum: quoniam profundum cordis hominis non inuenietis, & verba cogitationis eius non percipietis:

Et quomodo Deum qui fecit omnia hæc, inuestigabitis; & mentem eius cognoscetis, & cogitationem eius contemplabimini?

Nequaquam fratres: nolite ad iracundiam prouocare Dominum Deum nostrum: quoniam si noluerit in illis quinque diebus auxiliari nobis, ipse habet potestatem, in quibus velit, tegere diebus, vel etiam exterminare nos ante faciem inimicorum nostrorum.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.	15	*Vos autem ne extorqueatis consilia Domini Dei nostri, quoniam non tamquam homo Deus, vt minis terreatur, neque tamquam filius hominis, vt iudicetur.*
Et ideo humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi,	16	*Quamobrem expectantes eam, quæ ab ipso, salutem, inuocemus eum in adiutorium nostrorum: & exaudiet*
Dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur:	17	*vocem nostram, si fuerit ipsi placitum:*
Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt deos alienos,	18	*Quoniam non surrexit in generationibus nostris, neque est in hodierna die neque tribus, neque patria, neque oppidum neque ciuitates ex nobis, qui adorent Deos manufactos, sicut factum est in prioribus diebus.*
Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.	19	*Quorum gratia dati sunt in gladium, & in direptionem patres nostri, & ceciderunt ruina magna coram inimicis nostris. Nos autem alium Deum non agnouimus præter eum.*
Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes Gentes: quæcumque insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster.	20	*Vnde speramus, quia non despiciet nos, neque à genere nostro: quoniam cum capti fuerimus nos; sic sedebit omnis Iudæa, & diripientur sancta nostra, & quæret pollutionem eorum de ore nostro, & cædem fratrum nostrorum, & captiuitatem terræ, & desolationem hæreditatis nostræ conuertet in caput nostrum in gentibus, vbicumque seruierimus ibi, & erimus in offendiculum, & in opprobrium coram possidentibus nos: quoniam non dirigetur seruitus nostra in gratiam, sed in ignominiam dabit eam Dominus Deus noster.*
Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum ad eloquium vestrum corda eorum erigite, vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri vt probarentur, si vere colerent Deum suum.	21	*Et nunc fratres ostendamus fratribus nostris, quia ex nobis pendet anima eorum, & sancta, & domus, & altare innituntur super nos. Præter hæc omnia gratias agamus Domino Deo nostro, qui tentat nos, sicut & patres nostros.*
* Gen. 22.3. * Memores esse debent quomodo pater noster Abraam tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.	22	*Recordamini, quæcumque fecit cum Abraham,*
Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.	23	*Et quæcumque tentauit Isaac, & quæcumque euenerunt Iacob in Mesopotamia Syriæ, pascenti pecora Laban fratris matris suæ:*
Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt,	24	*24. & 25. Quoniam non sicut illos examinauit in examen cordis eorum,*
* 1. Cor. 10 9. * Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.	25	
Et nos ergo non vlciscamur nos pro his, quæ patimur,	26	*Etiam nos non est vltius, sed ad monitionem flagellat Dominus appropinquantes sibi.*
Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.	27	
Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.	28	*Et dixit ad eam Ozias: omnia quæcumque dixisti, bono corde locuta es, & non est qui resistat verbis tuis: quoniam non hodie sapientia tua manifesta est, sed à principio dierum tuorum nouit omnis populus intellectum tuum, quomodo bona est formatio cordis tui. Sed populus sitiuit vehementer, & coegerunt facere nos secundum ea, quæ locuti sumus eis, & inducere iuramentum super nos, quod non transgredimur.*
Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es & timens Deum.	29	*Et nunc ora pro nobis, quoniam mulier pia es: & mittet Dominus pluuiam ad impletionem cisternarum nostrarum, & non deficiemus vltra.*
Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis:	30	*Et dixit ad eos Iudith: Audite me, & faciam rem, quæ perueniet in generationes generationum filijs generis nostri.*
Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate vt firmum faciat Deus consilium meum.	31	

Vulgat. Editio.

Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea: & orate, vt ficut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel.

Vos autem nolo vt scrutemini actum meum, & vsque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda: Vade in pace, & Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes abierunt.

CAP. IX.

QVibus abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens:

* Gen. 34.29. Domine Deus patris mei Simeon, * qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem:

Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum: subueni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ.

Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti.

Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti.

* Exo. 14.9. * Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum.

Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos.

Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.

Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur,

Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.

Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deiicere gladio suo cornu altaris tui.

Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur:

Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.

Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum: & virtutem, vt euertam illum.

* Iud 4 21 5.25 * Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum.

Transl. ex Septuag.

Vos stabitis super portam nocte hac, & exibo ego cum ancilla mea, & in diebus, post quos dixistis tradituros ciuitatem inimicis nostris, visitabit Dominus Israel in manu mea.

Vos autem non perscrutabimini actionem meam: non enim dicam vobis, donec perfecta fuerint, quæ ego facio.

Et dixit Ozias, & principes ad eam: Vade in pace: & Dominus Deus ante te in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes è tabernaculo, iuerunt ad ordines suos.

CAP. IX.

IVdith autem procidit in faciem, & imposuit cinerem super caput suum. Et nudauit quem induerat saccum: (& erat nuper oblatum in Hierusalem in domo Dei thymiama vesperæ illius) & clamauit voce magna Iudith, & dixit:

Domine Deus patris mei Symeon, qui dedisti in manu gladium in vltionem alienigenarum, qui soluerant vluam virginis in pollutionem, & nudauerunt fœmur in confusionem, & polluerunt vuluam in opprobrium: dixisti enim non sic erit. Et pro ijs, quæ fecerunt, dedisti principes eorum in cædem, & stratum eorum, quod nouerat decepticnem eorum, in sanguine, & percussisti seruos super dynastas, & dynastas super thronos eorum:

Et dedisti vxores eorum in direptionem, & filias in captiuitatem, & omnia spolia in distributionem filiorum dilectorum à te, qui etiam zelauerant zelum tuum, & abominati erant contaminationem sanguinis sui, & inuocauerant te in adiutorem. Deus Deus meus, etiam exaudi me viduam.

Tu enim fecisti, quæ ante illa, & illa, & quæ deinceps, & quæ nunc, & superuenientia cogitasti: & facta sunt quæ in mente habuisti, & affuerunt quæ deliberasti, & dixerunt, ecce adsumus:

Omnes enim viæ tuæ paratæ, & iudicium tuum in præcognitione. Ecce enim Assyrij multiplicati sunt in virtute sua, exaltati sunt super equo, & ascensore, gloriati sunt in brachio peditum, sperauerunt in clypeo, & in gaso, & arcu, & fundibula, & non cognouerunt quia tu es Dominus conterens bella Dominus nomen tibi:

(.·.)

(·.·)

Tu frange eorum fortitudinem in virtute tua, & prosterne robur eorum in furore tuo. Deliberauerunt enim polluere sancta tua, contaminare tabernaculum requietis nominis gloriæ tuæ, & dirùere ferro cornu altaris tui.

Aspice in superbiam eorum, mitte iram tuam in capita eorum.

Da in manu mea viduæ, quod cogitaui robur: percute seruum è labiis deceptionis meæ super principem, & principem super ministrum eius: frange eorum celsitudinem in manu fœminæ.

Vulgat. Editio.

Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.

Memento Domine testamenti tui, & da verbum in corde meo, consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat:

Et omnes Gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est alius præter te.

CAP. X.

FActum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominum.

Vocauitque Abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ,

Et lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.

Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.

Imposuit itaque Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & profecta est.

Cumque venissent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam & presbyteros ciuitatis.

Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius.

Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, vt glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum & iustorum.

Et dixerunt hi qui illic erant, omnes vna voce: Fiat, fiat.

Iudith vero orans Dominum, transiuit per portas, ipsa & Abra eius.

Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam dicentes: Vnde venis? aut quo vadis?

Transl. ex Septuag.

16 *Non enim in multitudine robur tuum, neque potentatus tuus in fortibus: sed humilium es Deus, minorum es adiutor, susceptor infirmorum, deploratorum protector, desperatorum saluator.*

17 *Ne, ne, Deus patris mei, & Deus hæreditatis Israel, Domine cœlorum, & terræ, creator aquarum, rex omnis creaturæ tuæ, tu exaudi orationem meam,*

18 *Et da verbum meum, & deceptionem, in vulnus, & liuorem eorum: qui cõtra testamentum tuum, & domum sanctificatam tuam, & verticem Sion, & domum possessionis filiorum tuorum deliberauerunt dura:*

19 *Et fac super omnem gentem tuam, & omnem tribum cognitionem ad sciendum, quia tu es Deus omnis virtutis, & potentiæ, & non est alius protegens genus Israel, nisi tu.*

CAP. X.

1 *ET factum est, vt cessauit clamans ad Deum Israel, & consummauit omnia verba hæc; & surrexit à deiectione.*

2 *Et vocauit ancillam suam, & descendit in domum, in qua versabatur in ea in diebus sabbatorum, & in festiuitatibus suis, & circumabstulit saccum, quem induerat, & exuit vestimenta viduitatis suæ,*

3 *Et circumlauit corpus aqua, & vnxit vnguento pingui, & discriminauit capillos capitis sui, & imposuit mitram super illud, & induit vestimenta letitiæ suæ in quibus amiciebatur in diebus vitæ viri sui Manasse: & sumpsit sandalia in pedes suos, & circumposuit monilia, & armillas & annulos, & inaures, & omnem ornatum suum.*

4 *Et ornata est valde in occursum oculorum hominum, quicumque viderint eam.*

5 *Et dedit ancillæ suæ ascoperam vini, & campsacem olei, & peram impleuit farinis, & palatha, & panibus mundis, & circumduplicauit omnia vasa sua, & imposuit super eam.*

6 *Et exiuerunt ad portam ciuitatis Betulua, & inuenerunt insistentes super eam Oziam, & seniores ciuitatis, Chabrin, & Charmin.*

7 *Vt autem viderunt eam (& erat mutata facies eius & stolam mutatam eius;) & mirati sunt super pulchritudine eius quamplurimum valde.*

8 *Et dixerunt ei: Deus, Deus patrum nostrorum det te in gratiam, & perficere adinuentiones tuas in gloriationem filiorum Israel, & exaltationem Hierusalem.*

9 *Et adorauit Deum, & dixit ad eos: Præcipite aperire mihi portam ciuitatis, & exibo ad perfectionem verborum, quæ locuti estis mecum, & præceperunt iuuenibus aperire ei, sicut locuti fuerant. Et fecerunt sic.*

10 *Et exiit Iudith, ipsa, & ancilla eius cum ea. Prospectabant autem eam viri ciuitatis, quoadusque descendit montem, donec transiit vallem, & non vltra aspiciebant eam.*

11 *Et ibant in valle in rectum: & occurrerunt ei exploratores Assyriorum: & cœperunt eam, & interrogauerunt: Quorum es, & vnde venis, & quo vadis?*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt vltro tradere seipsos vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro.	12	*Et dixit: Filia sum Hebræorum, & aufugio à facie eorum; quoniam dandi sunt vobis in deuorationem.*
Hac de causa cogitaui mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius.	13	*Et ego venio ad faciem Olophernis principis virtutis vestræ ad annunciandum verba veritatis: & ostendam ante faciem eius viam, per quam ibit, & dominabitur vniuersæ montanæ, & non dissonabit de viris eius caro vna, neque spiritus vitæ.*
Et cum audissent viri illi verba eius, considerabant faciem eius, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.	14	*Vt autem audiuerunt viri verba eius, & contemplati sunt faciem eius, & erat ante eos admirabilis pulchritudine valde;*
Et dixerunt ad eam: Conseruasti animam tuam eo quod tale reperisti consilium, vt descenderes ad dominum nostrum.	15	*Et dixerunt ad eam: Saluasti animam tuam, festinans descendere ad faciem domini nostri.*
Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu eius, bene tibi faciet, & eris gratissima in corde eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam.	16	*Et nunc accede ad tabernaculum eius; & ex nobis præmittent te, donec tradent te in manus eius. Si autem steteris coram eo; ne timeas corde tuo, sed annuncia secundum verba tua, & bene tibi faciet. Et elegerunt è seipsis viros centum, & adiunxerunt ei, & ancillæ eius, & duxerunt eas ad tabernaculum Olophernis. Et factus est concursus in omnibus castris. Personuerat enim in tabernaculis præsentia eius. Et venientes circumdabant eam; sicut stabat extra tabernaculum Olophernis; donec annunciauerunt ei de ea: & mirabantur super pulchritudine eius: & mirabantur filios Israel ex ea.*
Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes.	17	
Dixeruntque ad eum satellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus?	18	*Et dixit vnusquisque ad proximum suum. Quis contemnet populum hunc, qui habet in se mulieres tales? quoniam non bonum est remanere ex eis virum vnum: qui dimissi poterunt decipere omnem terram. Et exierunt, qui dormiebant iuxta Olophernem; & omnes ministri eius: & introduxerunt eam in tabernaculum.*
Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum:	19	*Et erat Olophernes requiescens super lectum suum in conopæo, quod erat ex purpurâ, & auro, & smaragdo, & lapidibus preciosis intestis. Et annunciauerunt ei de ea: & exiuit in proscenium, & lampades argenteæ præcedentes eum. Vt autem venit ad faciem eius Iudith, & ministrorum eius; mirati sunt omnes super pulchritudine faciei eius.*
Et cum in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram. Et eleuauerunt eam serui Holofernis, iubente domino suo.	20	*Et procidens in faciem adorauit eum: & erexerunt eam serui eius.*
CAP. XI.		CAP. XI.
TVnc Holofernes dixit ei: Aequo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego numquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi.	1	*ET dixit ad eam Olophernes: Confide mulier: ne timeas corde tuo: quoniam ego non malefaciam homini, quisquis elegerit seruire regi Nabuchodonosor omnis terræ.*
Populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum.	2	*Et nunc populus tuus habitans montanam, nisi vilipendissent me, non eleuassem hastam meam super eos: sed ipsi sibi fecerunt hæc.*
Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos?	3	*Et nunc dic mihi, cuius gratia aufugisti ab eis, & venisti ad nos. Venis enim ad salutem: Confide: in nocte hac viues & in reliquum. Non enim est, qui tibi iniuriam illaturus sit, sed bene tibi faciet, sicut fit seruis domini mei regis Nabuchodonosor.*
Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.	4	*Et dixit ad eum Iudith: Suscipe verba serue tuæ, & loquatur ancilla tua ad faciem tuam, & non annunciabo mendacium domino meo in nocte hac. Et si secutus fueris verba ancillæ tuæ; perfectè negocium faciet tecum Deus: & non decidet dominus meus à studijs suis.*

Vulgat. Editio.

Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines seruiunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi.

Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus, & indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus, & potens es in omni regno eius, & disciplina tua omnibus prouinciis prædicatur.

* Sup. 5.5. * Nec hoc latet, quod locutus est Achior, nec illud ignoratur, quod ei iusseris euenire.

Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum vt mandauerit per prophetas suos ad populum, quod tradat eum pro peccatis suis.

Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filij Israel, tremor tuus super ipsos est.

Insuper etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur.

Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum:

Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur.

Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nunciare tibi.

Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum,

Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, & veniens nunciabo tibi, ita vt ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israel, sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te:

Quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.

Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nunciare tibi.

Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur sapientiam eius, & dicebant alter ad alterum:

Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.

Et dixit ad illam Holofernes: Bene fecit Deus, qui misit te ante populum, vt des illum in manibus nostris:

Transl. ex Septuag.

5 *Viuit enim rex Nabuchodonosor vniuersæ terræ, & viuit imperium eius, qui misit te ad correctionem omnis animæ; quia non solum homines propter te seruient ei, sed etiam bestiæ agri, & pecora, & volatilia cœli propter fortitudinem tuam viuent super Nabuchodonosor, & omnem domum eius.*

6 *Audiuimus enim sapientiam tuam, & calliditates animæ tuæ: & annunciatum est omni terræ: quia tu solus bonus in omni regno, & potens in scientia, & mirabilis in expeditionibus belli.*

7 *Et nunc sermo, quem locutus est Achior in consensu tuo, audiuimus verba eius, quoniam seruauerunt eum viri Betulua, & annunciauit eis omnia, quæcumque elocutus erat apud te.*

8 *Quare dominator domine ne transgrediaris verbum eius, sed depone illud in corde tuo, quoniam verax est. Non enim sumitur vindicta de genere nostro, non præualet gladius aduersus eos; nisi peccauerint in Deum suum.*

9 *Et nunc, vt non fiat dominus meus eiectus, & re infecta desistens; & cadet mors super faciem eorum, & occupauit eos peccatum, in quo irritabunt Deum suum, quandocumque fecerint absurditatem.*

10 *Quoniam enim defecerunt eos escæ, & rarefacta est omnis aqua,*

Deliberauerunt iniycere manum iumentis suis,

Et omnia quæcumque distinxit eis Deus in legibus suis non comedere, decreuerunt insumere, & primitias frumenti, & decimas vini, & olei, quæ seruauerant sanctificantes sacerdotibus assistentibus in Hierusalem ante faciem Dei nostri, decreuerunt expendere, quæ neque manibus oportebat tangere quemquam eorum, qui de populo. Et miserunt in Hierusalem (quoniam, & qui ibi habitant, fecerunt hæc) eos, qui transportarent ipsis remissionem à senatu. Et erit simul ac renunciatum ipsis fuerit, & fecerint; dabuntur tibi in perditionem in die illa.

11 12

13 *Vnde ego serua tua cognoscens hæc omnia, aufugi à facie eorum. Et misit me Deus facere tecum negocia, super quibus stupebit vniuersa terra, quicumque audiuerint ea:*

14 *Quoniam serua tua Dei cultrix est, & ministrans nocte, & die Deo cœli. Et nunc manebo apud te domine mi: & exibit serua tua per noctem in vallem, & deprecabor ad Deum.*

15 *Et dicet mihi, quando fecerint peccata sua: & veniens deferam tibi, egredieris cum omni virtute tua, & non est, qui resistet tibi ex eis. Et ducam te per medium Iudææ vsque ad veniendum contra Hierusalem. Et ponam sedem tuam in medio eius, &ages eos tamquam oues, quibus non est pastor: & non latrabit canis lingua sua coram te:*

16 *Quoniam hæc dicta sunt mihi secundum præcognitionem meam, & annunciata sunt mihi,*

17 *Et missa sum annunciare tibi.*

18 *Et placuerunt verba eius coram Olopherne, & coram omnibus ministris eius: & mirati sunt super sapientia eius, & dixerunt:*

19 *Non est talis mulier à summo vsque ad summum terræ, pulchra specie, & intellectu verborum.*

20 *Et dixit ad eam Olophernes: Bene fecit Deus mittens te ante populum, vt fiat in manibus nostris potentia: in iis autem, qui vilipenderunt dominum meum, perditio.*

Vulgat. Editio.

Et quoniam bona eſt promiſſio tua, ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuerſa terra. 21

CAP. XII.

TVnc iuſſit eam introire vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo. 1

Cui reſpondit Iudith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo. 2

Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi iſta, quæ tecum detuliſti, quid faciemus tibi? 3

Et dixit Iudith: Viuit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc, quæ cogitaui. Et induxerunt illam ſerui eius in tabernaculum, quod præceperat. 4

Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum. 5

Et præcepit cubiculariis ſuis, vt ſicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum ſuum, per triduum: 6

Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ. 7

Et vt aſcendebat, orabat Dominum Deum Iſrael, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui. 8

Et introiens, munda manebat in tabernaculo vſque dum acciperet eſcam ſuam in veſpere. 9

Et factum eſt, in quarto die Holofernes fecit cœnam ſeruis ſuis, & dixit ad Vagao eunuchum ſuum: Vade, & ſuade Hebræam illam vt ſponte conſentiat habitare mecum. 10

Fœdum eſt enim apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum agendo vt immunis ab eo tranſeat. 11

Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate. 12

Cui Iudith reſpondit: Quæ ego ſum, vt contradicam domino meo? 13

Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. 14

Et ſurrexit, & ornauit ſe veſtimento ſuo, & ingreſſa ſtetit ante faciem eius. 15

Cor autem Holoſernis concuſſum eſt: erat enim ardens in concupiſcentia eius. 16

Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inueniſti gratiam coram me. 17

Tranſl. ex Septuag.

Et nunc venuſta es tu in ſpecie tua, & bona in verbis tuis. Quare, ſi feceris, ſicut locuta es; Deus tuus erit meus Deus: & tu in domo regis Nabuchodonoſor ſedebis, & eris nominata apud omnem terram.

CAP. XII.

ET iuſſit introducere eam, vbi poſita erat ſupellex argentea ſua: & præcepit parari ei de obſonijs ſuis, & de vino ſuo bibere. 1

Et dixit Iudith: Non comedam ex eis: vt non fiat ſcandalum: ſed de ijs, quæ ſecuta ſunt me, præbebitur. 2

Et dixit ad eam Olophernes: Si autem defecerint, quæ ſunt tecum; vnde proferemus tibi ad dandum ſimilia eis? Non enim eſt nobiſcum de gente tua. 3

Et dixit Iudith ad eum: Viuit anima tua domine mi, quia non conſumet ſerua tua ea, quæ ſunt mecum, donec fecerit Dominus in manu mea, quæ deliberauit. Et duxerunt eam miniſtri Olophernis in tabernaculum: & dormiuit vſque ad mediam noctem. Et ſurrexit ad matutinam vigiliam: 4

Et miſit ad Olophernem, dicens: Præcipiat, quæſo, Dominus meus, permittere ſeruam tuam ad deprecationem exire. 5

Et præcepit Olophernes cuſtodibus corporis non prohibere eam. Et manſit in caſtris dies tres: 6

Et exibat per noctem in vallem Betulua, & baptizabatur in caſtris ſuper fontem aquæ. 7

Et, vt aſcenderat, orabat Dominum Deum Iſrael dirigere viam ipſius ad ſuſcitationem filiorum populi ſui. 8

Et ingrediens munda manebat in tabernaculo, quoad uſque attuliſſet alimentum ſuum ad veſperam. 9

Et factum eſt in die quarta, fecit Olophernes conuiuium ſeruis ſuis ſolis, & non vocauit ad miniſterium, quemquam ex ijs, qui ad vſus. Et dixit Bagoæ eunucho, qui erat præfectus ſuper omnia, quæ ipſius: Perſuade nunc vadens mulieri illi Hebrææ, quæ eſt apud te, venire ad nos, & comedere, & bibere nobiſcum. 10

Ecce enim fœdum faciei noſtræ; ſi mulierem talem omittamus non conuerſantes cum ea; quoniam ſi hanc non allexerimus, irridebit nos. 11

Et exiuit Bagoas à facie Olophernis, & intrauit ad eam, & dixit: Ne cunctetur, quæſo, puella pulchra hæc veniens ad dominum meum glorificari ad faciem eius, & bibere nobiſcum in lætitia vinum, & fieri in die hac, ſicut filia vna filiorum Aſſur, quæ aſſiſtunt in domo Nabuchodonoſor. 12

Et dixit ad eum Iudith: Et quæ ſum ego contradicens domino meo? 13

Quia omne, quod erit in oculis eius placitum, feſtinans faciam: & erit hoc exultatio vſque ad diem mortis meæ: 14

Et exurgens ornauit ſe veſte, & omni ornatu muliebri. Et acceſſit ſerua eius, & ſtrauit ei ante Olophernem, humi pelles, quas acceperat à Bagoa ad quotidianum vſum ſuum, vt manducaret accumbens ſuper eas. Et ingreſſa recubuit Iudith: 15

Et ſtupuit cor Olophernis ſuper eam & commota eſt anima eius: & erat cupidus valde congrediendi cum ea: & obſeruabat tempus decipiendi eam, ex qua die vidit eam. 16

Et dixit ad eam Olophernes: Bibe, quæſo, & eſto nobiſcum in lætitia. 17

Vulgat. Editio.

Et dixit Iudith: Bibam domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

Et accepit,& manducauit,& bibit coram ipso ea, quæ parauerat illi ancilla eius.

Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum numquam biberat in vita sua.

CAP. XIII.

VT autem sero factum est,festinauerunt serui illius ad hospitia sua,& conclusit Vagao ostia cubiculi,& abiit.

Erant autem omnes fatigati à vino:

Eratque Iudith sola in cubiculo.

Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.

Dixitque Iudith puellæ suæ vt staret foris ante cubiculum,& obseruaret.

Stetitque Iudith ante lectum, orans cum lachrymis,& labiorum motu in silentio,

Dicens: Confirma me Domine Deus Israel,& respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.

Et cum hæc dixisset,accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius,qui in ea ligatus pendebat,exoluit.

Cumque euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora.

Et percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius,& abstulit conopœum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum.

Et post pusillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & iussit vt mitteret illud in peram suam.

Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam,quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem,venerunt ad portam ciuitatis.

Et dixit Iudith à longe custodibus murorum: Aperite portas,quoniam nobiscum est Deus,qui fecit virtutem in Israel.

Et factum est,cum audissent viri vocem eius, vocauerunt presbyteros ciuitatis.

Et concurrerunt ad eam omnes, à minimo vsque ad maximum: quoniam sperabant eam iam non esse venturam.

Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuersi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent,

Dixit Iudith: Laudate Dominum Deum nostrum,qui non deseruit sperantes in se:

Et in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, quam promisit domui Israel:& interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.

Transl. ex Septuag.

Et dixit Iudith: Bibam nunc domine: quoniam magnificata est vita mea in me hodie pra omnibus diebus generationis meæ:

Et sumens comedit,& bibit coram eo, quæ parauerat serua ipsius.

Et letatus est Olophernes ex ea,& bibit vinum multum valde,quantum non biberat vnquam in die vna, ex quo natus erat.

CAP. XIII.

VT autem sero factum est; festinauerant serui illius diuertere:& Bagoas conclusit tabernaculum deforis: & exclusit assistentes à facie domini sui: & abierunt ad cubilia sua.

Erant enim omnes defatigati: eo quod plurimum productum esset conuiuium.

Remansit autem Iudith sola in tabernaculo,

Et Olophernes iacens super lectum suum: erat enim circumfusum ei vinum.

Et dixit Iudith seruæ suæ stare extra cubiculum ipsius,& obseruare exitum eius, sicut quotidie. Exire enim dixit ad orationem suam. Et Bagoa locuta est iuxta verba hæc. Et abierunt omnes à facie: & nemo remansit in cubiculo à paruo vsque ad magnum.

Et stans Iudith apud lectum illius,

Dixit in corde suo: Domine Deus omnis virtutis, respice in hora hac super opera manuum mearum in exaltationem Hierusalem; quoniam nunc tempus suscipere hæreditatem tuam,& facere studium meum in quassationem hostium, qui insurrexerunt nobis.

Et accedens ad canonem lecti, qui erat ad caput Olophernis, deposuit acinacem eius ab eo.

Et appropinquans lecto apprehendit comam capitis eius,& dixit: Confirma me Deus Israel in die hac.

Et percussit in ceruicem eius bis in fortitudine sua,& abstulit caput eius ab eo,& reuoluit corpus eius à strato & abstulit conopœum à columnis.

Et post paucum exiuit,& tradidit ancillæ suæ caput Olophernis,& iniecit illud in peram ciborum suorum:

Et exierunt amba simul secundum consuetudinem suam. Et transeuntes castra circumierunt vallem illam,& ascenderunt montem Betulua,& venerunt ad portas eius.

Et dixit Iudith à longe iis; qui custodiebant super portas: Aperite, aperite nunc portam; nobiscum Deus, Deus noster ad faciendam adhuc fortitudinem in Israel, & potentiam contra inimicos; sicut etiam hodie fecit.

Et factum est,vt audierunt viri ciuitatis eius vocem eius; festinauerunt descendere ad portam ciuitatis suæ: & conuocauerunt seniores ciuitatis:

Et concurrerunt omnes à paruo vsque ad magnum: quoniam præter opinionem erat eis venire ipsam:& aperuerunt portam,& susceperunt eas.

Et accendentes ignem ad illumninationem, circundederunt eas.

At illa dixit ad eos voce magna: Laudate Deum, laudate,laudate Deum; qui non amouit misericordiam suam à domo Israel.

Sed fregit inimicos nostros per manum meam in nocte hac.

Vulgat. Editio.

Et proferens de pera caput Holofernis, oſtendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Aſſyriorum, & ecce conopœum illius, in quo recumbebat in ebrietate ſua, vbi per manum fœminæ percuſſit illum Dominus Deus noſter.

Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea, & in liberatione veſtra.

* Pſal. 105. 1. & 106. 1

* Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Vniuerſi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.

Porro Ozias princeps populi Iſrael, dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.

Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum:

Quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercifti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubueniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri.

Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

Porro Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith: Deus Iſrael, cui tu teſtimonium dediſti quod vlciſcatur ſe de inimicis ſuis, ipſe caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.

Et vt probes quia ita eſt, ecce caput Holofernis, qui in contemptu ſuperbiæ ſuæ Deum Iſrael contempſit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Iſrael, gladio perforari præcipiam latera tua.

Videns autem Achior caput Holofernis, anguſtiatus præ pauore, cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & æſtuauit anima eius.

Poſtea vero quam reſumpto ſpiritu recreatus eſt, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit:

Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael.

CAP. XIV.

DIxit autem Iudith ad omnem populum: audite me fratres, ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros:

Et erit, cum exierit Sol, accipiat vnuſquiſque arma ſua, & exite cum impetu non vt deſcendatis deorſum, ſed quaſi impetum facientes.

Tunc exploratores neceſſe erit vt fugiant ad principem ſuum excitandum ad pugnam.

Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in ſuo ſanguine volutatum, decidet ſuper eos timor.

Tranſl. ex Septuag.

19 *Et proferens caput è pera oſtendit, & dixit eis: Ecce caput Olophernis principis virtutis Aſſur, & ecce conopæum, in quo recumbebat in ebrietatibus ſuis: & percuſſit eum Dominus in manu fœminæ.*

20 *Et viuit Dominus, qui cuſtodiuit me in via mea, qua iui: quoniam decepit eum facies mea in perditionem ipſius, & non fecit peccatum mecum in pollutionem, & confuſionem.*

21

22 *Et obſtupuit omnis populus valde: & procumbentes adorauerunt Deum, & dixerunt vnanimiter: Benedictus es Deus noſter, qui ad nihilum redegiſti in die hodierna inimicos populi tui.*

23 *Et dixit ei Ozias: Benedicta tu filia Deo altiſſimo præ omnibus mulieribus, quæ ſuper terram,*

24 *Et benedictus Dominus Deus, qui creauit cœlos, & terram, qui direxit te in fractionem capitis principis inimicorum noſtrorum:*

25 *Quoniam non remouebitur ſpes tua à corde hominum commemorantium fortitudinem Dei vſque in ſæculum. Et faciat ea tibi Deus in ſublimitatem æternam viſitando te in bonis, eo quod non pepercifti animæ tuæ propter humiliationem generis noſtri, ſed ſubueniſti ruinæ noſtræ, in rectum vadens coram Deo noſtro.*

26 *Et dixerunt omnis populus: Fiat: fiat.* *

* Cætera nō habentur in hac tranſl. ex Sep. Rom.

27

28

(·.·) (·.·)

29

30

(·.·) (·.·)

31

CAP. XIV.

1 *ET dixit ad eos Iudith: Audite nunc me fratres: & tollentes caput hoc, ſuſpendite illud ſuper pinnaculum muri veſtri.*

2 *Et erit cum illuxerit aurora, & exiuerit Sol ſuper terram; ſumetis vnuſquiſque vaſa bellica veſtra, & exibitis omnis vir fortis extra ciuitatem, & dabitis principem in eos, tamquam deſcendentes in campum ad excubias filiorum Aſſur: & non deſcendetis.*

3 *Et ſumentes iſti armaturas ſuas, ibunt ad caſtra ſua, & excitabunt duces virtutis Aſſur,*

4 *Et concurrent ad tabernaculum Olophernis, & non inuenient eum, & irruet ſuper eos timor,*

Vulgat. Editio.

Cumque cognoueritis fugere eos, ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret eos ſub pedibus veſtris.

Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael, & omnis ſucceſſio generis eius vſque in hodiernum diem.

(.·.)

(.·.) (.·.)

Mox autem vt ortus eſt dies, ſuſpenderunt ſuper muros caput Holofernis, accepitque vnuſquiſque vir arma ſua, & egreſſi ſunt cum grandi ſtrepitu & vlulatu.

Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.

Porro hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingreſſum cubiculi perſtrepentes, excitandi gratia inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, ſed à ſonantibus Holofernes euigilaret.

Nullus enim audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrando aperire.

Sed cum veniſſent eius duces, ac tribuni, & vniuerſi maiores exercitus regis Aſſyriorum, dixerunt cubiculariis:

Intrate, & excitate illum, quoniam egreſſi mures de cauernis ſuis, auſi ſunt prouocare nos ad prælium.

Tunc ingreſſus Vagao cubiculum eius, ſtetit ante cortinam, & plauſum fecit manibus ſuis: ſuſpicabatur enim illum cum Iudith dormire.

Sed cum nullum motum iacentis ſenſu aurium caperet, acceſſit proximans ad cortinam, & eleuans eam, videnſque cadauer abſque capite Holofernis in ſuo ſanguine tabefactum iacere ſuper terram, exclamauit voce magna cum fletu, & ſcidit veſtimenta ſua.

Et ingreſſus tabernaculum Iudith, non inuenit eam, & exiliit foras ad populum,

Et dixit: Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo regis Nabuchodonoſor: ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non eſt in illo.

Quod cum audiſſent principes virtutis Aſſyriorum, ſciderunt omnes veſtimenta ſua, & intolerabilis timor, & tremor cecidit ſuper eos, & turbati ſunt animi eorum valde.

Et factus eſt clamor incomparabilis in medio caſtrorum eorum.

CAP. XV.

CVmque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens, & conſilium ab eis, & ſolo tremore, & metu agitati, fugæ præſidium ſumunt.

Tranſl. ex Septuag.

5 *Et fugient à facie veſtra. Et inſequuti vos, & omnes habitantes omnem terminum Iſrael, proſternite eos in viis eorum. Priuſquam vero faciatis hæc, vocate mihi Achior Ammanitem; vt videns agnoſcat eum, qui vilipendebat domum Iſrael, & ipſum tamquam ad mortem miſerat ad nos. Et vocauerunt Achior è domo Oziæ.*

6 *Vt autem venit, & vidit caput Olophernis in manu viri vnius de eccleſia populi; cecidit in faciem, & exolutus eſt ſpiritus eius. Vt autem recrearunt eum; procidit ad pedes Iudith, & odorauit faciem eius, & dixit: Benedicta tu in omni tabernaculo Iuda, & in omni gente, qui quidem audientes nomen tuum turbabuntur. Et nunc annuncia mihi, quæcumque feciſti in diebus his. Et annunciauit ei Iudith in medio populi omnia, quæcumque fuerat faciens, ex qua die exijt, vſque dum loquebatur eis. Vt autem ceſſauit loquens, iubilauit populus voce magna, & dedit vocem lætam in ciuitate ſua. Videns autem Achior omnia, quæcumque fecerat Deus Iſrael, credidit Deo valde & circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad domum Iſrael vſque in diem hanc.*

7 *Poſtquam vero aurora aſcendit; & ſuſpenderunt caput Olophernis è muro: Et ſumpſit omnis vir Iſrael arma ſua, & exiuerunt per ſpiras ad aſcenſiones montis.*

8 *Filij autem Aſſur, vt viderunt eos, miſerunt ad præfectos ſuos.*

9 (.·.)

(..)

10 *Illi autem venerunt ad duces, & ad Chiliarchos, & ad omnem principem ſuum.*

11 *Et aduenerunt ad tabernaculum Olophernis, & dixerunt ei, qui ſuper omnia illius:*

12 *Excita nunc Dominum noſtrum, quoniam auſi ſunt ſerui deſcendere ſuper nos ad prælium, vt exterminentur in finem.*

13 *Et intrauit Bagoas, & pulſauit aulam tabernaculi: ſuſpicabatur enim dormire illum cum Iudith.*

14 *Vt autem nemo exaudiuit, diſungens intrauit in cubiculum, & inuenit eum ſuper ſtratum proiectum mortuum, & caput eius ablatum erat ab eo. Et clamauit voce magna cum ploratu, & fletu, & clamore forti, & diſcidit veſtimenta ſua.*

15 *Et intrauit in tabernaculum, vbi fuit Iudith diuertens, & non inuenit eam. Et proſilijt ad populum*

16 *Vociferans: Prauaricati ſunt ſerui: fecit confuſionem vna mulier Hebræorum in domum regis Nabuchodonoſor, quoniam ecce Olophernes humi, & caput non eſt ſuper eum.*

17 *Vt autem audierunt verba hæc principes virtutis Aſſur, tunicas ſuas diſciderunt, & turbata eſt anima eorum valde:*

18 *Et facta eſt eorum vociferatio, & clamor magnus valde in medio caſtrorum.*

CAP. XV.

1 *ET vt audiuerunt, qui erant in tabernaculis; obſtupuerunt ſuper factum: & irruit ſuper eos timor, & tremor:*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Ita vt nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus euadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per viam camporum, & semitas collium.	2	*Et non fuit homo manens ad faciem proximi vltra: sed effusi vnanimiter fugiebant super omnem viam campi, & montanæ. Et qui castrametati erant in montana in circuitu Betulua, & versi sunt in fugam.*
Videntes itaque filij Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & vlulantes post ipsos.	3	*Et tunc filij Israel, omnis vir bellator ex eis, effuderunt se super eos.*
Et quoniam Assyrij non adunati, in fugam ibant præcipites: filij autem Israel vno agmine persequentes, debilitabant omnes quos inuenire potuissent.	4	
Misit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates, & regiones Israel.	5	*Et misit Ozias in Bathomastham, & Chobai, & Chola, & ad omnem terminum Israel, qui annunciarent super his, quæ confecta fuerant, & vt omnes superfunderentur hostibus ad perditionem eorum.*
Omnis itaque regio, omnisque vrbs electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij quousque peruenirent ad extremitatem finium suorum.	6	*Vt autem audiuerunt filij Israel, omnes vnanimiter irruerunt super eos, & tradebant eos vsque Choba. Similiter autem & qui de Hierusalem aduenerant, & ex omni montana. Annunciauerant enim eis, quæ facta erant castris inimicorum suorum. Et qui in Galaad, & qui in Galilæa, dissipauerunt eos plaga magna, quoadusque præterierunt Damascum, & fines eius.*
Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.	7	*Cæteri autem, qui habitabant Betulua, irruerunt in castra Assur, & prædati sunt eos, & ditati sunt valde.*
Hi vero, qui victores reuersi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita vt non esset numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuersis mobilibus eorum, vt à minimo vsque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.	8	*Filij autem Israel reuertentes à cæde, dominati sunt reliquorum: & pagi, & villæ in montana, & campestri obtinuerunt multa spolia acerat enim multitudo plurima valde.*
Ioachim autem summus pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam cum vniuersis presbyteris suis, vt videret Iudith.	9	*Et Ioacim sacerdos magnus, & seniores filiorum Israel habitantes in Hierusalem venerunt ad spectandum bona quæ fecerat Dominus Israeli, & ad videndam Iudith, & loquendum cum ea pacem.*
Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri:	10	*Vt autem intrarunt ad eam, benedixerunt eam omnes vnanimiter, & dixerunt ad eam: Tu sublimitas Israel, tu exultatio magna Israel, tu gloriatio magna generis nostri.*
Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum,	11	*Fecisti omnia hæc in manu tua, fecisti bona cum Israel: & bene sentiat super eis Deus. Benedicta esto apud omnipotentem Dominum in æternum tempus.*
Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.	12	*Et dixit omnis populus: Fiat.*
Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israel.	13	*Et spoliauit omnis populus castra per dies triginta:*
Porro autem vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo.	14	*Et dederunt Iudith tabernaculum Olophernis, & omnem argenteam supellectilem, & lectos, & peluem, & omne vasarium eius. Et accipiens ipsa imposuit super mulam suam, & iunxit plaustra sua, & contexuit ea super illa. Et concurrit omnis mulier Israel ad videndam eam, & benedixerunt eam: & fecerunt ei chorum ex se: & sumpsit thyrsos in manibus suis, & dedit mulieribus, quæ secum, & coronatæ sunt oliua, ipsa, & quæ cum ipsa.*
Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus, in organis, & citharis.	15	*Et præiuit omnem populum in choræa, ducens omnes mulieres: & sequebatur omnis vir Israel armati cum coronis, & hymnis in ore suo.*
CAP. XVI.		CAP. XVI.
TVnc cantauit canticum hoc Domino Iudith, dicens:	1	★ *ET inchoauit Iudith confessionem hanc in omni Israel, & subcinebat omnis populus laudem hanc.*
		★ *Et dixit Iudith:*
Incipite Domino in tympanis: cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum nouum, exaltate, & inuocate nomen eius.	2	*Incipite Deo meo in tympanis: cantate Domino meo in cymbalis: modulamini ei psalmum nouum: exaltate, & inuocate nomen eius:*

* Quæ hic duobus asteris claudũtur in transl. ex Sept. Rom iungũtur superiori capitulo.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi.	3	*Quoniam Deus conterens bella Dominus:*
Qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum noſtrorum.	4	*Quoniam in caſtris eius in medio populi eripuit me de manu perſequentium me.*
Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis ſuæ: cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.	5	*Venit Aſſur è montibus ab Aquilone: venit in myriadibus virtutis ſuæ, quarum multitudo earum obſtruxerat torrentes, & equitatus eorum operuerat colles.*
Dixit ſe incenſurum fines meos, & iuuenes meos occiſurum gladio, infantes meos dare in prædam, & & virgines in captiuitatem.	6	*Dixit combuſturum fines meos, & iuuenes meos perempturum in gladio, & lactentes meos poſiturum in pauimentum, & infantes meos daturum in direptionem, & virgines meas ſpoliaturum.*
Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.	7	*Dominus omnipotens fruſtratus eſt eos in manu fœminæ.*
Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.	8	*Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, neque filij Titanum percuſſerunt eum, neque excelſi gigantes inuaſerunt eum, ſed Iudith filia Merari in pulchritudine faciei ſuæ diſſoluit eum.*
Exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael.	9	*Exuit enim ſtolam viduitatis ſuæ in ſublimitate laborantium in Iſrael,*
Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum.	10	*Vnxit faciem ſuam in vnguento, & ligauit capillos ſuos in mitra, & ſumpſit ſtolam lineam in deceptionem illius:*
Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius.	11	*Sandalium ipſius rapuit oculum eius, & pulchritudo ipſius captiuauit animam eius. Pertranſiit acinaces ceruicem eius:*
Horruerunt Perſæ conſtantiam eius, & Medi audaciam eius.	12	*Horruerunt Perſæ audaciam ipſius, & Medi confidentia ipſius diſrupti ſunt.*
Tunc vlulauerunt caſtra Aſſyriorum, quando apparuerunt humiles mei, areſcentes in ſiti.	13	*Tunc vociferati ſunt humiles mei, & timuerunt infirmi mei, & expauerunt: exaltauerunt vocem ſuam, & reuerſi ſunt.*
Filij puellarum compunxerunt eos, & ſicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.	14	*Filij puellarum compunxerunt eos, & tanquam pueros transfugarum vulnerabant eos. Perierunt ab acie Domini mei.*
Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo noſtro.	15	*Hymnum dicam Deo meo, hymnum dicam.*
Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt.	16	*Domine magnus es, & glorioſus, mirabilis in fortitudine, inſuperabilis.*
✱Gen. 1 Pſ. 32 9 Tibi ſeruiat omnis creatura tua: ✱ quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.	17	*Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quoniam dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & ædificauit: & non eſt qui reſiſtet voci tuæ.*
Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petræ ſicut cera, liqueſcent, ante faciem tuam.	18	*Montes enim à fundamentis cum aquis commouebuntur: petræ autem à facie tua tanquam cera, liqueſcent: ſuper timentes autem te tu bene propitiaris eis: quoniam paruum omne ſacrificium in odorem ſuauitatis; & minimus omnis adeps in holocauſtoma tibi:*
Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.	19	*Timens autem Dominum magnus ſemper.*
Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos.	20	*Væ gentibus inſultantibus generi meo. Dominus omnipotens vlciſcetur eos in die iudicij,*
Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.	21	*Dando ignem, & vermes in carnes eorum: & plorabunt in ſenſu vſque in ſæculum.*
Et factum eſt poſt hæc, omnis populus poſt victoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum: & mox, vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota, & repromiſſiones ſuas.	22	*Vt autem venerunt in Hieruſalem; adorauerunt Deum. Et poſtquam mundatus eſt populus, obtulerunt holocauſtomata ſua, & ſpontanea ſua, & dona.*
Porro Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis.	23	*Et poſuit Iudith omnia vaſa Olopherni, quæ dederat populus ipſi, & conopæum, quod ſumpſerat ipſa è cubili eius, in anathema Deo dedit.*
Erat autem populus iucundus ſecundum faciem ſanctorum, & per tres menſes gaudium huius victoriæ celebratum eſt cum Iudith.	24	*Et fuit populus lætans in Hieruſalem ad faciem ſanctorum per menſes tres: & Iudith cum eis manſit.*
Poſt dies autem illos vnuſquiſque rediit in domum ſuam, & Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael.	25	*Poſt dies autem hos diſceſſit vnuſquiſque ad hæreditatem ſuam. Et Iudith abiit in Bethulua, & manſit ſuper ſubſtantiam ſuam. Et facta eſt per tempus ſuum glorioſa in vniuerſa terra.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta, ita vt non cognoſceret virum omnibus diebus vitæ ſuæ, ex quo defunctus eſt Manaſſes vir eius.	26	*Et multi concupierunt eam: & non cognouit vir eam omnibus diebus vitæ eius, ex qua die mortuus eſt Manaſſes vir eius, & appoſitus eſt ad populum ſuum.*
Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria.	27	*Et erat procedens magna valde.*
Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque, & dimiſit Abram ſuam liberam, & defuncta eſt, ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia.	28	*Et ſenuit in domo viri ſui annos centum quinque, & dimiſit ancillam ſuam liberam: & mortua eſt in Bethulua. Et ſepelierunt eam in ſpelunca viri eius Manaſſe:*
Luxitque illam omnis populus diebus ſeptem.	29	*Et luxit eam domus Iſrael dies ſeptem.*
In omni autem ſpatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis.	30	*Et diſtribuit ſubſtantiam ſuam, antequam ipſa moreretur, omnibus propinquis Manaſſe viri ſui, & propinquis generis ſui.*
Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis, ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diem.	31	*Et non fuit amplius, qui terreret filios Iſrael in diebus Iudith, & poſtquam ipſa mortua eſt, dies multos.*

FINIS LIBRI IVDITH.



LIBRI
ESTHER.

Vulgat. Editio.

CAPVT PRIMVM.

IN diebus Assueri, qui regnauit ab India vsque Aethiopiam super centum viginti septem prouincias:

Quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit.

Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se,

Vt ostenderet eis diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet, & octoginta diebus.

Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan, à maximo vsque ad minimum: & iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat.

Et pendebant ex omni parte tentoria aerij coloris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei, & argentei, super pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis, atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.

Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet,

Vasthi quoque regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Assuerus manere consueuerat.

Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunnchis, qui in conspectu eius ministrabant,

Vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate vt ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.

Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus rex, & nimio furore succensus,

Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum:

(Erant autem primi, & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant)

LIBRI
MEGHILLATH.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAPVT PRIMVM.

ET fuit in diebus Achasueros, ipse est Achasueros, qui regnabat ab India, & vsque ad Aethiopiam super septem, & viginti, & centum prouincias.

In diebus illis cum sederet rex Achasueros super solium regni sui quod erat in Susan regia.

Anno tertio quo regnauit, fecit conuiuium cunctis principibus suis, & seruis suis, exercitui Persico, & Medico, & principibus maioribus, & principibus prouinciarum qui erant ante se.

Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, & honorem gloriæ magnitudinis suæ dierum multis, octoginta, & centum diebus.

Et cum impleti fuissent dies ipsi fecit rex omni populo qui inuentus est in Susan regia a maximo vsque ad minimum conuiuium septem dierum, in atrio horti palatij regis.

Auleum candidum, & viride coloris candidi, & hyacinthinum tentum funibus byssinis, & purpureis in circulis argenteis, & columnis marmoreis. Lecti aurei, & argentei super pauimentum porphyreticum, & marmoreum, & parium, & hyacinthum lapidem.

Et propinabant in vasis aureis, & vasa erant à vasis variata, & vinum regium multum secundum potentiam regiam. Et potus erat secundum legem.

Non erat qui cogeret: quia sic disposuerat rex cum omni magistro domus suæ, vt facerent secundum voluntatem vniuscuiusque.

Etiam Vasthi regina fecit conuiuium fœminarum in domo regni, quæ erat regis Achasueros.

Die septimo cum iucundum esset cor regis propter vinum dixit ad Mehuman, & Biztha, Charbonam, & Bigtha, & Bagtha, Zethar, & Charchas septem eunuchos, qui ministrabant ante faciem regis Achasueros,

Vt ducerent Vasthi reginam coram rege cum diademate regni, vt ostenderet populis, & principibus pulchritudinem eius: quoniam decora aspectu erat.

Et renuit regina Vasthi venire ad verbum regis quod fuerat per manum eunuchorum, Et iratus est rex valde, & ira eius succensa est in eo.

Dixitq; rex sapientibus scientibus tempora, quia sic erat consuetudo regis coram omnibus scientibus legem, & iudicium.

Et propinquus ei Charsena, Sethar, Admatha, Tarsis, Meres, Marsena, Memuchan, septem principes Paras, & Madai videntes faciem regis, qui sedebant primi in regno.

LIBRI
ESTHER.

Transl. ex Septuag.

CAPVT PRIMVM.

Quæ hic in initio capituli posita sunt in trãslat. ex Sep. Rom. habentur circa medium capituli primi: & ante ista põnũtur, quæ tãquam prohemium agnoscuntur à D. Hier. & quia nõ habentur apud Hebræos reiecta sũt ab ipso infra c. 12. n. 2.

ET factum est post verba hæc in diebus Artaxersis:hic Artaxerses ab Indica centum viginti septem regiones obtinuit.

In istis diebus, quando sedit in throno rex Artaxerses in Susis ciuitate,

In anno tertio, regnante ipso,conuiuium fecit amicis, & reliquis gentibus, & Persarum,& Medorum inclytis,& principibus Satraparum.

Et post hæc, postquam ostendit eis diuitias regni sui, & gloriam lætitiæ opulentiæ suæ in diebus centum octoginta.

Quando autem impleti sunt dies nuptiarum, fecit rex conuiuium gentibus inuentis in ciuitate per dies sex in atrio domus regis

Ornato byssinis, & carpasinis extentis super funibus byssinis,& purpureis, super cubos aureos, & argenteos,super columnas parias, & lapideas: lecti aurei, & argentei super pauimentum smaragdini lapidis,& pinnini,& parij lapidis:& strata pellucida varie ornata floribus:in circuitu rosæ sparsæ:

Pocula aurea, & argentea, & gemmatus calix propositus è talentis triginta millibus: vinum multum,& suaue,quod ipse rex bibebat.

Potus autem hic non secundum propositam legem fiebat.Sic enim voluit rex,& præcepit œconomis facere voluntatem ipsius,& hominum.

Et Astin regina fecit conuiuium mulieribus in regiis,vbi rex Artaxerses:

In die autem septima exhilaratus rex dixit ad Aman, & Bazan, & Tharra, & Barazi, & Zatholtha, & Abataza,& Tharaba septem eunuchos ministros regis Artaxersis,

Vt introducerent reginam ad ipsum, ad faciendum eam regnare, & circumponendum ei diadema, & ostendendam eam principibus & gentibus pulchritudinem eius,quoniam pulchra erat.

Et non exaudiuit eum Astin regina, vt veniret cum eunuchis.Et tristatus est rex,& iratus est,

Et dixit amicis suis: Secundum hæc loquuta est Astin:Facite igitur de hoc legem & iudicium.

Et accessit ad eum Arcesæus, & Sarsathæus, & Malisear principes Persarum,& Medorum,qui prope regem,qui primi assidentes regi,

LIBRI
MEGHILLATH.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAPVT PRIMVM.

ACcidit in diebus Ahasueros (is est Ahasueros qui regnabat ab India vsque ad Aethiopiam super centum & viginti septem prouincias.)

In diebus inquam illis quum sederet rex ipse Ahasueros super solium regni sui quod erat in Susan regia:

Anno tertio ex quo regnare cœpit, fecit conuiuium cunctis principibus suis,atque seruis suis: robur autem Persidis & Mediæ, satrapæ videlicet, & principes prouinciarum erant coram illo,

Tantisper dum ille ostentaret diuitias gloriæ regni sui, & honorem decoris magnitudinis suæ diebus multis, nempe centum octoginta diebus.

Quumq; impleti fuissent dies illi, fecit rex vniuerso populo qui inueniebatur in Susan regia,à maximo vsque ad minimum,fecit inquam conuiuium septem diebus, in atrio horti palatij regis.

Aulæum candidum, & viride, & color hyacinthinus tenta erant funibus byssinis & purpureis in circulis argenteis, & columnis marmoreis: lecti aurei & argentei dispositi erant super pauimentum porphyreticum & marmoreum, & parium, & hyacinthinum.

Propinabant autem in vasis aureis,& vasa à vasis erant varia: vinum quoque regium multum pro facultate regia.

Potatio vero erat: secundum legem, non erat qui cogeret: quia sic præceperat rex omni magistro domus suæ, nempe vt facerent secundum voluntatem cuiusque.

Sed & Vasthi regina fecit conuiuium fœminarum in domo regia quæ erat regis Ahasueros.

Die septimo quum exhilaratum esset cor regis à vino, dixit Mehuman, Bizitha, Harbona, & Bigtha,& Abagtha,Zethar,& Charchas septem eunuchis,qui ministrabant in conspectu regis Ahasueros,

Vt adducerent Vasthi reginam in conspectum regis cum diademate regni, vt ostenderet populis & principibus pulchritudinem eius: quoniam decora aspectu erat.

Et renuit regina Vasthi venire ad mandatum regis quod per eunuchos mandauerat: vnde iratus est rex valde,iraq; eius succensa est in eo.

Dixitq; rex sapientibus scientibus tempora, (quia talis erat consuetudo regis coram omnibus scientibus legem & iudicium:

Propinquus autem illi Charsena, Sethar, Admatha, Tharsis, Meres, Marsena, Memuchan, septem principes Parus & Madai, videntes faciem regis, qui sedebant primi in regno.)

Vulgat. Editio.

Cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quæ Aſſueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet.

Reſponditque Mamuchan, audiente rege, atque principibus, Non ſolum regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouinciis regis Aſſueri.

Egredietur enim ſermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit.

Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarum, atque Medorum, paruipendent imperia maritorum: vnde regis iuſta eſt indignatio.

Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum, atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnum illius, altera, quæ melior eſt illa, accipiat.

Et hoc in omne (quod latiſſimum eſt) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum, quam minorum deferant maritis ſuis honorem.

Placuit conſilium eius regi, & principibus, fecitque rex iuxta conſilium Mamuchan,

Et miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæque gens audire, & legere poterat, diuerſis linguis, & litteris, eſſe viros principes, ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

CAP. II.

His ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet:

Dixeruntque pueri regis, ac miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines, ac ſpecioſæ,

Et mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas, & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum feminarum ſub manu Egei Eunuchi, qui eſt præpoſitus, & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vſus neceſſaria.

Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi. Placuit ſermo regi: & ita vt ſuggeſſerant, iuſſit fieri.

Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini,

*Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat,

Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuiſque patre eius, ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.

Cumque percrebuiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur Eunucho; Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

15 *Secundum legem quid agendum in reginam Vaſthi, eo quod non fecit ſermonem regis Achaſueros per manum eunuchorum.*

16 *Dixitq; Memuchan coram rege, & principibus, Non contra regem tantum peccauit Vaſthi regina, ſed contra omnes principes, & contra omnes populos, qui ſunt in omnibus prouinciis regis Achaſueros.*

17 *Egredietur enim verbum reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant maritos ſuos in oculis ſuis, dum dicent: Rex Achaſueros dixit, vt ducerent Vaſthi reginam ante ſe, & non venit.*

18 *Et die hac dicent dominæ Paras, & Madai, quæ audierint verbum reginæ ad omnes principes regis, & erit huius rei gratia abundans contemptus, & ira.*

19 *Si regi bonum eſt, egrediatur verbum regium à facie eius, & ſcribatur inter leges Paras, & Madai, & non tranſgrediatur, quod non ingrediatur Vaſthi coram rege Achaſueros, & regnum eius det rex alteri, quæ melior ſit illa.*

20 *Et audietur verbum regis, quod faciet in toto regno ſuo, quia magnum eſt, & omnes vxores exibebunt honorem maritis ſuis, tam maiori, quam minori.*

21 *Et placuit verbum in oculis regis, & principum, fecitq; rex iuxta verbum Memucham.*

22 *Miſitq; epiſtolas ad omnes prouincias regis ad ſingulas prouincias ſecundum ſcripturam ſuam, & ad ſingulos populos iuxta linguam eius, vt omnis vir dominetur in domo ſua, & loquatur ſecundum linguam populi ſui.*

CAP. II.

1 *Poſt hæc cum quieuiſſet ira regis Achaſueros, recordatus eſt ipſius Vaſthi, & eorum quæ fecerat, & eius quod diſpoſitum erat ſuper eam:*

2 *Dixeruntq; pueri regis, miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines decoræ aſpectu.*

3 *Et præficiat rex præfectos in omnibus prouincijs regni ſui, & congregent omnem puellam virginem pulchram aſpectu in Suſan regia in domum mulierum in manu Hegem eunuchi regis: cuſtodis mulierum, & det purificatoria earum.*

4 *Et puella, quæ placuerit in oculis regis regnet pro Vaſthi. Et placuit res in oculis regis: & fecit ſic.*

5 *Vir Iehudæus erat in Suſan regia, & nomen eius Mordochai filius Iair, filius Simhi, filij Chis, vir Iemini.*

6 *Qui tranſmigratus fuerat de Ieruſalaim cum tranſmigratione, quæ tranſmigrata eſt cum Iechoniah rege Iehudah, quam tranſmigrare fecerat Nebucadneſar rex Babel.*

7 *Et nutriuit Hadaſah (ipſa eſt Eſter) filiam patrui ſui: non enim erat ei pater, & mater, & puella erat pulchra ſpecie, & decora aſpectu. Et cum mortuus fuiſſet pater eius, & mater eius, accepit eam Mordochai ſibi in filiam.*

8 *Et fuit cum auditum eſſet verbum regis, & lex eius, & dum congregarentur puellæ multæ in Suſan regia ad manum Hegai, ſublata eſt Eſter in domum regis in manum Hegai cuſtodis mulierum,*

* 4. Reg. 24. 15. Inf. 11. 4.

Transl. ex Septuag.

Et annunciauerunt ei, ſecundum leges quomodo oportet facere Aſtin reginæ, quia non fecit ea, quæ à rege ſunt conſtituta per eunuchos.

Et dixit Muchæus ad regem, & principes: Non regem ſolum iniuria affecit Aſtin regina, ſed etiam omnes principes, & duces regis.

(Etenim narrauit eis verba reginæ, & quomodo contradixit regi:) Sicut igitur contradixit regi Artaxerſi,

Sic hodie reliquæ dominæ principum Perſarum, & Medorum audientes, quæ regi dicta ſunt ab ea, audebunt ſimiliter vilipendere viros ſuos.

Si igitur videtur regi; ſtatuat edictum regium, & ſcribatur ſecundum leges Medorum, & Perſarum, & non aliter vtatur, neque ingrediatur vltra regina ad eum, & regnum illius det rex mulieri meliori ea.

Et audiatur lex, quæ à rege; quamcumque fecerit in regno ſuo. Et ita omnes mulieres deferent honorem viris ſuis à mendico vſque ad diuitem.

Et placuit verbum regi, & principibus. Et fecit rex, ſicut loquutus eſt Muchæus,

Et miſit in omne regnum per regionem iuxta ſermonem eorum; vt eſſet timor eis in domibus ſuis.

CAP. II.

ET poſt verba hæc ceſſauit rex à furore: & non vltra recordatus eſt ipſius Aſtin, in memoria habens, qualia loquuta erat, & quomodo condemnauerat eam.

Et dixerunt miniſtri regis: Quærantur regi puellæ incorruptæ pulchræ ſpecie:

Et conſtituet rex præfectos in omnibus regionibus regni ſui: & deligant puellas virgines pulchras ſpecie in Suſam ciuitatem in Gynæcæum: & tradantur eunucho regis cuſtodi mulierum: & detur vnguentum abſtergens, & reliquus cultus.

Et mulier, quæ placuerit regi, regnabit pro Aſtin. Et placuit regi res, & fecit ſic.

Et homo erat in Suſis ciuitate, & nomen eius Mardochæus filius Iairi filij Semeiæ filij Ciſæi de tribu Beniamin,

Qui fuerat ductus captiuus è Hieruſalem, quam captiuauerat Nabuchodonoſor rex Babylonis.

Et erat huic puella nutrita filia Aminadab fratris patris ipſius, & nomen ei, Eſther. In tranſmigrando autem parentes eius, erudiuit eam ſibi in mulierem. Et erat puella pulchra ſpecie.

Et quando auditum eſt edictum regis; congregatæ ſunt multæ puellæ in Suſam ciuitatem ſub manum Gai. Et ducta eſt Eſther ad Gai cuſtodem mulierum:

Noua ex Heb. Tralat. Ft. Vatabli.

15 *Secundum legem quid faciendum de regina Vaſthi, eo quod non fecit ſermonem regis Ahaſueros per manum eunuchorum?*

16 *Et dixit Memuchan coram rege & principibus, Non contra regem tantũ peccauit Vaſthi regina, ſed & aduerſus omnes principes, aduerſuſq; omnes populos qui ſunt in omnibus prouinciis regis Ahaſueros.*

17 *Egredietur enim verbum reginæ ad omnes mulieres, vnde fiet vt contemnant maritos ſuos in oculis ſuis, dum dicent, Rex Ahaſueros iuſſerat introduci Vaſthi reginam ad ſe, & non venit.*

18 *Die quoque illo dicent dominæ Paras & Madai quæ audierint facinus reginæ omnibus principibus regis: & abundè magnus erit contemptus & ira.*

19 *Si igitur regi bonum eſt, egrediatur verbum regium à conſpectu eius, & ſcribatur inter leges Paras & Madai, neque tranſeat, quod non veniet Vaſthi coram rege Ahaſueros, quodq; regnum eius dabit rex ſodali ſuæ quæ melior ſit illa.*

20 *Et exaudiatur verbum regis quod faciet in toto regno ſuo, quamuis magnum ſit, & omnes vxores exhibeãt honorem maritis ſuis, tam magnis quam paruis.*

21 *Et placuit hoc verbum in oculis regis & principum; fecitq; rex iuxta verbum Memuchan.*

22 *Et miſit epiſtolas ad omnes prouincias regis, ad ſingulas prouincias ſecundum ſcripturam ſuam, & ad ſingulos populos iuxta linguam ipſorum, nempe vt omnis vir dominetur in domo ſua, & loquatur ſecundum linguam populi ſui.*

CAP. II.

1 *POſt hæc, cum quieuiſſet ira regis Ahaſueros, recordatus eſt ipſius Vaſthi, & eius quod fecerat, atque eius quod decretum fuerat in eam:*

2 *Dixeruntq; pueri regis, miniſtri eius: Quærant regi puellas virgines decoras aſpectu:*

3 *Et conſtituat rex præfectos omnibus prouinciis regni ſui, qui congregent omnem puellam virginem pulchrum aſpectu in Suſan regia, in domo mulierum, in manu Hege eunuchi regis, cuſtodis mulierum: detq; purificatoria earum,*

4 *Et puella illa quæ placuerit in oculis regis, regnet pro Vaſthi. Hac res placuit in oculis regis, & fecit ſic.*

5 *Vir Iehudæus erat in Suſan regia, & nomen eius Mordochai filius Iair filius Simi filij Cis, vir Iemini.*

6 *Qui demigrarat è Ieruſalaim cum tranſmigratione quæ demigrauit cum Iechoniah rege Iehudah, quam demigrare fecerat Nebuchadneſar rex Babel.*

7 *Nutriebat autem Hadaſah (ea eſt Eſther) filiam patrui ſui: non enim erat pater & mater, eratq; puella illa pulchra ſpecie, & decora aſpectu: quam, quum mortuus fuiſſet pater eius, & mater eius, accepit Mordochai ſibi in filiam.*

8 *Fuit autem quum auditum eſſet verbum regis, & lex eius, dumq; congregarentur puellæ multæ in Suſan regia in manu Hegai: tunc ſublata eſt Eſther in domum regis, ad manum Hegai cuſtodis mulierum.*

Vulgat. Editio.

Quæ placuit ei & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & tam ipſam, quam pediſſequas eius ornaret, atque excoleret:

Quæ noluit indicare ei populum, & patriam ſuam: Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret:

Qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.

Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vterentur.

Ingredienteſque ad regem, quidquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens accipiebant, & vt eis placuerat, compoſitæ de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant.

Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur mane, atque inde in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat: nec habebat poteſtatem ad regem vltra redeundi, niſi voluiſſet rex, & eam venire iuſſiſſet ex nomine.

Euoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies, quo Eſther filia Abihail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.

Ducta eſt itaq; ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius.

Et adamauit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi.

Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptiis Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.

Cumque ſecundo quærerentur virgines, & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis:

Necdum prodiderat Eſther patriam, & populum ſuum, iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathan, & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant: voluerunt que inſurgere in regem, & occidere eum.

Quod Mardochæum non latuit, ſtatimque nunciauit reginæ Eſther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat.

Quæſitum eſt, & inuentum: & appenſus eſt vterque eorum in patibulo. Mandatumque eſt hiſtoriis, & annalibus traditum coram rege.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Et placuit puella in oculis eius, & ſuſcepit miſericordiam in conſpectu eius, & accelerari fecit purificatoria eius, & partes eius, vt daret ei, & ſeptem puellas dignas, vt daret ei è domo regis, & mutauit eam, & puellas eius bonum domus mulierum.*

10 *Non indicauit Eſter populum ſuum, nec cognationem ſuam: quia Mordochai præceperat ei, vt non indicaret.*

11 *Et quotidie Mordochai deambulabat ante atrium domus mulierum, vt cognoſceret pacem Eſter, & quid fieret de ea.*

12 *Et cum appeteret tempus ſingularum puellarum, vt intrarent ad regem Achaſueros in fine cum eſſent ei ſecundum leg m mulierum duodecim menſes, quia ſic implebantur dies purificationum earum ſex menſibus cum oleo myrrheo, & ſex menſibus cum aromatibus, & purificationibus mulierum.*

13 *Et in hoc puella veniebat ad regem, omne quod dicebat, dabatur ei vemendo cum ea è domo mulierum vſque ad domum regis.*

14 *Veſpere intrabat, & mane reuertebatur ad domum mulierum ſecundam, ad manum Sahaſgaz eunuchi regis cuſtodis concubinarum: non ingrediebatur amplius ad regem niſi voluiſſet eam rex, & vocaretur per nomen.*

15 *Et cum aduenisſet tempus Eſter filiæ Abichail, patrui Mordochai, quam acceperat ſibi in filiam, vt ingrederetur ad regem. Non requiſiuit aliquid, niſi quod dixerat Hegai eunuchus regis, cuſtos mulierum. Et Eſter ſuſcepit gratiam in oculis omnium videntium eam.*

16 *Et ſublata eſt Eſter ad regem Achaſueros, ad domum regni eius, menſe decimo (ipſe eſt menſis Tebeth) anno ſeptimo regni eius.*

17 *Et dilexit rex Eſter præ omnibus mulieribus, & ſuſcepit gratiam, & miſericordiam coram eo præ omnibus virginibus, & poſuit diadema regni in capite eius, & regnare fecit eam pro Vaſthi.*

18 *Fecitq; rex conuiuium magnum omnibus principibus ſuis, & ſeruis ſuis, conuiuium Eſter. Et requiem prouincijs fecit, & dedit dona ſecundum potentiam regiam,*

19 *Et dum congregarentur virgines ſecundo, Mordochai ſedebat in porta regis:*

20 *Non Eſter indicauerat progeniem ſuam, & populum ſuum ſecundum quod præceperat ei Mordochai, & ſermonem Mordochai Eſter faciebat, ſicut erat dum nutriretur ſecum.*

21 *In diebus illis Mordochai ſedente in porta regis, irati ſunt Bigthan, & Teres duo eunuchi regis ex cuſtodibus liminis: & quæſierunt mittere manum in regem Achaſueros.*

22 *Et innotuit res ipſi Mordochai, & nunciauit Eſter reginæ: & dixit Eſter regi nomine Mordochai,*

23 *Et quæſita eſt res, & inuenta, & ſuſpenſi ſunt ambo ſuper lignum, & ſcriptum eſt in libro verborum dierum coram rege.*

	Transl. ex Septuag.	Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
9	Et placuit ei puella, & inuenit gratiam in conspectu eius. Et festinauit dare ei vnguentum, & partem, & septem puellas assignatas ei è domo regia. Et vsus est illa bene, & ancillis eius in Gynæcæo,	*Et placuit puella in oculis eius, susceptáq; misericordiam coram illo: propterea accelerauit dare illi purificatoria eius, & portiones eius, & septem puellas dignas, è domo regis: & mutauit eam, ac puellas eius in bonum domus mulierum.*
10	Et non indicauit Esther genus suum, neque patriam. Mardochæus enim mandauerat ei non annunciare.	*Non indicauit Esther populum suum, nec cognationem suam: quia Mordochai præceperat ei ne indicaret.*
11	Per singulos autem dies deambulabat Mardochæus per atrium Gynæcæi, speculans, quid Esther accideret.	*Quotidie autẽ Mordochai deambulabat ante atrium domus mulierum, vt resciret pacem Esther, & quid fieret de ea.*
12	Hoc autem erat tempus puellæ intrandi ad regem, cum impleuerit menses duodecim. Sic enim implentur dies cultus, menses sex vnctis in oleo myrrhino, & menses sex in aromatibus, & in vnguentis mulierum:	*Quumq; aduenisset tempus singularum puellarum vt intrarent ad regem Ahasueros, expletis scilicet iuxta legem mulierum duodecim mensibus: (sic enim implebantur dies purificationum earum, sex mensibus cum oleo myrtino, & sex mensibus cum aromatibus, & purificatoriis mulierum.*
13	Et tunc ingreditur ad regem: & cuicumque dixerit tradet eam, vt simul ingrediatur ad se de Gynæcæo vsque ad regias;	*Et sic puella veniebat ad regem) quicquid illa dicebat, dabatur ei vt veniret cum hoc, è domo mulierum vsque ad domum regis.*
14	Vespere ingreditur, & versus diem recurrit in Gynæcæum secundum, vbi Gai eunuchus regis, custos mulierum: & non vltra ingreditur ad regem, nisi vocata fuerit nomine.	*Vespere ipsa intrabat, & mane reuertebatur ad domum mulierum secundam, ad manum Saasgaz eunuchi regis custodis concubinarum: non veniebat vltra ad regem nisi voluisset eam rex, & ipsa vocaretur nomine.*
15	Dum autem impleretur tempus Esther filiæ Aminadab fratris patris Mardochæi intrandi ad regem; nihil præuaricata est eorum, quæ mandauit eunuchus custos mulierum. Erat enim Esther inueniens gratiam apud omnes aspicientes eam.	*Quum itaque aduenisset tempus Esther filiæ Abihail, patrui Mordochai (quam acceperat sibi in filiam) vt intraret ad regem, non quæsiuit quicquam nisi quod dixisset Hegai eunuchus regis, custos mulierum: & ipsa retulit gratiam in oculis omnium videntium eam.*
16	Et intrauit Esther ad Artaxersem regem duodecimo mense, qui est Adar, septimo anno regni eius.	*Sublataq; est Esther ad regem Ahasueros, in domum regni eius, mense decimo (ipse est mensis Tebeth) anno septimo regni eius.*
17	Et amauit rex Esther: & inuenit gratiam pra omnibus virginibus: & imposuit ei diadema muliebre.	*Et dilexit rex Esther præ omnibus mulieribus, retulitq; gratiam & misericordiam coram eo præ omnibus virginibus, & posuit diadema regni in capite eius, eamq; constituit reginam pro Vasthi.*
18	Et fecit rex conuiuium omnibus amicis suis, & virtutibus per dies septem: & exaltauit nuptias Esther & remissionem fecit iis, qui sub regno ipsius.	*Fecit præterea rex conuiuium magnum omnibus principibus suis, & seruis suis, conuiuium Esther: atque requiem prouincijs fecit, deditq; dona secundum potentiam regiam.*
19	Mardochæus autem seruiebat in aula.	*Et dum congregarentur virgines secundo, Mordochai sedebat in porta regis.*
20	Esther autem non indicauit patriam suam. Sic enim mandauerat ei Mardochæus, timere Deum, & facere præcepta eius, sicut erat cum eo. Et Esther non mutauit educationem suam.	*Neque Esther indicabat progeniem suam & populum suum, quemadmodum præceperat ei Mordochai: sermonem enim Mordochai Esther faciebat perinde vt quum erat in educatione apud illum.*
21	Et tristati sunt duo eunuchi regis principes custodum corporis; quoniam prouectus fuerat Mardochæus: & quærebant occidere Artaxersem regem.	*In diebus illis (Mordochai autem sedebat in porta regis) irati sunt Bigthan & Theres duo eunuchi regis ex custodibus liminis, & quæsierunt mittere manum in regem Ahasueros.*
22	Et manifestum fuit Mardochæo verbum, & significauit Esther, & ipsa patefecit regi insidias.	*Innotuit autem res ipsi Mordochai, qui renunciauit Esther reginæ: Esther autem dixit regi nomine Mordochai,*
23	Rex autem examinauit duos illos eunuchos, & suspendit eos. Et præcepit rex seponere in commentario in regia bibliotheca pro beneuolentia Mardochæi in eorum.	*Et quæsita est res, atque inuenta: & suspensi sunt ambo in ligno: scriptumq; est in libro verborum dierum coram rege.*

Vulgat. Editio.

CAP. III.

POst hæc rex Assuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat. 1

Cunctique serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator. solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præsidebant: Cur prætor cæteros non obseruas mandatum regis? 3

Cumque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, scire cupientes vtrum perseueraret in sententia: dixerat enim eis se esse Iudæum. 4

Quod cum audisset Aman, & experimento probasset, quod Mardochæus nō flecteret sibi genu: nec se adoraret, iratus est valde, 5

Et pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Iudææ. Magisque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. 6

Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnam, quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die, & quo mense gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit mensis duodecimus, qui vocatur Adar. 7

Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuo separatus, nouis vtens legibus, & ceremoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam. 8

Si tibi placet, decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 9

Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum, 10

Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age, quod tibi placet. 11

Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan tertiadecima die eiusdem mensis: & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarumque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo, 12

Missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent, atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, paruulos, & mulieres vno die, hoc est tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. 13

Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem. 14

Festinabant cursores, qui missi erant regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege, & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant flentibus. 15

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. III.

POst hæc magnificauit rex Achasueros Haman filium Hamedatha, Agagæum: & eleuauit eum, & posuit thronum eius super omnes principes, qui erant secum. 1

Et omnes serui regis, qui erant in porta regis incuruabant se, & genuflectebant ipsi Haman: sic enim præceperat eis rex. Mordochai autem nec genuflectebat, nec adorabat. 2

Dixeruntq; serui regis, qui erant in porta regis ad Mordochai. Quare transgrederis præceptum regis? 3

Et fuit, cum dicerent ad eum per singulos dies, & non audiret eis nunciauerunt ipsi Haman, vt viderent, an starent verba Mordochai: indicauerat enim eis quod esset Iehudæus. 4

Et vidit Haman, quod non Mordochai inclinaret se: nec genuflecteret sibi, & repletus est Haman furore. 5

Et contempsit oculis suis mittere manum in Mordochai tantummodo: indicauerant enim sibi populum ipsius Mordochai, & quæsiuit Haman disperdere omnes Iehudæos, qui erant in regno Achasueros, populum Mordochai. 6

In mense primo, (ipse est mensis Nisan) in anno duodecimo regis Achasueros proiecere fecit sortem (ipsa est Ghoral, id est sors) coram Haman, qua die, & quo mense deberet id agere: & cecidit duodecimo, (ipse est mensis Adar.) 7

Dixitq; Haman ad regem Achasueros: Est populus quidam dispersus, & diuisus inter populos in omnibus prouincijs regni tui, & leges eorum sunt diuersæ ab omni populo, & leges regis non faciunt: & regi non est vtile, vt dimittat eos. 8

Si regi placet scribatur, vt perdantur & decem millia talenta argenti appendam manibus facientium opus, vt adducant in thesauros regis. 9

Et remouit rex annulum suum è manu sua, & dedit illum Haman filio Hammedatha Aghaghai hosti Iehudæorum. 10

Dixitq; rex ad Haman: Argentum datum tibi sit, & populus, vt facias de eo secundum quod placet in oculis tuis. 11

Et vocati sunt scribæ regis mense primo tertiadecima die eiusdem, & scriptum est iuxta omnia, quæ præcepit Haman ad principes regis, & ad duces, qui sunt super singulas prouincias, & ad principes singulorum populorum, & singularum prouinciarum secundum scripturam vnicuique propriam, & ad singulum populum iuxta linguam suam nomine regis Achasueros scriptum, & signatum annulo regio. 12

Et vt mitterentur epistolæ per manum cursorum ad omnes prouincias regis vt dissiparent, vt occiderent, & vt perderent omnes Iehudæos à puero vsq; ad senem paruulum, & mulieres die vna tertiadecima mensis duodecimi, (ipse est mensis Adar) & spolia eorum, vt prædarentur. 13

Exemplar scripturæ erat, vt poneretur lex in qualibet prouincia manifesta omnibus populis, vt essent parati ad diem hanc. 14

Cursores egressi sunt impulsi verbo regis, & lex posita est in Susan regia. Rex autem, & Haman sederunt ad bibendum, ciuitas autem Susan perplexa erat. 15

Transl. ex Septuag.

CAP. III.

POst hæc autem glorificauit rex Artaxerſes Aman Amadathi Bugæum, & exaltauit eum: & prior ſedebat omnibus inimicis ſuis:

Et omnes, qui in aula, adorabant eum. Ita enim præcepit rex facere. Mardochæus autem non adorabat eum.

Et loquuti ſunt, qui in aula regis, Mardochæo: Mardochæe, quid non obſeruas ea, quæ à rege dicuntur?

Per ſingulos dies loquebantur ei: & non obediebat eis. Et indicarunt Aman, Mardochæum verbis regis repugnantem: & indicarat eis Mardochæus, quia Iudæus eſt.

Et cognoſcens Aman, quia non adorat eum Mardochæus; indignatus eſt valde,

Et decreuit delere omnes, qui ſub Artaxerſis regno, Iudæos.

Et fecit decretum in anno duodecimo regni Artaxerſis, & miſit ſortes, diem ex die, & menſem ex menſe, vt perderet in vna die genus Mardochæi. Et cecidit ſors in quartam & decimam menſis, qui eſt Adar.

Et locutus eſt ad regem Artaxerſem, dicens: Eſt gens diſſeminata in gentibus in omni regno tuo: leges autem eorum diuerſæ præter omnes gentes: legibus autem regis ſunt inobedientes: & non confert regi permittere eos.

Si videtur regi; decernat perdere eos: & ego deſcribam in gazophylacio regis argenti talenta decem millia.

Et tollens rex annulum, dedit in manus Aman ad obſignandum ſuper iis, quæ ſcripta contra Iudæos.

Et dixit rex ad Aman; Argentum quidem habe: gente autem vtere, ſicut vis.

Et vocati ſunt ſcribæ regis menſe primo tertiadecima die: & ſcripſerunt, ſicut præcepit Aman, ducibus, & principibus per omnem regionem ab Indica vſque ad Æthiopiam, centum viginti ſeptem prouinciis, & principibus gentium ſecundum eorum linguam, per Artaxerſem regem.

Et miſſum eſt per tabellarios in Artaxerſis regnum, delere genus Iudæorum in die vna menſis duodecimi, qui eſt Adar, & diripere ſubſtantias eorum. Epiſtolæ autem exemplar eſt hoc.

*Exemplaria autem epiſtolarum edita ſunt per regionem, & imperatum fuit omnibus gentibus, paratos eſſe in diem iſtam.

Vrgebatur autem negocium & in Suſa. Rex autem, & Aman epulabantur: turbabatur autem ciuitas. *

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. III.

POſt hæc magnificauit rex Ahaſueros Haman filium Hammedatha Agagæum, & extulit illum, poſuitque thronum eius ſuper omnes principes qui erant ſecum.

Omnes autem ſerui regis qui erant in porta regis, incuruabant ſe, & genuflectebant ipſi Haman: ſic enim præceperat eis rex: Mordochai vero nec incuruabat ſeſe, nec genuflectebat.

Dixerunt ergo ſerui regis qui erant in porta regis, ad Mordochai, Quare tranſgrederis præceptum regis?

Fuit autem quum ſic loquerentur ad eum per ſingulos dies, nec audiret eos, nuntiauerunt ipſi Haman, vt viderent an ſtarent verba Mordochai: indicauerat enim eis quod eſſet Iehudæus.

Videns autem Haman quod Mordochai non inclinaret ſe, nec genuflecteret ante ipſum, repletus eſt furore.

Contempſit vero in oculis ſuis mittere manum in Mordochai, ſolum. Indicauerant enim et populum ipſius Mordochai: propterea quæſiuit Haman diſperdere omnes Iehudæos qui erant in regno Ahaſueros, populum Mordochai.

Menſe itaque primo (is eſt menſis Niſan) anno duodecimo regis Ahaſueros, iecit pur, hoc eſt ſortem, coram Haman de die in diem, & de menſe in menſem duodecimum: is eſt menſis Adar.

Dixitq; Haman regi Ahaſueros, Eſt populus quidam diſperſus ac diuiſus inter populos in omnibus prouincijs regni tui: quorum leges ſunt diuerſæ ab omni populo, nec leges regis faciunt, idcirco regi non eſt vtile dimittere eos.

Si regi placet, ſcribatur vt ipſi perdantur: & decem millia talentorum argenti appendam manibus facientium opus, vt perferant in theſauros regis.

Detraxit autem rex annulum ſuum è manu ſua, & dedit illum Haman filio Hammedatha Agagæo, hoſti Iehudæorum.

Dixit inſuper ipſi Haman, Argentum datum tibi ſit, atque populus, vt facias de eo vt bonum eſt in oculis tuis.

Vocati ſunt itaque ſcribæ regis menſe primo, decimatertia die eiuſdem, ſcriptumque eſt prorſus vt præcepit Haman ad principes regis, & ad duces qui præerant ſingulis prouincijs, ad principes quoque ſingulorum populorum, & ſingularum prouinciarum ſecundum ſcripturam cuiuſque, & ad quemque populum iuxta linguam ſuam, nomine regis Ahaſueros ſcriptum, & obſignatum annulo regio.

Et miſſæ ſunt literæ per manum curſorum ad omnes prouincias regis, vt diſſiparent, vt occiderent & perderent omnes Iehudæos à puero vſque ad ſenem, paruulos & mulieres die vna, decima tertia menſis duodecimi, (ipſe eſt menſis Adar) & prædam eorum vt prædarentur.

Exemplar ſcripturæ erat vt daretur lex in qualibet prouincia, manifeſtum omnibus populis, vt eſſent parati die illo.

Curſores itaque egreſſi ſunt impulſi verbo regis, & lex data eſt in Suſan regia: Rex autem & Haman interim ſedebant ad bibendum, ciuitas vero Suſan perplexa erat.

Vulgat. Editio.

CAP. IIII.

QVæ cum audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui,

Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare.

In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco, & cinere multis pro ſtrato vtentibus.

Ingreſſæ autem ſunt puellæ Eſther, & eunuchi, nunciaueruntque ei. Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit, vt ablato ſacco induerent eum: quam accipere noluit.

Accitoq; Athach eunucho, quem rex miniſtrum ei dederat, præcepit ei, vt iret ad Mardochæum, & diſceret ab eo cur hoc faceret.

Egreſſuſque Athach, iuit ad Mardochæum ſtantem in platea ciuitatis, ante oſtium palatij:

Qui indicauit ei omnia, quæ acciderant, quo modo Aman promiſiſſet, vt in theſauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum,

Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Suſan, dedit ei, vt reginæ oſtenderet, & moneret eam, vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo.

Regreſſus Athach, nunciauit Eſther omnia, quæ Mardochæus dixerat.

Quæ reſpondit ei, & iuſſit, vt diceret Mardochæo:

Omnes ſerui regis, & cunctæ, quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quod ſiue vir, ſiue mulier non vocatus, interius atrium regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?

Quod cum audiſſet Mardochæus,

Rurſum mandauit Eſther, dicens: Ne putes, quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis:

Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?

Rurſumque Eſther hæc Mardochæo verba mandauit:

Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti, & periculo.

Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Eſther præceperat.

Tranſl.ex Heb. Sanct.Pagn.

CAP. IIII.

1 MOrdochai autem cognouit omne, quod geſtum fuerat: & ſcidit Mordochai veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & cinere, & egreſſus eſt in medium ciuitatis, clamauitq; clamore magno, & amaro.

2 Et venit vſque locum, qui erat coram porta regis. Non enim fas erat, vt intraret portam regiam quum indutus eſſet ſacco.

3 Et in qualibet prouincia, & loco, quem verbum regis, & lex eius attigit, luctus magnus fuit Iehudæis, & ieiunium, & fletus, & planctus, ſaccus, & cinis ſternebatur multis.

4 Et venerunt puellæ Eſter, & eunuchi eius, & nunciauerunt ei, & doluit regina valde. Et miſit veſtes, vt induere faceret ipſam Mordochai, & remouere faceret ſaccum eius ab eo, & non recepit.

5 Et vocauit Eſter Hathach ex eunuchis regis quem ſtare fecit coram ſe, & præcepit ei ſuper Mordochai, vt ſciret quid hoc eſſet, & propter quid hoc.

6 Et egreſſus eſt Hathach ad Mordochai ad plateam ciuitatis, quæ erat ante portam regis.

7 Et indicauit ei Mordochai omne, quod acciderat ſibi, & expoſitionem argenti, quam dixit Haman appendere theſauris regis propter Iehudæos ad perdendum eos.

8 Et exemplar ſcripturæ legis, quæ poſita erat in Suſan, vt diſperdere faceret eos dedit ei, vt oſtenderet ipſi Eſter, & indicaret ei, & mandaret ei, vt ingrederetur ad regem, ad precandum eum, & ad quærendum à facie eius pro populo ſuo.

9 Et venit Hathach, & nunciauit ipſi Eſter verba Mordochai.

10 Dixitq; Eſter ad Hathach, & præcepit ei, vt diceret ad Mordochai.

11 Omnes ſerui regis, & populus prouinciarum regis ſciunt, quod omnis vir, & mulier qui ingreſſus fuerit ad regem in atrium interius, qui non fuerit vocatus, vna lex eius eſt, vt mori faciat, niſi extenderit ad eum rex virgam auream, & viuat, & ego non ſum vocata, vt ingrediar ad regem iam triginta diebus.

12 Et nunciauerunt ipſi Mordochai verba Eſter.

13 Dixitq; Mordochai, vt reſponderent ipſi Eſter: Ne putes in animo tuo, vt eruas te in domo regis præ cunctis Iehudæis:

14 Si enim ſilendo ſilueris in tempore iſto reſpiratio, & euaſio ſtabit Iehudæis ex loco alio, & tu & domus patris tui peribitis. Et quis ſcit ſi in tempore ſimili attingere facta ſis ad regnum?

15 Dixitq; Eſter, vt reſponderet ipſi Mordochai:

16 Vade, & congrega omnes Iehudæos, qui reperiuntur in Suſan, & ieiunate pro me. Et ne comedatis, neque bibatis tribus diebus nocte: & die, & ego & puellæ meæ ieiunabo ſic, & tunc ingrediar ad regem, quod non eſt ſecundum legem, & quomodocumque peream, peream.

17 Et progreſſus eſt Mordochai, & fecit iuxta omnia, quæ præcepit ei Eſter.

Transl. ex Septuag.

CAP. IIII.

MArdochæus autem cognoscens id, quod consummatum fuerat; discidit vestimenta sua, & indutus est sacco, & consperſit se cinere: & exiliens per plateam ciuitatis, clamabat voce magna:

Tollitur gens, quæ nihil iniuste egit. Et venit vsque ad portam regis, & stetit. Non enim erat ei licitum ingredi in aulam, saccum habenti, & cinerem.

Et in omni regione, vbi editæ fuerant litteræ, clamor, & planctus, & luctus magnus Iudæis: saccum, & cinerem statuerant sibi.

Et intrauerunt ancillæ, & eunuchi reginæ, & annunciarunt ei. Et turbata est audiens factum. Et misit ad induendum stola Mardochæum, & auferendum eius saccum. Ille autem persuasus non est.

Esther autem aduocauit Achrathæum eunuchum suum, qui assistebat ei, & misit, vt disceret ipsa à Mardochæo rem ipsam exquisite.

Mardochæus autem indicauit ei factum, & promissionem, quam promiserat Aman regi in gazam talentorum decem millium, vt perdat Iudæos.

Et exemplar in Susis editum de ipsis perdendis dedit ei ad ostendendum ipsi Esther, & dixit ei, vt mandaret illi ingredienti deprecari regem, & orare eum pro populo, memor dierum humiliationis tuæ, quomodo nutrita es in manu mea: quoniam Aman secundus à rege locutus est contra nos ad mortem. Inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, libera nos à morte.

Ingressus autem Achrathæus locutus est ei omnia verba hæc.

Dixit autem Esther ad Achrathæum: Vade ad Mardochæum, & dic,

Quia gentes omnes regni sciunt, quia omnis homo, vel mulier, qui ingredietur ad regem in aulam interiorem non vocatus, non est ei salus: tantum, cui extenderit rex auream virgam, hic saluabitur. Et ego non sum vocata ingredi ad regem, sunt ipsi dies triginta.

Et annunciauit Achrathæus Mardochæo omnia verba Esther.

Et dixit Mardochæus ad Achrathæum: Vade, & dic ei: Esther, ne dixeris tibi, quia saluaberis sola in regno præter omnes Iudæos:

Quoniam, nisi audieris in tempore hoc; aliunde auxilium, & protectio erit Iudæis: tu autem, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, si ad tempus hoc facta es regina;

Et misit Esther eum, qui veniebat ad se, ad Mardochæum, dicens:

Vadens conuoca Iudæos, qui in Susis, & ieiunate super me, & non comedatis, neque bibatis per dies tres, nocte & die: ego vero, & ancillæ meæ abstinebimus à cibo: & tunc ingrediar ad regem præter legem, etiam si perire me oporteat.

Et pergens Mardochæus fecit, quæcumque mandarat ei Esther.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. IIII.

1 *MOrdochai autem vt cognouit quicquid gestum fuerat, scidit vestimenta sua, induitq; sese sacco & cinere: atque abiit in medium vrbis, clamauitq; clamore magno atque amaro.*

2 *Et venit vsque ad locum qui erat coram porta regis: non enim fas erat intrare portam regiam in veste sacci.*

3 *Et in qualibet prouincia, & loco ad quem verbum regis & lex eius peruenerat, luctus magnus erat Iehudæis, & ieiunium, & fletus, & planctus, saccus & cinis sternebatur multis.*

4 *Venientes autem puellæ Esther, & eunuchi eius, renuntiauerunt ei, & doluit regina valde: quæ misit vestes quibus induerent ipsum Mordochai, & detraherent saccum eius ab eo: & non recepit.*

5 *Vocauit ergo Esther Hathach vnum ex eunuchis regis quem constituerat ante illam, & præcepit ei super Mordochai, vt sciret quid hoc esset, & quare hoc.*

6 *Egressus itaque Hathach ad Mordochai in plateam vrbis, quæ erat ergiene portæ regis:*

7 *Indicauit ei Mordochai quicquid acciderat sibi, & expositionem argenti quod dixerat Haman se appensurum thesauris regis propter Iehudæos ad perdendum illos.*

8 *Exemplar quoque scripturæ legis, quæ posita erat in Susan, vt disperderentur illi, dedit ei vt ostenderet ipsi Esther, & indicaret ei: imperaretq; illi vt adiret regem ad precandum illum, & vt peteret à facie eius pro populo suo.*

9 *Venit itaque Hathach, & renuntiauit ipsi Esther verba Mordochai.*

10 *Dixitq; Esther ipsi Hathach, & præcepit ei vt diceret ad Mordochai,*

11 *Omnes serui regis, & populus prouinciarum regis sciunt quod omnis vir & mulier qui ingressus fuerit ad regem in atrium interius, qui non fuerit vocatus, vnica lex eius est ad interficiendum: præter eum ad quem extenderit rex virgam auream, & viuet: ego vero non fui vocata vt ingrediar ad regem, iam triginta diebus.*

12 *Et renunciauerunt ipsi Mordochai verba Esther.*

13 *Dixit autem Mordochai, vt responderent ipsi Esther: Ne putes in animo tuo, quod seruari possis in domo regis præ omnibus Iudæis:*

14 *Si enim silendo silueris tempore hoc, respiratio & euasio stabit Iehudæis ex loco alio: tu vero & domus patris tui peribitis. & quis scit si propter tempus istud peruenieris ad regnum?*

15 *Dixit autem Esther vt responderet ipsi Mordochai.*

16 *Vade, & congrega omnes Iehudæos qui reperiuntur in Susan, & ieiunate propter me: & ne comedatis, neque bibatis tribus diebus nocte & interdiu, ego quoq; & puellæ meæ ieiunabo sic: & ita ingrediar ad regem, quod non est secundum legem: & quando peribo, peribo.*

17 *Progressus est igitur Mordochai, & fecit iuxta omnia quæ præceperat ei Esther.*

Vulgat. Editio.

CAP. V.

Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatij contra ostium domus.

(·.·) (·.·) (·.·) (·.·)

Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ eius.

(·.·) (·.·) (·.·) (·.·)

Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

At illa respondit: Si regi placet obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui.

Statimque rex, vocate, inquit cito Aman, vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium, quod eis regina parauerat.

Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter, Quid petis, vt detur tibi? & pro qua re postulas? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris impetrabis.

Cui respondit Esther; Petitio mea, & preces sunt istæ.

Si inueni in conspectu regis gratiam, & si regi placet, vt det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.

Egressus est itaque illo die Aman lætus, & alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatij, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde:

Et dissimulata ira reuersus in domum suam: conuocauit ad se amicos suos, & Zares vxorem suam:

Et exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria super omnes principes, & seruos suos rex eleuasset.

Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. V.

1 *ET fuit, die tertio induit se Ester regio vestimento, & stetit in atrio domus regis interiori contra domum regis: rex autem sedebat super solium regni sui in domo regni contra ostium domus.*

(·.·) (·.·) (·.·)

2 *Et fuit, cum vidisset rex Ester reginam stantem in atrio, recepit gratiam in oculis eius, & extendit rex ad Ester virgam auream, quæ erat in manu eius, & accessit Ester, & tetigit summitatem virgæ.*

(·.·) (·.·) (·.·)

3 *Dixitq; ei rex: Quid tibi est Ester regina? & quæ est petitio tua? vsque ad dimidium regni, dabitur tibi.*

4 *Dixitq; Ester: Si regi placeat ingrediatur rex, & Haman hodie ad conuiuium, quod feci ei.*

5 *Dixitq; rex: Festinate ipsum Haman, vt faciat verbum Ester. Et venit rex, & Haman ad conuiuium, quod fecerat Ester.*

6 *Dixitq; rex ad Ester in conuiuio vini: Quæ est petitio tua, & dabitur tibi? & quæ inquisitio tua? vsque ad dimidium regni pete, & fiet.*

7 *Et respondit Ester, & dixit: Petitio mea & inquisitio mea est.*

8 *Si inueni gratiam in oculis regis, & si regi placeat, vt det petitionem meam, & faciat postulationem meam, veniat rex, & Aman ad conuiuium, quod faciam eis, & cras faciam iuxta verbum regis.*

9 *Et egressus est Haman die ipsa lætus, & iucundus corde. Et cum vidisset Haman ipsum Mordochai ad portam regis, & non surrexisset, nec se mouisset ab eo, repletus est Haman contra Mordochai ira.*

10 *Et continuit se Haman, & venit ad domum suam, & misit, & venire fecit amicos suos, & Zeres vxorem suam.*

11 *Et narrauit eis Haman gloriam diuitiarum suarum, & multitudinem filiorum suorum, & omnia quibus magnificauerat eum rex, & quod eleuasset eum super principes, & seruos regis.*

12 *Dixitq; Haman: Insuper non fecit venire Ester regina cum rege ad conuiuium, quod fecit, nisi me: & etiam cras vocatus sum ab ea cum rege.*

Transl. ex Septuag.

CAP. V.

Hæc huic respondẽt loco & his quæ habentur c. 15 in vulgata.

ET factum est in die tertia, vt cessauit orans: exuit vestimenta seruitutis, & circundata est gloria sua: & facta splendens, inuocans omnium inspectorem Deum, & saluatorem, assumpsit duas famulas, & vni quidem innitebatur, tanquam deliciis diffluens, altera autem subsequebatur alleuans vestem eius. Et ipsa rubens vigore pulchritudinis suæ: & facies eius hilaris, tanquam iucunda: cor autem eius arctatum præ timore. Et ingressa omnes ianuas stetit in conspectu regis. Et ipse sedebat super thronum regni sui & omnem stolam splendoris sui induerat, totus in auro & lapidibus preciosis, & erat terribilis valde. Et eleuans faciem suam inflammatam gloria, in vigore furoris aspexit. Et cecidit regina, & mutauit colorem suum in dissolutione, & procubuit super caput ancillæ præeuntis.

Et immutauit Deus spiritum regis ad mansuetudinem: & factus in agonia prosiliit è throno suo, & assumpsit eam super vlnas suas, donec restituta est. Et consolabatur eam verbis pacificis, & dixit ei: Quid est Esther? Ego frater tuus: Confide, non morieris, quoniam commune præceptum nostrum est: accede. Et eleuans auream virgam imposuit super ceruicem eius, & amplexatus est eam: & dixit, loquere mihi. Et dixit ad eum: Vidi te Domine tanquam Angelum Dei, & turbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: quoniam mirabilis es Domine, & facies tua gratiarum plena. Dum autem ipsa loqueretur; cecidit præ dissolutione. Et rex turbatus est: & omne famulitium eius consolabatur eam

* Et dixit rex: Quid vis Esther? Et quod tuum est postulatum? Vsque ad dimidium regni mei, & erit tibi.

Dixit autem Esther: Dies mea insignis hodie est. Si igitur videtur regi; veniat & ipse, & Aman ad conuiuium, quod faciam hodie.

Et dixit rex: Vocate cito Aman, vt faciamus verbum Esther. Et aduenerunt vtrique ad conuiuium, quod dixit Esther.

In potatione autem dixit rex Esther: Quid est regina Esther? & erunt, quæcumque postulaueris.

Et dixit: Petitio mea, & postulatum:

Si inueni gratiam in conspectu regis; veniat rex, & Aman adhuc cras ad conuiuium, quod faciam eis, & cras faciam ea.

Et exiit Aman à rege alacer lætus. In videndo autem Aman Mardochæum Iudæum in aula indignatus est valde.

Et ingressus in propria, vocauit amicos, & Zosaram vxorem suam,

Et demonstrauit eis diuitias suas, & gloriam, quam rex ei circumposuerat, & quomodo fecerat eum tenere primum locum, & præesse regno.

Et dixit Aman: Non vocauit regina cum rege quemquam ad conuiuium, nisi me: etiam in crastinam vocatus sum.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. V.

1 *EVenit autem die tertio vt indueretur Esther regio vestimento, & staret in atrio domus regis in interiori eregione domus regis: Rex autem sedebat super solium regni sui in domo regni eregione ostij domus.*

(·.·) (·.·)

(·.·)

2 *Fuit autem, quum vidisset rex Esther reginam stantem in atrio, tulit gratiam in oculis eius: extenditq; rex ad Esther virgam auream quam manu tenebat: tunc accessit Esther, ac tetigit summitatem ipsius virgæ.*

(·.·)

(·.·)

(·.·)

3 *Dixitq; illi rex, Quid tibi est Esther regina? & quænam est petitio tua? vsque ad dimidium regni dabitur tibi.*

4 *Respondit Esther, Si regi placeat, veniat rex, & Haman hodie ad conuiuium quod feci illi.*

5 *Et dixit rex, Cito accersite ipsum Haman vt faciat verbum Esther, Venit itaque rex & Haman ad conuiuium quod apparauerat Esther.*

6 *Dixit autem rex ad Esther in conuiuio vini, Quæ est postulatio tua, & dabitur tibi? quæ inquam est petitio tua? vsque ad dimidium regni pete, & fiet.*

7 *Et respondit Esther, ac dixit, Postulatio mea, & petitio mea est,*

8 *Si inueni gratiam in oculis regis, & si regi placeat dare petitionem meam, & faciat postulationem meam, veniet rex & Aman ad conuiuium quod faciam eis: & cras faciam iuxta verbum regis.*

9 *Tunc egressus Haman die ipsa lætus & exhilaratus corde, quum vidisset ipsum Mordochai ad portam regis, & non assurrexisset, nec se mouisset loco, repletus est ira contra Mordochai.*

10 *Continuit autem se Haman, & venit in domum suam, misitq;, & accersiuit amicos suos ac Zeres vxorem suam.*

11 *Narrauitq; eis Haman gloriam diuitiarum suarum, multitudinem quoque filiorum suorum, & omnia quibus magnificauerat ipsum rex, & quibus extulisset eum super principes & seruos regis.*

12 *Additque, Insuper non accersiuit Esther regina cum rege ad conuiuium quod parauerat, nisi me, & etiam cras vocatus sum ab ea cum rege.*

Vulgat. Editio.

Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quam diu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.

Responderuntque ei Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane regi, vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium, & iussit excelsam parari crucem.

CAP. VI.

NOctem illam duxit rex insomnem, iussitque sibi afferri historias, & annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur,

Ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium.

Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius, ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.

Statimque rex: Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt suggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans, quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare,

Respondit: Homo, quem rex honorare cupit,

Debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum,

Et primus de regiis principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola, & equo, fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

Tulit itaque Aman stolam, & equum, indutumque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.

Reuersusque est Mardochæus ad ianuam palatij: & Aman festinauit ire in domum suam, lugens, & operto capite:

Narrauitque Zares vxori suæ, & amicis omnia, quæ euenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, & vxor eius: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cæpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.

Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & cito eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.

CAP. VII.

INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Et totum hoc non est vtile mihi, toto tempore quo video Mordochai Iehudæum sedentem in porta regis.

Dixitq; ei Zeres vxor eius, & omnes amici eius: Aptent lignum altum quinquaginta cubitorum, & mane dic regi, vt suspendant Mordochai super illud, & ingredere cum rege ad conuiuium letus. Et placuit res in oculis Haman, & aptari iussit lignum.

CAP. VI.

IN nocte illa fugerat somnus regem, & dixit vt afferrent librum monumentorum verborum dierum, & fuerunt lecta coram rege.

Et inuentū est scriptum, quod iudicasset Mordochai de Bigthana, & Teres duobus eunuchis regis ex custodibus liminis, qui quæsierunt mittere manum in regem Achasueros.

Dixitq; rex: Quid factum est honoris, & magnificentiæ ipsi Mordochai propter hoc? Et dixerunt pueri regis ministri eius: Non est factum cum eo quicquam.

Dixitq; rex: Quis est in atrio? Haman autem venerat in atrium domus regis exterius, vt diceret regi, quod suspenderet Mordochai super lignum, quod parari fecerat ei.

Dixeruntq; pueri regis ad eum: Ecce Haman stat in atrio. Et dixit rex: Ingrediatur.

Et ingressus est Haman, & dixit ei rex: Quid faciendum est viro cuius rex vult honorem? Dixitq; Haman in corde suo, cui volet rex facere honorem magis quam me.

Et dixit Haman ad regem: Vir cuius vult rex honorem.

Adducant vestem regiam, qua induit se rex, & equum super quo equitat rex, & detur diadema regium in capite eius.

Et detur vestimentum, & equus per manum viri de principibus regis maioribus principibus, & induat virum cuius rex vult honorem, & equitare faciat eum per plateam ciuitatis, & clament ante eum: Sic fiet viro, cuius rex vult honorem.

Dixitq; rex ad Haman: Festina, tolle vestimentum, & equum, quemadmodum locutus es, & fac ita Mordochai Iehudæo, qui sedet in porta regis. Ne cadere facias quicquam ex omnibus quæ locutus es.

Tulitq; Haman vestimentum, & equum, & induit Mordochai, & equitare fecit eum per plateam ciuitatis, & clamabant ante eum: Sic fiet viro cuius rex vult honorem.

Et reuersus est Mordochai ad ianuam regis: Haman vero compulsus est ad domum suam lugens, & operto capite:

Et narrauit Haman Zeres vxori suæ, & omnibus amicis suis quicquid acciderat sibi. Dixeruntq; ei sapientes eius, & Zeres vxor eius: Si de semine Iehudæorum est Mordochai ante cuius cœpisti cadere conspectum, non præualebis ei, sed cadendo cades ante eum.

Adhuc illis loquentibus cum eo, eunuchi regis peruenerunt, & festinauerunt, vt adducerent Haman ad conuiuium, quem fecerat Ester.

CAP. VII.

VEnit autem rex & Haman ad bibendum cum Ester regina.

Transl. ex Septuag.

Et hæc mihi non placent; quamdiu videro Mardochæum Iudæum in aula.

Et dixit ad eum Zosara vxor eius, & amici: Cædatur tibi lignum cubitorum quinquaginta, mane autem dic regi, & suspendatur Mardochæus super lignum. Tu autem intra ad conuiuium cum rege, & lætare. Et placuit verbum ipsi Aman, & paratum fuit lignum.

CAP. VI.

DOminus autem amouit somnum à rege nocte illa: & dixit ministro suo afferre litteras memoriales dierum ad legendum ei.

Inuenit autem litteras scriptas de Mardochæo, quomodo annunciarat regi de duobus eunuchis regis, dum illi custodias agerent, & quærerent inferre manum Artaxersi.

Dixit autem rex: Quam gloriam, vel gratiam fecimus Mardochæo? Et dixerunt ministri regis: Non fecisti ei quicquam.

Dum autem percunctaretur rex de beneuolentia Mardochæi ecce Aman in aula. Dixit autem rex: Quis in aula? Aman autem intrauerat ad dicendum regi, vt suspenderet Mardochæum in ligno, quod parauerat.

Et dixerunt ministri regis: Ecce Aman stat in aula. Et dixit rex: Vocate eum.

Dixit autem rex ad Aman: Quid faciam homini, quem ego volo glorificare? Dixit autem in seipso Aman: Quem vult rex glorificare, nisi me?

Dixit autem ad regem: Hominem quem vult rex glorificare,

Afferant pueri regis stolam byssinam, qua rex circundatur, & equum, super quem rex inscendit,

Et det vni amicorum regis honoratorum, & induat stola hominem, quem rex diligit: & ascendere faciat eum super equum, & prædicet per platæam ciuitatis, dicens: Sic erit omni homini, quem rex glorificat.

Dixit autem rex ad Aman: Probe locutus es. Sic facito Mardochæo Iudæo seruienti in aula: & non decidat à te verbum ex iis, quæ locutus es.

Sumpsit autem Aman stolam, & equum, & stola induit Mardochæum, & imposuit super equum, & transiuit per platæam ciuitatis, & prædicabat dicens: Sic erit omni homini quem rex vult glorificare.

Rediit autem Mardochæus in aulam. Aman autem reuersus est in propria tristans demisso capite.

Et narrauit Aman, quæ sibi acciderant, Zosare vxori suæ, & amicis. Et dixerunt ad eum amici, & vxor: Si de genere Iudæorum Mardochæus, cœpisti humiliari coram eo: cadens cades, & non poteris eum vlcisci: quoniam Deus viuens cum eo.

Adhuc ipsis loquentibus, adueniunt eunuchi vrgentes Aman ad conuiuium, quod parauerat Esther.

CAP. VII.

INtrauit autem rex, & Aman, vt biberent cum regina.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

13 *At omnia hæc non prosunt mihi, quandocumque ego video Mordochai Iehudæum sedentem in porta Regis.*

14 *Respondit ei Zeres vxor eius, & omnes amici eius, Præparent lignum altum quinquaginta cubitorum, & crastina die dic Regi vt suspendant Mordochai super illud: postea ingredere cum Rege ad conuiuium lætus. Et placuit res illa in oculis Haman: aptariq; iussit lignum.*

CAP. VI.

1 *NOcte illa fugerat somnus à Rege: dixit itaque vt afferrent librum monumentorum verborum dierum, & lecta fuerunt coram Rege:*

2 *Inuentumq; fuit scriptum quod indicasset Mordochai de Bigthana & Theres duobus eunuchis Regis ex custodibus liminis, qui quæsierant mittere manum in Regem Ahasueros.*

3 *Dixitq; Rex, Quid honoris factum est & magnificentiæ ipsi Mordochai propter hoc? Responderunt pueri Regis ministri eius, Non est factum cum eo quicquam.*

4 *Tum dixit Rex, Quisnam est in atrio? (Haman autem venerat in atrium domus Regis exterius, vt diceret Regi, vt suspenderet Mordochai super lignum quod parari fecerat illi.)*

5 *Responderunt Regi pueri eius, Ecce Haman stat in atrio. Dixit autem Rex, Ingrediatur.*

6 *Et ingressus est Haman: cui dixit Rex, Quid faciendum est de homine cuius Rex optat honorem? (Cogitabat autem Haman in corde suo, Cui optet Rex facere honorem plusquam mihi?)*

7 *Respondit Haman Regi, Vir cuius optat Rex honorem,*

8 *Afferant vestem regiam qua induitur Rex, & equum super quo equitat Rex, & diadema regium quod impositum est capiti eius:*

9 *Tradantq; vestem illam, & equum illum in manu viri ex principibus Regis antesignanis: induantq; virum illum cuius honorem Rex optat, & equitare faciant eum per plateam ciuitatis, atque clament coram eo, Sic fiet viro cuius honorem Rex optat.*

10 *Dixit autem Rex ad Haman, Festina, tolle vestem illam & equum, quemadmodum loquutus es, & fac ita Mordochai Iehudæo qui sedet in porta Regis: ne cadere facias quicquam ex omnibus quæ loquutus es.*

11 *Tulit itaque Haman vestem illam, & equum illum, induitq; Mordochai: postea equitare fecit eum per plateam ciuitatis, atque clamauit coram illo, Sic fiet viro cuius honorem Rex optat.*

12 *Post hæc reuersus est Mordochai ad ianuam Regis: Haman vero propripuit sese domum suam lugens, & operto capite.*

13 *Narrauitq; Haman Zeres vxori suæ, & omnibus amicis suis quicquid acciderat illi. Dixerunt autem ei sapientes eius, & Zeres vxor eius, Si de semine Iehudæorum est Mordochai, ante cuius conspectum cœpisti cadere, non præualebis ei, sed cadendo cades ante conspectum eius.*

14 *Adhuc illis loquentibus cum eo, eunuchi Regis superuenerunt, & festinauerunt adducere Haman ad conuiuium quod præparauerat Esther.*

CAP. VII.

1 *VEnit itaque Rex & Haman ad bibendum cum Esther regina.*

Vulgat. Editio.

Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

Ad quem illa respondit; Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro.

Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in seruos, & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem.

Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?

Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens illico obstupuit, vultum regis, ac reginæ ferre non sustinens.

Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, vt rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim à rege sibi paratum malum.

Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem eius.

Dixitque Harbona, vnus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

CAP. VIII.

Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman aduersarij Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther, quod esset patruus suus.

Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.

Nec his contenta, procidit ad pedes regis, fleuitque & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri.

At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum,

Et ait: Si placet regi, & si inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, vt nouis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris, & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouinciis perire præceperat, corrigantur.

Quomodo enim potero sustinere necem, & interfectionem populi mei?

Respondit que rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Iudæos.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Dixitq; rex ad Ester etiam die secunda in conuiuio vini: Quæ est petitio tua Ester regina, & dabitur tibi? & quæ inquisitio tua? vsque ad dimidium regni, pete, & fiet.*

3 *Et respondit Ester regina, & dixit: Si inueni gratiam in oculis tuis rex, & si regi placet, detur mihi anima mea pro petitione mea, & populus meus pro postulatione mea.*

4 *Quia venditi sumus ego, & populus meus ad disperdendum, & occidendum, & ad perdendum. Et si in seruos, & ancillas venderemur tacuissem, quamquam hostis non recompensaret damnum regis.*

5 *Dixitq; rex Achasueros, & dixit ad Ester reginam: Quis est hic, & qualis est hic qui repleuit cor suum, vt faceret sic?*

6 *Et dixit Ester: Vir hostis, & inimicus est Haman malus hic. Et Haman terr tus est à facie regis, & reginæ.*

7 *Rex autem surrexit in furore suo, de conuiuio vini ad hortum palatij. Haman autem stetit, vt postularet pro anima sua ab Ester regina, vidit enim quod completum esset sibi malum à rege.*

8 *Rex autem reuersus est ab horto palatij ad domum conuiuij vini, Haman autem cecid rat super lectum super quo erat Ester, dixitq; rex: Num etiam vt subagitet reginam me existente in domo. Verbum egressum est ex ore regis, & faciem Haman operuerunt.*

9 *Dixitq; Charbona vnus de eunuchis ante regem: En lignum, quod fecerat Haman pro Mordochai, qui locutus est bonum super regem, stat in domo Haman, altitudinis quinquaginta cubitorum. Dixitq; rex: Suspendite eum in illo.*

10 *Et suspenderunt Haman in ligno, quod parari fecerat pro Mordochai, & ira regis quieuit.*

CAP. VIII.

1 *Die illa dedit rex Achasueros Ester reginæ domum Haman hostis Iehudæorum, Mordochai autem ingressus est ante regem. Indicauit enim Ester quid ipse sibi esset.*

2 *Et remouere fecit rex annulum suum quem tolli fecerat ab Haman, & dedit illum Mordochai. Et posuit Ester Mordochai in domo Haman.*

3 *Additq; Ester, & locuta est ante regem, & cecidit ante pedes eius, & fleuit, & rogauit eum, vt transire faceret malitiam Haman Agagitæ, & cogitationem eius quam cogitauit contra Iehudæos.*

4 *Et extendit rex ad Ester virgam auream, & surrexit Ester, stetitque ante regem.*

5 *Et dixit: Si regi placet, & si inueni gratiam ante eum, & conueniens est res ante regem, & placeo in oculis eius, scribatur, vt retractent litteras cogitationis Haman filij Hamedatha Agagitæ, quas scripsit ad perdendum Iehudæos, qui erant in omnibus prouincys regis.*

6 *Quomodo enim potero videre malum, quod inueniet populum meum? Et quomodo potero videre perditionem progeniei meæ?*

7 *Dixitque rex Achasueros ad Ester reginam, & Mordochai Iehudæum: Ecce domum Haman dedi Ester, & ipsum appenderunt in ligno eo quod misit manum suam in Iehudæos.*

Transl. ex Septuag.

Dixit autem rex ad Esther secunda die in potatione: Quid est Esther regina? & quæ petitio tua, & quod postulatum tuum? Et esto tibi vsque ad dimidium regni mei.

Et respondens dixit: Si inueni gratiam in conspectu regis; detur anima petitioni meæ, & populus meus postulationi meæ.

Venditi enim sumus, & ego, & populus meus in perditionem, & direptionem, & seruitutem nos, & filij nostri in pueros, & ancillas: & non audiui: non enim dignus criminator aula regis.

Dixit autem rex: Quis iste, qui ausus est facere rem hanc?

Dixit autem Esther: Homo inimicus Aman malignus ille. Aman autem turbatus est ex rege, & regina.

Rex autem surrexit à symposio in hortum. Aman autem deprecabatur reginam. Viderat enim se in malis esse.

Reuertit autem rex de horto. Aman autem procubuerat super lectum orans reginam. Dixit autem rex: Vt etiam vxori vim afferat in domo mea? Aman autem audiens confusus est facie.

Dixit autem Bugathan vnus eunuchorum ad regem: Ecce & lignum parauit Aman Mardochæo, qui locutus est pro rege: & erectum est in propriis Aman lignum cubitorum quinquaginta. Dixit autem rex: Crucifigatur in eo.

Et suspensus est Aman super lignum quod paratum fuerat Mardochæo. Et tunc rex cessauit à furore.

CAP. VIII.

ET in eadem die rex Artaxerses largitus est Esther, quæcumq; fuerant Aman calumniatori. Et Mardochæus accersitus est à rege. Indicauit enim Esther, quia sibi propinquus erat.

Sumpsit autem rex annulum, quem abstulerat ab Aman, & dedit eum Mardochæo. Et Esther constituit Mardochæum super omnia, quæ fuerant Aman:

Et adiiciens locuta est ad regem, & procidit ad pedes eius, & postulauit auferre malum ipsius Aman, & quæcumque fecerat Iudæis.

Extendit autem rex ad Esther virgam auream. Surrexit autem Esther ad adstandum regi.

Et dixit Esther. Si videtur tibi, & inueni gratiam; mittatur, vt reuertantur litteræ missæ ab Aman, scriptæ vt perderentur Iudæi, qui sunt in regno tuo.

Quomodo enim potero videre afflictionem populi mei, & quomodo potero saluari in perditione patriæ meæ?

Et dixit rex ad Esther: Si omnem substantiam Aman dedi, & gratificatus sum tibi, & ipsum suspendi super lignum quoniam manus intulerat Iudæis; quid adhuc quæris?

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Dixitque rex ad Esther etiam die secundo in conuiuio vini, Quænam est petitio tua Esther regina, & dabitur tibi? & quæ est petitio tua? vsque ad dimidium regni, & fiet.

Respondit Esther regina, ac dixit, Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & si regi placet, detur mihi anima mea pro postulatione mea, & populus meus pro petitione mea,

Quia venditi sumus ego, & populus meus vt disperdamur, & iugulemur, & perdamur: quod si in seruos & ancillas venditi fuissemus, tacuissem: quamquam hostis nequaquam compensare posset damnum regis:

Respondens autem rex Ahasueros dixit Esther reginæ, Quis est iste, & vbinam est iste cuius cor persuasit illi vt faceret sic?

Et dixit Esther, Vir hostis & inimicus est Haman pessimus iste. Tum Haman territus est à facie regis & reginæ.

Rex autem surrexit in furore suo à conuiuio vini ad hortum palatij: Haman vero mansit vt peteret pro anima sua ab Esther regina. videbat enim quod completum esset sibi malum à rege.

Rex autem reuersus est ab horto palatij ad domum conuiuij vini: Haman vero cecid rat super lectum super quo erat Esther. tum dixit rex; Nonne etiam vis opprimere reginã me præsente in domo? Verbum illud egressum est ab ore regis, & faciem Haman operuerunt.

Dixit autem Harbona vnus ex eunuchis coram rege, En etiam lignum quod parauerat Haman ipsi Mordochai, qui loquutus est bonum pro rege, erectum est in domo Haman, altitudinis quinquaginta cubitorum. Tunc dixit rex, Suspendite eum in illo.

Suspenderunt itaque Haman in ligno quod parauerat pro Mordochai, & ira regis conquieuit.

CAP. VIII.

EOdem die dedit rex Ahasueros Esther reginæ domum Haman hostis Iehudæorum, & Mordochai ingressus est ante regem. indicauit enim Esther quid ipse sibi esset.

Abstulit itaque rex annulum suum quem receperat ab Haman, deditque illum Mordochai. Ester vero posuit Mordochai supra domum Haman.

Addidit præterea Esther, loquutaq; est coram rege, atque cecidit ad pedes eius, flens & rogans eum vt irritam faceret malitiam Haman Agagitæ, & cogitationem eius quam cogitauerat contra Iehudæos.

Extendit autem rex ipsi Esther virgam auream: surgensq; Esther, stetit coram rege:

Dixitque, Si regi placet, & si inueni gratiam in conspectu eius, rectaq; res videtur regi, ac placeo in oculis eius, scribatur vt reuocentur litteræ cogitationis Haman filij Hammedatha Agagitæ, quas scripsit vt perdant Iehudæos qui sunt in omnibus prouincys regis.

Quo pacto enim potero videre malum quod inueniet populum meum? quomodo inquam potero videre perditionem cognationis meæ?

Dixit autem rex Ahasueros Esther reginæ, & Mordochai Iehudæo, Ecce domum Haman dedi Esther, & illum suspenderunt in ligno, propterea quod miserit manum suam in Iehudæos.

Vulgat. Editio.

Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet regis nomine, ſignantes literas annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere. 8

Accitiſque ſcribis, & librariis regis (erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban) vigeſima & tertia die illius ſcriptæ ſunt epiſtolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoreſque & iudices, qui centum viginti ſeptem prouinciis ab India vſque ad Aethiopiam præſidebant prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo iuxta linguas, & litteras ſuas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire. 9

Ipſæque epiſtolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per veredarios: qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres litteras nouis nunciis præuenirent. 10

Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus, ac liberis, & vniuerſis domibus, interficerent, atque delerent, & ſpolia eorum diriperent. 11

Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt tertiadecima menſis duodecimi Adar. 12

Summaque epiſtolæ hæc fuit, vt in omnibus terris, ac populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, notum fieret, paratos eſſe Iudæos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis. 13

Egreſſique ſunt veredarij celeres nuncia perferentes, & edictum regis pependit in Suſan. 14

Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacynthinis videlicet & aeriis, coronam auream portans in capite & amictus ſerico pallio, atque purpuræo. Omniſque ciuitas exultauit, atque lætata eſt. 15

Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium. 16

Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque regis iuſſa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque conuiuia, & feſtus dies: in tantum, vt plures alterius gentis, & ſectæ eorum religioni, & ceremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat. 17

CAP. IX.

Igitur duodecimi menſis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſariis vindicare. 1

Congregatique ſunt per ſingulas ciuitates, oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos, & perſecutores ſuos. Nulluſque auſus eſt reſiſtere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 2

Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omniſque dignitas, quæ ſingulis locis, ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi: 3

Quem principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant: fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. 4

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Vos autem ſcribite Iehudæis, ſicut bonum eſt in oculis veſtris nomine regis, & ſignate annulo regis. Scripturæ enim quæ ſcribuntur nomine regis, & ſignantur annulo regis non retractabantur. 8

Et vocati ſunt ſcribæ regis tempore illo menſe tertio (ipſe eſt Siuan) tertia, & vigeſima eiuſdem, & ſcriptum eſt iuxta omnia quæ præcepit Mordochai ad Iehudæos, & ad principes, & duces, & principes prouinciarum, qui erant ab India vſque ad Aethiopiam, ſeptem & viginti, & centum prouinciarum, ſingulis prouincijs iuxta ſcripturam earum, & ſingulis populis iuxta linguam eorum & ad Iudæos ſecundum ſcripturam eorum, & iuxta linguam eorum. 9

Scripſitque nomine regis Achaſueros, & ſignauit annulo regis, Et miſit litteras per manum curſorum in equis: equitantes velociſſima animalia, mulos filios equarum. 10

Quas dedit Iehudæis, qui erant in ſingulis ciuitatibus, vt congregarent ſe, & ſtarent pro anima ſua, vt disperderent, & occiderent, & perderent omnem exercitum populi, & prouinciæ, qui opprimerent eos, paruulos, & mulieres, & ſpolia eorum raperent. 11

In die vna in omnibus prouincijs regis Achaſueros, tertiadecima menſis duodecimi, ipſe eſt menſis Adar. 12

Exemplar ſcripturæ erat dari legem in qualibet prouincia manifeſtam omnibus populis, vt eſſent Iehudæi parati ad diem illum ad vindicandum ſe de inimicis ſuis. 13

Curſores equitantes equos, velociſſimos mulos egreſſi ſunt accelerantes, & feſtinantes ad verbum regis, & lex data eſt in Suſan palatio. 14

Et Mordochai egreſſus eſt à facie regis in veſte regali hyacinthina, & candida, & corona aurea magna, & amictu byſſi, & purpuræ. Et ciuitas Suſan exultauit, & lætata eſt. 15

Iudæis fuit lux, & lætitia, & gaudium, & honor. 16

Et in qualibet prouincia, & in qualibet ciuitate, & loco quo verbum regis attigit lætitia, & gaudium. Iehudæis autem conuiuium, & dies iucundus, & multi è populis terræ Iudæi ſe faciebant, quia cecidit pauor Iehudæorum ſuper eos. 17

CAP. IX.

Duodecimo menſe (ipſe eſt menſis Adar) tertiadecima die eiuſdem qua peruenit verbum regis, & decretum eius, vt fieret in die qua ſperabant inimici Iehudæorum dominari eis, oppoſitum fuit, quia dominati ſunt Iehudæi odio habentibus illos. 1

Congregauerunt ſe Iehudæi in ciuitatibus ſuis in omnibus prouincijs regis Achaſueros, vt mitterent manum in inquirentes malum ſuum. Et vir non ſtetit ante eos, quia cecidit pauor eorum ſuper omnes populos. 2

Et omnes principes prouinciarum, & principes magni, & duces, & facientes opus quod erat regis extollebant Iehudæos, quia cecidit pauor Mordochai ſuper eos. 3

Magnus enim erat Mordochai in domo regis: & fama eius ibat per omnes prouincias, quia vir Mordochai proficiebat, & creſcebat. 4

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Scribite etiam vos ex nomine meo, ſicut videtur vobis, & obſignate annulo meo. Quæcumque enim ſcribuntur rege præcipiente, & obſignata fuerint annulo meo: non eſt eis contradicere.	8	*Vos autem ſcribite Iehudæis prout vobis videbitur, nomine regis, & obſignate annulo regis. ſcripturam enim, quæ ſcribitur nomine regis, & obſignatur annulo regis, non licet reuocare.*
Vocati autem ſunt Scribæ in primo menſe, qui eſt Niſan, tertia & vigeſima eiuſdem anni, & ſcriptum eſt Iudæis, quæcumque mandauit Oeconomis, & principibus Satraparum ab India vſque ad Aethiopiam centum viginti ſeptem Satrapis per prouinciam, & prouinciam, ſecundum eorum linguam.	9	*Vocati ſunt itaque ſcribæ regis tempore illo, menſe tertio (Ipſe eſt Siuan) viceſima tertia eiuſdem, & ſcriptum eſt omnino vt præcepit Mordochai ad Iehudæos, & ad principes, atque duces & principes prouinciarum quæ ſunt ab India vſque ad Aethiopiam, centum & viginti ſeptem prouinciarum, ſingulis prouinciis iuxta ſcripturam earum; & ſingulis populis iuxta linguam ſuam, & ad Iehudæos ſecundum ſcripturam eorum & linguam.*
Scriptum eſt autem per regem, & obſignatum annulo eius. Et miſerunt litteras per tabellarios,	10	*Scripſitq; nomine regis Ahaſueros, & obſignauit annulo regis, at miſit litteras per manum curſorum equeſtriũ, equitantium velociſſima animalia, mulos filios equarum:*
Quomodo præcepit eis vti legibus ſuis in omni ciuitate, & auxiliari illis, & vti inimicis ipſorum, & aduerſariis ipſorum, ſicut volunt, in die vna in omni regno Artaxerſis tertiadecima die duodecimi menſis, qui eſt Adar.	11	*Quod rex daret Iehudæis qui erant in omnibus & ſingulis ciuitatibus, vt congregarent ſe, & ſtarent pro anima ſua, ita vt diſperderent, & occiderent, & perderent omnem exercitum populi ac prouinciæ oppugnantium ipſos, parvulos & mulieres, & ſpolia eorum diriperent:*
Quarum eſt exemplar epiſtolæ quæ ſubſcripta ſunt.	12	*Die vno in omnibus prouinciis regis Ahaſueros, nempe decima tertia menſis duodecimi: ipſe eſt menſis Adar.*
Exemplaria autem proponantur viſibiliter in omni regno, paratique ſint omnes Iudæi in hanc diem, debellare ſuos aduerſarios.	13	*Exemplar ſcripturæ erat vt daretur lex in omnibus & ſingulis prouincijs manifeſta omnibus populis, vt eſſent Iehudæi parati ad diem illum, ad vindicandum ſeſe de inimicis ſuis.*
* Igitur ipſi quidem equites exiuerunt feſtinantes ea, quæ à rege dicta erant, perficere. Propoſitum eſt autem edictum etiam in Suſis.	14	*Curſores illi equitantes animalia velociſſima, mulos, egreſſi ſunt accelerantes & feſtinantes ad verbum regis, lexq; illa data eſt in Suſan palatio.*
Mardochæus autem proceſſit ornatus regali ſtola, & coronam habens auream, & diadema byſſinum purpureum. Videntes autem, qui in Suſis, gauiſi ſunt.	15	*Mordochai autem egreſſus eſt à conſpectu regis in veſte regali, hyacinthina & candida, & cum corona aurea magna, & amictu byſſino, & purpureo: ciuitasq; Suſan exultauit, ac lætata eſt.*
Iudæis autem facta eſt lux, & lætitia per ciuitatem, & prouinciam,	16	*Iehudæis fuit lux, id eſt lætitia, & gaudium, & honor.*
Vbicumque propoſitum fuerat edictum, gaudium, & lætitia Iudæis, epulatio, & lætitia. Et multi ex gentibus circuncidebantur, & iudaizabant propter timorem Iudæorum.	17	*In omnibus quoque & ſingulis prouincijs, & in omnibus ac ſingulis ciuitatibus ac loco quo verbum regis peruenit, fuit lætitia & gaudium Iehudæis, conuiuium & dies iucundus: & multi è populis terræ efficiebantur Iehudæi, quia cecidit pauor Iehudæorum ſuper eos.*

* Hic incipit ca. 9. in tranſla. ex Sep. Rom.

CAP. IX.

CAP. IX.

IN duodecimo enim menſe, tertiadecima menſis, qui eſt Adar, aderant litteræ ſcriptæ à rege. In eadem die perierunt, qui aduerſabantur Iudæis. Nullus enim contra ſtetit, timens eos.	1	*Duodecimo igitur menſe (ipſe eſt menſis Adar) decimatertia die eiuſdem, qua peruenerat verbum regis, & lex eius vt fieret, eo ſcilicet die quo ſperabant inimici Iehudæorum dominari illis, (& oppoſitum fuit, quia dominati ſunt Iehudæi ijs qui odio ipſos habebant.)*
	2	*Congregauerunt ſe Iehudæi in vrbibus ſuis, in omnibus prouincijs regis Ahaſueros, vt mitterent manum in inquirentes malum ipſorum: & nemo ſtetit coram illis, quia ceciderat pauor eorum ſuper omnes populos.*
Principes enim ſatraparum, & tyranni, & regij Scribæ honorabant Iudæos. Timor enim Mardochæi incubuerat eis.	3	*Et omnes principes prouinciarum, & ſatrapæ, & duces, & facientes opus quod erat regis, extollebant Iehudæos: quia ceciderat pauor Mordochai ſuper eos.*
Aduenerat enim edictum regis, vt nominatus eſſet in omni regno.	4	*Magnus enim erat Mordochai in domo regis, & fama eius ibat per omnes prouincias: quia vir Mordochai promouebat & creſcebat.*

Vulgat. Editio.

Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis, quod sibi parauerant facere:

In tantum vt etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina:

Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha,
Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha,
Et Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Iezatha.

Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.

Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est.

Qui dixit reginæ: In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in vniuersis prouinciis? Quid vltra postulas, & quid vis, vt fieri iubeam?

Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis suspendantur.

Præcepitque rex vt ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt.

Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est.

Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum vt septuagintaquinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.

Dies autem tertiusdecimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cœdere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conuiuiis.

At hi, qui in vrbe Susan cœdem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die eiusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ.

Hi vero Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum.

Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul,

Vt quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & reuertente semper anno solemni celebrarent honore:

Quia in ipsis diebus se vlti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conuersa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.

Susceperuntque Iudæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandauerat.

Transl. ex Heb: Sanct. Pagn.

5 *Et percusserunt Iehudei omnes inimicos suos plaga gladij, & occisionis, & perditionis, & fecerunt contra odio habentes illos secundum voluntatem suam.*

6 *Et in Susan regia occiderunt Iehudæi, & perdiderunt quingentos viros:*

7 *Et Parsandatha, & Dalphon, & Asphatha.*
8 *Et Porata, & Adalia, & Aridatha.*
9 *Et Parmastha, & Arisai, & Aridai, & Vaizatha.*

10 *Decem filios Haman filij Hamedatha hostis Iehudæorum occiderunt, sed in prædam non miserunt manum suam.*

11 *Die ipsa venit numerus occisorum in Susan regia coram rege.*

12 *Dixitq; rex ad Ester reginam: In Susan regia occiderunt Iehudei, & perdiderunt quingentos viros, & decem filios Haman: in reliquis prouincijs regis quid fecerunt, & quæ petitio tua, & dabitur tibi? Et quæ requisitio tua vltra, & fiet?*

13 *Et dixit Ester: Si regi placet, detur etiam cras Iehudæis in Susan, vt faciant secundum legem hodiernam, & decem filios Haman suspendat in ligno.*

14 *Et dixit rex, vt fieret sic. Et data est lex in Susan, & decem filios Haman suspenderunt.*

15 *Et congregati sunt Iehudei qui erant in Susan etiam die quarta decima mensis Adar, & interfecerunt in Susan trecentos viros, sed in prædam non miserunt manum suam.*

16 *Reliqui autem Iehudei qui erant in prouincijs regis congregati sunt, & steterunt pro animabus suis, & quieuerunt ab inimicis suis, & occiderunt de hostibus suis quinque, & septuaginta millia, sed in prædam non miserunt manum suam.*

17 *In die tertia decima mensis Adar, & quieuerunt in quarta decima eiusdem, & fecerunt eum diem conuiuij, & lætitiæ.*

18 *Iehudei vero qui erant in Susan congregati sunt tertiadecima die eiusdem, & quartadecima die eiusdem, & & quieuerunt quintadecima eiusdem, & fecerunt eum die conuiuij, & lætitiæ.*

19 *Idcirco Iehudei villici, qui habitant in vrbibus non muratis, faciunt diem quartamdecimam mensis Adar lætitiæ, & conuiuij, & diem bonum, & missionis partium vnusquisque proximo suo.*

20 *Et scripsit Mordochai verba hæc, misitq; litteras ad omnes Iehudæos qui erant in omnibus prouincijs regis Achasueros propinquis, & remotis.*

21 *Statuendo eis, vt facerent diem quartam decimam mensis Adar, & quintamdecimam eiusdem per singulos annos.*

22 *Secundum dies in quibus quieuerunt Iehudei ab inimicis suis, & mensem qui conuersus fuerat eis à dolore in lætitiam, & à luctu in diem iucundum, vt facerent eos dies conuiuij, & lætitiæ, & missionis partium vnusquisque proximo suo, & donorum pauperibus.*

23 *Susceperunt Iehudæis quæ cœperunt facere, & quod scripsit Mordochai ad eos.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
	5	*Percusserunt itaque Iehudæi omnes inimicos suos plaga gladij, & occisionis, & perditionis: & fecerunt in inimicis suis secundum voluntatem suam.*
Et in Susis ciuitate interfecerunt Iudæi viros quingentos,	6	*Præterea in Susan regia occiderunt Iehudæi, & perdiderunt quingentos viros.*
Et Pharsannes, & Delphon, & Phasga,	7	*Parsandatha item, & Dalphon, & Aspatha.*
Et Pharadatha, & Barea, & Sarbara,	8	*Et Poratha, & Adalia, & Aridatha.*
Et Marmasima, & Ruphæum, & Arsæum, & Zabuthæum,	9	*Et Parmasiha, & Arisai, & Aridai, & Vaizatha.*
Decem filios Aman Amadathi Bugæi inimici Iudæorum, & diripuerunt in eadem die.	10	*Decem filios Haman filij Hammedatha hostis Iehudæorum occiderunt: sed in prædam ipsam non miserunt manum suam.*
Et datus est numerus regi eorum, qui perierant in Susis.	11	*Die ipsa venit numerus occisorum in Susan regia coram rege.*
Dixit autem rex ad Esther: Peremerunt Iudæi in Susis ciuitate viros quingentos: in adiacente autem quomodo, putas, vsi sunt? Quid igitur postulas amplius, & erit tibi?	12	*Dixitq; rex Ester reginæ, In Susan regia occiderunt Iehudæi, & perdiderunt quingentos viros, & decem filios Haman: in reliquis prouincijs regis quid putas fecerunt? quænam ergo postulatio tua, & dabitur tibi? aut quæ petitio tua vltra, & fiet?*
Et dixit Esther regi. Detur Iudæis, vt vtantur similiter cras, vt decem filios Aman suspendant.	13	*Respondit Esther, Si regi placet, detur etiam cras Iehudæis in Susan vt faciant secundum legem hodiernam, & decem filios Haman suspendant in ligno.*
Et permisit rex sic fieri, & permisit Iudæis ciuitatis, corpora filiorum Aman suspendere.	14	*Et præcepit rex vt sic fieret: data fuit itaque Lex in Susan, & decem filios Haman suspenderunt.*
Et congregati sunt Iudæi in Susis quarradecima Adar, & occiderunt viros trecentos, & nihil diripuerunt.	15	*Congregati sunt præterea Iehudei qui erant in Susan etiam die decimaquarta mensis Adar, & interfecerunt in Susan trecentos viros: sed in prædam non miserunt manum suam.*
Cæteri autem ex Iudæis, qui in regno, congregati sunt, & seipsos adiuuabant, & requieuerunt ab hostibus,	16	*Reliqui quoque Iehudei qui erant in prouincijs regis congregati sunt, steteruntq; pro anima sua, & quieuerunt ab inimicis suis. interfecerunt autem de hostibus suis septuagintaquinque millia, sed in prædam non miserunt manum suam:*
Peremerunt enim ex eis quindecim millia die tertiadecima Adar, & nihil diripuerunt. Et requieuerunt quartadecima eiusdem mensis, & egerunt diem illum requietis cum gaudio, & lætitia:	17	*Die decimotertio mensis Adar, & quieuerunt decimoquarto die eiusdem: fecerunt; eum diem conuiuij & lætitiæ.*
Iudæi autem, qui in Susis ciuitate, congregati sunt etiam quartadecima; & requieuerunt. Egerunt autem & quintamdecimam cum gaudio & lætitia.	18	*At Iehudei qui erant in Susan congregati sunt decimatertia eiusdem, atque quartodecimo eiusdem: quieuerunt vero decimaquinta eiusdem, fecerunt; eum diem conuiuij, & lætitiæ.*
Propter hoc igitur Iudæi, qui disseminati sunt in omni regione, quæ extra muros, agunt quartamdecimam Adar diem bonam cum lætitia, mittentes partes vnusquisque proximo.	19	*Idcirco Iehudei villici qui habitant in vrbibus non muratis, faciunt diem decimumquartum mensis Adar, diem lætitiæ & conuiuij, & diem festum, & missionis partium, quisque proximo suo.*
Scripsit autem Mardochæus verba hæc in libro, & misit Iudæis, quicumque erant in regno Artaxersis, iis qui prope, & iis qui longe,	20	*Scripsit itaque Mordochai verba hæc, misitq; litteras ad omnes Iehudæos qui erant in vniuersis prouincijs regis Ahasueros, propinquos & remotos:*
Vt statuerent dies hos bonos, & celebrarent quartamdecimam, & quintamdecimam Adar	21	*Statuendo illis vt facerent diem decimumquartum mensis Adar, atque decimumquintum eiusdem per singulos annos.*
(In his enim diebus requieuerunt Iudæi ab inimicis suis) & mensem in quo facta est eis conuersio, qui erat Adar, ex luctu in gaudium, & ex dolore in bonam diem, celebrarent totum, bonos dies nuptiarum, & lætitiæ, mittentes partes amicis, & mendicis.	22	*Iuxta dies illos in quibus quieuerant Iehudæi ab inimicis suis, & mensem illum qui conuersus fuerat illis à mœrore in lætitiam, & à luctu in diem bonum: vt facerent illos dies conuiuij & gaudij, & missionis particularum quisque proximo suo, & donorum pauperibus.*
Et susceperunt Iudæi, sicut scripsit eis Mardochæus,	23	*Receperunt vero Iehudæi sese facturos, quod inceperant; quodque scripserat Mordochai ad ipsos:*

Vulgat. Editio.

Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis & aduersarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret illos, atque deleret & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.

Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans vt conatus eius, literis regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipsum & filios eius affixerunt cruci,

Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est sortium: eo quod phur, id est sors, in vrnam missa fuerit. Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id est libri huius volumine continentur:

Quæque sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus.

Isti sunt dies, quos nulla vmquam delebit obliuio: & per singulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec est vlla ciuitas, in qua dies phurim, id est sortium, non obseruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremoniis obligata est.

Scripseruntque Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam vt omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum.

Et miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti septem prouinciis regis Assueri versabantur, vt haberent pacem, & sciscirent veritatem,

Obseruantes Dies sortium, & suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus & Esther, & illi obseruanda susceperunt à se, & à semine suo ieiunia, & clamores, & Sortium dies,

Et omnia, quæ libri huius, qui vocatur Esther, historia continentur.

CAP. X.

REx vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:

Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque sublimitas, qua exaltauit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum:

Et quomodo Mardochæus Iudaici generis secundus à rege Assuero fuerit: & magnus apud Iudæos & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

24 *Quoniam Haman filius Hamdata Agagites hostis omnium Iehudæorum cogitauit contra Iehudæos vt perderet eos & proiecit pur. (Ipsa est Ghoral) vt deleret eos, & perderet eos.*

25 *Et cum venisset ipsa ante regem, dixit* rex *cum epistola* altera: *conuertatur cogitatio eius mala quam cogitauit contra Iehudæos super caput eius: & suspendant eum, & filios eius in ligno.*

26 *Idcirco vocauerunt dies istos purim propter sortem: ideo in omnibus verbis epistolæ huius, & quid viderunt super hoc, & quid contigit eis.*

27 *Statuerunt, & receperunt Iehudæi super se & super semen suum, & super omnes copulatos sibi vt non transgrediatur, vt facerent duos dies hos, iuxta scripturam eorum, & iuxta tempus eorum singulis annis.*

28 *Et dies isti erunt memorati & fient in omni generatione, familia, & familia, prouincia, & prouincia, & ciuitate, & ciuitate: & dies purim isti non transibunt è medio Iehudæorum, & memoria eorum non desinet à semine eorum.*

29 *Et scripsit Ester regina filia Abichail, & Mordochai Iehudæus omni fortitudine, vt firmaret epistolam purim hanc secundo.*

30 *Et misit litteras ad omnes Iehudæos ad septem, & viginti, & centum prouincias regni Achasueros verbis pacis, & veritatis.*

31 *Ad confirmandum dies Purim istos iuxta tempora eorum secundum quod statuit eis Mordochai Iehudæus, & Ester regina, & secundum, quod firmauerunt super animam suam, & super semen suum verba ieiuniorum, & clamorem suum.*

32 *Et sermo Ester firmauit verba Purim* istarum, *& scriptum est in libro.*

CAP. X.

1 *ET posuit rex Achasueros tributum super terram, & insulas maris.*

2 *Et omne opus fortitudinis eius, & potentiæ eius, & expositionem magnitudinis Mordochai, qua magnificauit eum rex, nonne scripta sunt in libro verborum dierum regum Madai & Paras.*

3 *Quomodo Mordochai Iehudæus secundus regi Achasueros, & magnus Iehudæis, & acceptus multitudini fratrum suorum quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo.*

Finis Libri Esther secundum Hebræos.

Transl. ex Septuag.

Quomodo Aman Amadathi Macedo impugnabat eos, sicut posuerat decretum sortem delendi eos.

Et vt intrauit ad regem dicens suspendere Mardochæum: quæcumque vero aggressus est inducere super Iudæos mala, super ipsum euenerunt, & suspensus est ipse, & filij eius.

Propter hoc vocati sunt dies illi Phruræ propter sortes: quoniam lingua eorum vocantur Phruræ. Per verba epistolæ huius

Quæcumque passi sunt propter hæc; & quæcumque euenerunt ipsis. Et statuit, & susceperunt Iudæi super se, & super semen suum, & super appositos ad ipsos: nec sane aliter vtentur.

Dies autem hi memoriale perfectum per progeniem, & progeniem, & ciuitatem, & patriam, & regionem. Dies autem hi ipsorum Phruræ celebrabuntur in omne tempus: & memoria eorum non deficiet à generationibus.

Et scripsit Esther regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus, quæcumque fecerunt, & firmamentum epistolæ ipsorum Phruræ.

Et Mardochæus, & Esther regina statuerunt sibi per se: & tunc statuentes per sanitatem suam ipsorum, & consilium ipsorum.

CAP. X.

SCripsit autem rex ad regnum terræ, & maris.

Et fortitudinem eius, & magnificentiam eius, & diuitias, & gloriam regni eius, ecce scripta sunt in libro regum Persarum, & Medorum in memoriam.

Mardochæus autem secundus erat à rege Artaxerse, & magnus erat in regno, & glorificatus à Iudæis, & amatus narrabat educationem omni genti suæ.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

24 *Quoniam Haman filius Hammedatha Agagites hostis Iehudæorum cogitauerat contra Iehudæos perdere illos, & iecerat pur (id est sortem) vt conereret eos, & perderet eos.*

25 *Quum autem illa ingressa esset in conspectum regis, dixit rex cum epistola, Conuertatur cogitatio eius mala quam cogitauit contra Iehudæos in capite eius: suspendant quoque eum, & filios eius in ligno.*

26 *Propterea vocauerunt dies istos purim de nomine pur. idcirco propter omnia verba epistolæ huius, & id quod viderunt super hoc, & id quod peruenit ad eos,*

27 *Statuerunt, ac receperunt Iehudæi super se & super semen suum & super omnes adiunctos illis, neque praeteribit, se celebraturos duos dies illos, iuxta scripturam eorum, & iuxta tempus eorum, singulis annis.*

28 *Præterea dies isti erunt memorabiles & solennes in omni generatione & generatione, familia & familia, prouincia, & prouincia, & vrbe & vrbe: isti inquam dies purim non transibunt è medio Iehudæorum, & memoria illorum non desinet à semine eorum.*

29 *Scripsit autem Esther regina filia Abihail, & Mordochai Iehudæus omni fortitudine, vt confirmaret epistolam purim istam secundam.*

30 *Et misit epistolas ad omnes Iehudæos ad centum vigintiseptem prouincias regni Ahasueros verbis pacis & veritatis.*

31 *Vt confirmarent dies sortium istos temporibus suis, quemadmodum iniunxit illis Mordochai Iehudæus & Esther regina, & quemadmodum receperunt super animam suam, & super semen suum ieiunia & clamorem suum.*

32 *Et sermo Esther confirmauit verba ista sortium, & scriptus est in libro.*

CAP. X.

1 *PORro imposuit rex Ahasueros tributum super terram, & insulas maris.*

2 *Omne autem opus fortitudinis eius ac potentiæ eius, & expositio magnitudinis Mordochai, quem magnificauit rex, nonne scripta sunt in libro verborum dierum regum Madai & Paras?*

3 *Mordochai enim Iehudæus fuit secundus à rege Ahasueros, & magnus apud Iehudæos, & acceptus multitudini fratrum suorum, quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo.*

Finis Libri Esther secundum Hebræos.

Vulgat. Editio.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta consuetudinem nostram obelo, id est, verum prænotauimus.

Dixit Mardochæus: A Deo facta sunt ista.

Recordatus sum somnij, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit.

Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit: Esther est, quam rex accepit vxorem, & voluit esse reginam.

Duo autem dracones: ego sum, & Aman.

Gentes, quæ conuenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum.

Gens autem mea: Israel est, quæ clamauit ad Dominum, & saluum fecit Dominus populum suum: liberauitque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes.

Et duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium.

Venitque vtraque sors in statutum ex illo iam tempore diem coram Deo vniuersis gentibus.

Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ.

Et obseruabuntur dies isti in mense Adar quartadecima, & quintadecima die eiusdem mensis, cum omni studio, & gaudio in vnum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

CAP. XI.

ANno quarto regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, attulerunt Desithæus, qui se Sacerdotem, & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Ierusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.

Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Beniamin.

Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.

* Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Ieconia rege Iuda. **4 Reg. 24. 15. Sup. 2. 6.*

Et hoc eius somnium fuit: Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio super terram.

Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium.

Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum.

Fuitque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram.

Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem.

Clamaueruntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.

Transl. ex Septuag.

(··) (··)

4 *Et dixit Mardochæus: A Deo facta sunt ista.*

5 *Recordatus enim sum somnij, quod videram de verbis his. Neque enim præteriit de eis verbum.*

6 *Paruus fons, qui factus est flumen, & erat lux & Sol & aqua multa. Esther est flumen, quam matrimonio iunxit rex, & fecit reginam.*

7 *Duo vero dracones ego sum, & Aman.*

8 *Gentes autem, quæ conuenerant ad perdendum nomen Iudæorum.*

9 *Gens autem mea, hic est Israel, qui clamantes ad Deum, & saluati. Et saluauit Dominus populum suum: & eruit Dominus nos ex omnibus malis his. Et fecit Deus signa & prodigia magna, quæ non sunt facta in gentibus.*

10 *Propter hoc fecit sortes duas, vnam populo Dei, & vnam omnibus gentibus.*

11 *Et venerunt duæ sortes hæ ad horam, & tempus, & ad diem iudicij coram Deo, & omnibus gentibus.*

12 *Et recordatus est Deus populi sui, & iustificauit hæreditatem suam,*

13 *Et erunt eis dies hi, in mense Adar die quartadecima & quintadecima mensis, cum synagoga, & gaudio, & lætitia coram Deo per progeniem in sæculum in populo eius Israel.*

CAP. XI.

1 *ANno quarto regnante Ptolemæo, & Cleopatra, attulit Dositheus (qui dicebat se esse sacerdotem, & Leuitam) & Ptolemæus filius eius propositam epistolam ipsorum Phruræ: quam dixerunt esse, & interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi, qui in Hierusalem.*

2 *Anno secundo regnante Artaxerse magno, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi filii Semeie filij Cisei de tribu Beniamin* In trãslat. hac Rom. hæc habentur in principio libri.

3 *Homo Iudæus qui habitabat in vrbe Susis, homo magnus, ministrans in aula regis.*

4 *Erat autem ex captiuitate, quam captiuam duxerat Nabuchodonosor rex Babylonis è Hierusalem cum Iechonia rege Iudæa.*

5 *Et hæc eius somnium. Et ecce voces, & tumultus, tonitrua, & terræmotus, conturbatio super terram.*

6 *Et ecce duo dracones magni parati processerunt vtrique ad colluctandum.*

7 *Et facta est eorum vox magna: & voce eorum parata est omnis gens ad bellum, vt impugnarent iustorum gentem.*

8 *Et ecce dies tenebrarum, & caliginis, tribulatio, & angustia, afflictio, & turbatio magna super terram.*

9 *Et turbata est vniuersa gens iusta timentes sua mala: & parati erant perire,*

10 *Et clamauerunt ad Deum. A clamore autem eorum factum est tanquam à paruo fonte flumen magnum, aqua multa.*

Vulgat. Editio.

Lux & sol ortus est,& humiles exaltati sunt, & 11
deuorauerunt inclytos.

Quod cum vidisset Mardochæus,& surrexisset de 12
strato,cogitabat quid Deus facere vellet :& fixum
habebat in animo scire cupiens quid significaret
somnium.

CAP. XII.

* Sup. 2. d. 21. & 6. a. 2.

MOrabatur autem eo tempore in aula regis 1
cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui
ianitores erant palatij.

Cumque intellexisset cogitationes eorum,& cu- 2
ras diligentius peruidisset,didicit quod conarentur
in regem Artaxerxem manus mittere,& nunciauit
super eo regi.

Qui de vtroque,habita quæstione,confessos ius- 3
sit duci ad mortem.

Rex autem quod gestum erat, scripsit in com- 4
mentariis:sed & Mardochæus rei memoriam litte-
ris tradidit.

Præcepitque ei rex, vt in aula palatii moraretur, 5
datis ei pro delatione muneribus.

Aman vero filius Amadathi Bugæus erat glorio- 6
sissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo,
& populo eius pro duobus eunuchis regis,qui fue-
rant interfecti.

Hucusque proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, vbi scriptum est in volumine,

Et diripuerunt bona,vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

CAP. XIII.

REx maximus Artaxerxes ab India vsq; Aethio- 1
piam centum viginti septem prouinciarum
principibus,& ducibus, qui eius imperio subiecti
sunt,salutem.

Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuer- 2
sum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequa-
quam abuti potentiæ magnitudine,sed clementia,
& lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo
terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis
mortalibus pace fruerentur.

Quærente autem me à consiliariis meis quomo- 3
do posset hoc impleri,vnus qui sapientia & fide cæ-
teros præcellebat, & erat post regem secundus,
Aman nomine,

Indicauit mihi in toto orbe terrarum populum 4
esse dispersum,qui nouis vteretur legibus, & con-
tra omnium Gentium consuetudinem faciens, Re-
gum iussa contemneret; & vniuersarum concor-
diam nationum sua dissensione violaret.

Quod cum didicissemus,videntes vnam gentem 5
rebellem aduersus omne hominum genus peruer-
sis vti legibus,nostrisque iussionibus contraire, &
turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem
atque concordiam,

Iussimus vt quoscunque Aman, qui omnibus 6
prouinciis præpositus est, & secundus à rege, &
quem patris loco colimus,monstrauerit, cum con-
iugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nul-
liusque eorum misereatur quartadecima die duo
decimi mensis Adar anni præsentis:

Vt nefarii homines vno die ad inferos descen- 7
dentes, reddant imperio nostro pacem, quam
turbauerant.

Hucusque exemplar epistolæ.

Transl. ex Septuag.

Et lumen,& Sol exortus est:& humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos. 11

Et excitatus Mardochæus, qui viderat somnium hoc, & quid Deus deliberauerat facere, habuit illud in corde & in omni verbo volebat cognoscere illud vsque ad noctem. 12

CAP. XII.

ET quieuit Mardochæus in aula cum Gabatha, & Tharra duobus eunuchis regis,qui custodiebant aulam, 1

Et audiuit eorum sermocinationes, & curas eorum perscrutatus est.Et didicit, quia parant manus inferre Artaxersi regi.Et indicauit regi de his. 2

Et examinauit rex vtrosque eunuchos, & confessi strangulati sunt. 3

Et scripsit rex verba hæc in commentario.Et Mardochæus scripsit de verbis his. 4

Et præcepit rex Mardochæo ministrare in aula, & dedit ei munera pro his. 5

Et erat Aman Amadathi Bugæus inclytus coram rege: & quæsiuit nocere Mardochæo, & populo eius propter duos eunuchos regis. 6

(·.·) (·.·)

(·.·)

CAP. XIII.

REx magnus Artaxerses ijs, qui ab India vsque ad Aethiopicam centum viginti septem prouinciarum principibus,& locorum perfectis subiectis hæc scribit. 1

Hæc omnia habentur cap. 3. in transl. hac ex Septu. Rom.

Multis cum imperarem gentibus, & vniuersum obtinuissem orbem;volui confidentia potestatis non elatus,sed mitius,& cum mansuetudine semper gubernans,subiectorum tranquillas perpetuo reddere vitas, & regnum placidum,& peruium vsque ad fines præbens,renouare etiam optatam omnibus hominibus pacem. 2

Percunctante autem me consiliarios, quomodo perducatur hoc ad finem,is,qui moderatione apud nos præcellit,& in benevolentia immutabilis,& stabili fide probatus, & secundum à rege honorem adeptus Aman. 3

Indicauit nobis in omnibus, quæ per orbem, tribubus admistum esse odiosum populum quendam, legibus oppositum aduersus omnes gentes, & regum prætermittentes assidue constitutiones; vt non componatur is, qui à nobis dirigitur, sine vitio concors principatus. 4

Cum igitur acceperimus hanc ipsam gentem solam ex aduerso omni semper homini positam, commutantem institutionem legum peregrinam, & dissentientem nostris rebus pessima consummare mala,& ad id, vt regnum bonum statum non consequatur, 5

Præcipimus igitur ijs,qui significantur vobis in scriptis ab Aman præposito super negocia, & secundo patre nostro,omnes cum vxoribus,& filiis perdere radicitus ipsis inimicorum gladiis,sine vlla misericordia,& clementia,die quartadecima duodecimi mensis Adar præsentis anni: 6

Vt qui olim, & nunc inimici; in die vna volenter ad infernum descendentes, in posterum tempus bene constitutas,& tranquillas præbeant nobis perfecte res. 7

Vulgat. Editio.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, vbi legitur,

Pergensque Mardochæus, fecit omnia, quæ ei mandauerat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius,

Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.

Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.

Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

Cuncta nosti, & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum,

(Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem,)

Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

Et nunc Domine rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere.

Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Aegypto.

Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.

Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

CAP. XIIII.

ESther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat.

Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit.

Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.

Periculum meum in manibus meis est.

* Deut. 4. 3. * Audiui à patre meo quod tu Domine tulisses Israel de cunctis Gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, vt possideres hæreditatem sempiternam, feciſtique eis sicut locutus es.

Peccauimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum:

Coluimus enim deos eorum. Iustus es Domine:

Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes,

Volunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,

Transl. ex Septuag.

(.·.) (.·.)

8 *Et deprecatus est Dominum, memor omnium operum Domini,*

9 *Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, quia in potestate tua sunt omnia, & non est, qui dissentiat à te, cum tu voluerís saluare Israel:*

10 *Quoniam tu fecisti cœlum, & terram, & omne, quod suspicitur in sub cœlesti:*

11 *Et Dominus es omnium, & non est, qui resistat tibi Domino.*

12 *Tu omnia cognoscis: tu nosti Domine, quia non in contumelia, neque in superbia, neque in cupiditate gloriæ feci hoc, vt non adorarem superbum Aman:*

13 *Quoniam bene affectus eram osculari vestigia pedum eius ad salutem Israel:*

14 *Sed feci hoc, vt non ponerem gloriam hominis super gloriam Dei: & non adorabo quemquam præter te Dominum meum, & non faciam hæc in superbia.*

15 *Et nunc Domine Deus rex, Deus Abraham parce populo tuo: quoniam intuentur nos ad perditionem, & concupierunt perdere eam, quæ à principio, hæreditatem tuam.*

16 *Ne despicias partem tuam, quam tibi redemisti è terra Aegypti.*

17 *Exaudi deprecationem meam, & propitiare sorti tuæ, & verte luctum nostrum in delectationem: vt viuentes hymnis celebremus nomen tuum Domine: & ne deleas os laudantium te Domine.*

18 *Et omnis Israel vociferatus est ex fortitudine sua; quoniam mors sua in oculis ipsorum.*

CAP. XIIII.

1 *ET Esther regina confugit ad Dominum in agone mortis comprehensa:*

2 *Et auferens vestimenta gloriæ suæ, induit vestimenta angustiæ, & luctus: & pro superbis suauitatibus, cinere, & fimo impleuit caput suum: & corpus suum humiliauit valde: & omnem locum ornatus exultationis suæ repleuit laceratis capillis suis:*

3 *Et deprecata est Dominum Deum Israel, & dixit: Domine mi rex noster tu es solus: adiuua me solam, & non habentem adiutorem nisi te:*

4 *Quoniam periculum meum in manu mea.*

5 *Ego audiebam à natiuitate mea in tribu patriæ meæ, quia tu Domine assumpsisti Israel ex omnibus maioribus eorum in hæreditatem æternam, & feciſti eis, quæcumque locutus es.*

6 *Et nunc peccauimus coram te: & tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum,*

7 *Et quod glorificauimus Deos eorum. Iustus es Domine.*

8 *Et nunc non satis habuerunt in amaritudine seruitutis nostræ: sed posuerunt manus suas super manus idolorum suorum*

9 *Ad tollendam determinationem oris tui, & delendam hæreditatem tuam, & obturandum os laudantium te, & extinguendam gloriam domus tuæ, & altaris tui,*

Vulgat. Editio.

Vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum 10
fortitudinem, & prædicent carnalem regem in
sempiternum.

Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non 11
sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed conuerte
consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cæ-
pit sæuire, disperde.

Memento Domine, & ostende te nobis in tempo- 12
re tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domi-
ne rex deorum, & vniuersæ potestatis:

Tribue sermonem compositum in ore meo in 13
conspectu leonis, & transfer cor illius in odium
hostis nostri, vt & ipse pereat, & cæteri, qui ei con-
sentiunt.

Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nul- 14
lum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui
habes omnium scientiam,

Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, & de- 15
tester cubile incircumcisorũ, & omnis alienigenæ.

Tu scis necessitatem meam, quod abominer ti- 16
gnum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput
meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud
quasi pannum menstruatæ, & non portem in die-
bus silentij mei,

Et quod non comederim in mensa Aman, nec 17
mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim
vinum libaminum:

Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc 18
translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te
Domine Deus Abraham.

Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, 19
qui nullam aliam spem habent, & libera nos de
manu iniquorum, & erue me à timore meo.

CAP.

Transl. ex Septuag.

Et aperiendum os gentium ad virtutes vanorum, & admirationi habendum regem carneum in sæculum.

Ne tradas Domine sceptrum tuum ijs, qui non sunt: & non irrideant in ruina nostra: sed verte consilium eorum super eos: & in eum, qui cœpit super nos, exempla statue.

Memento Domine, ostende te in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam rex Deorum, & omni principatui imperans.

Da sermonem bene compositum in os meum coram leone, & transfer cor illius in odium impugnantis nos, in consummationem eius, & consentientium ei.

Nos autem libera in manu tua, & adiuua me solam, & non habentem, nisi te Domine. Omnium scientiam habes,

Et nosti, quia odi gloriam iniquorum, & abominor cubile incircumcisorum, & omnis alieni.

Tu nosti necessitatem meam; quia abominor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, abominor illud, sicut pannum menstruorum: & non porto illud in diebus silentij mei.

Et non comedit serua tua mensam Aman: & non glorificaui conuiuium regis, neque bibi vinum libaminum:

Et non est lætata serua tua à die translationis meæ vsque nunc, nisi in te Domine Deus Abraam:

Deus fortis super omnes, exaudi vocem desperatorum, & erue nos de manu malignantium, & libera me à timore meo.

CAP.

Vulgata Editio.

CAP. XV.

Hæc quoque addita reperi in editione Vulgata.

1 ET mandauit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad regem & rogaret pro populo suo & pro patria sua.

2 Memorare, inquit, dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem:

3 Et tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Necnon & ista quæ subdita sunt.

4 Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui & circumdata est gloria sua.

5 Cumque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem & saluatorem Deum, assumpsit duas famulas,

6 Et super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens:

7 Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.

8 Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.

9 Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.

10 Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput.

11 Conuertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur:

12 Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

13 Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

14 Accede igitur, & tange sceptrum.

15 Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris?

16 Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

17 Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.

18 Cumque loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est.

19 Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eam.

Vulgat. Editio.

CAP. XVI.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis, ad totas regni sui prouincias misit: quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

Sup. 11. 2.

REx magnus Artaxerxes ab India vsq; Aethiopiam centum vigintiseptem prouinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ iussioni obediunt, salutem dicit.

Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

Et non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.

Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

Et in tantum vesaniæ proruperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere,

Dum aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.

Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur.

Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum.

Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.

Et vt manifestius quod dicimus, intelligatis, * Sup. 3. 1. * Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est:

Et tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus:

Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur & spiritu.

Nam Mardochæum, cuius fide & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther cum omni gente sua nouis quibusdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem:

Hoc cogitans vt illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas.

Nos autem à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario iustis vtentes legibus,

Et filios altissimi & maximi semperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & vsque hodie custoditur.

Vnde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.

Pro quo scelere ante portas huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.

Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus suis.

Transl. ex Septuag.

CAP. XVI.

1 *REx magnus Artaxerses ab India vsque Aethiopiam centum viginti septem prouincijs, regionum principibus, & ijs qui nostra curant, valere.*

Hæc habentur in trãsl. Rom. cap. 8. eõiuncta his quæ ibidem à nobis notata fuere nu. 12.

2 *Multi plurima bene facientium bonitate frequentius honorati, maiora sapuerunt,*

3 *Et non solum subiectos nobis quærunt malis afficere, & satietatem non valentes ferre, etiam in suos ipsorum benefactores aggrediuntur machinari:*

4 *Et gratitudinem non solum ex hominibus auferentes, sed etiam insolitorum bonorum pompis elati, illius omnia inspicientis semper Dei inimicam malignis sententiam existimant se vitaturos.*

5 *Sæpe autem & multos eorum, qui in potestatibus sunt constituti, qui persuasi sunt suscipere amicorum negotia blanditia participes sanguinum innocentum eos reddens, circumdedit calamitatibus incurabilibus,*

6 *Fallaci malignitatis deceptione decipientibus imperantium simplicem probitatem.*

7 *Contemplari autem licet (non tam ex veteribus vt tradidimus historiis) exquirentes vos quæcumque ad pedes impie sunt consummata eorum, qui indigna dominatione premunt, pestifera corruptela,*

8 *Et attendere ad ea, quæ post hæc: quomodo regnum tranquillum omnibus hominibus cum pace præbebimus*

9 *Vtentes mutationibus, & quæ ad conspectum veniunt, dyudicantes semper cum æquiore occursu.*

10 *Etenim Aman Amadathi Macedo re vera, alienus Persarum sanguine, & multum distans à nostra benignitate, peregrinus à nobis susceptus,*

11 *Consequutus est, quam habemus erga omnem gentem, humanitatem, eo vsque, vt appellaretur noster pater, & adoratus ab omnibus secundam regalis throni personam gereret.*

12 *Non ferens autem superbiam studuit principatu priuare nos, & spiritu,*

13 *Et nostrum saluatorem, ac per omnia benefactorem Mardochæum, & inculpatam regni consortem Esther cum vniuersa horum gente multiplicibus artificiorum deceptionibus petens ad perditionem.*

14 *Per hos enim modos putauit nactus nos desolatos, Persarum imperium ad Macedonas transferre.*

15 *Nos autem traditos à ter exitiali illo ad perditionem Iudæos inuenimus non esse maleficos, sed iustissimis gubernari legibus,*

16 *Esse autem filios altissimi maximi viuentis Dei, qui direxit & nobis, & maioribus nostris regnum in pulcherrima dispositione.*

17 *Recte igitur facietis non vtentes missis ab Aman Amadathi litteris,*

18 *Eo quod ipse, qui hæc molitus est, apud Susarum portas crucifixus est cum tota familia, dignum eo, qui omnia tenet, Deo velociter reddente ei iudicium.*

19 *Exemplar autem epistolæ huius edentes in omni loco cum libertate permittatis Iudæos vti suis legitimis,*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Septuag.
Quibus debetis esse adminiculo, vt eos, qui se ad necem eorum parauerant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.	20	*Et adminiculo sitis eis, vt illos, qui se in tempore tribulationis insurrexerant, vlciscantur die tertiadecima duodecimi mensis Adar eadem die.*
Hanc enim diem Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.	21	*Hanc enim omnium dominator Deus pro perditione electi generis fecit eis lætitiam.*
Vnde & vos inter cæteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in posterum cognoscatur,	22	*Et vos igitur in inclytis vestris festiuitatibus insignem diem cum omni lætitia agite: vt & nunc, & post hæc salus sit nobis,*
Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.	23	*Et ijs, qui beneuoli sunt Persis, ijs autem, qui nobis insidiantur, memoriale perditionis.*
Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit solemnitatis huius esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, vt non solum hominibus, sed etiam bestiis inuia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.	24	*Omnis autem ciuitas, vel prouincia omnino, quæ secundum hæc non fecerit, hasta, & igni consumetur cum ira, non solum hominibus inuia, sed etiam bestijs, & volatilibus in omne tempus odiosissima reddetur.*

FINIS LIBRI ESTHER.

ORATIO MANASSAE

NEC NON LIBRI DVO, QVI SVB LIBRI TERTII ET QVARTI ESDRÆ

nomine circumferuntur, hoc in loco, extra ſcilicet ſeriem Canonicorum Librorum, quos ſancta Tridentina Synodus ſuſcepit, & pro Canonicis ſuſcipiendos decreuit, ſepoſiti ſunt, ne prorſus interirent, quippe qui à nonnullis ſanctis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Biblijs Latinis tam manuſcriptis, quam impreſſis reperiuntur.

ORATIO MANASSÆ

REGIS IVDA,

CVM CAPTVS TENERETVR IN BABYLONE.

DOMINE omnipotens Deus patrum noſtrorum, Abraham, & Iſaac, & Iacob, & ſeminis eorum iuſti, qui feciſti cœlum & terram cum omni ornatu eorum, qui ligaſti mare verbo præcepti tui, qui concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pauent, & tremunt à vultu virtutis tuæ, quia importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ, & inſuſtentabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores: immenſa vero & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ: quoniam tu es Dominus, altiſſimus, benignus, longanimis, & multum miſericors, & pœnitens ſuper malitias hominum. Tu Domine, ſecundum multitudinem bonitatis tuæ promiſiſti pœnitentiam, & remiſſionem ijs, qui peccauerunt tibi, & multitudine miſerationum tuarum decreuiſti pœnitentiam peccatoribus, in ſalutem; tu igitur Domine Deus iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham, & Iſaac, & Iacob, ijs qui tibi non peccauerunt: ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccaui ſuper numerum arenæ maris: multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum. incuruatus ſum multo vinculo ferreo, vt non poſſim attollere caput meum, & non eſt reſpiratio mihi: quia excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci: non feci voluntatem tuam, & mandata tua non cuſtodiui: ſtatui abominationes, & multiplicaui offenſiones. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem. Peccaui Domine, peccaui, & iniquitates meas agnoſco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reſerues mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus inquam, pœnitentium: & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

LIBER ESDRAE TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

ET fecit Iosias Pascha in Ierosolymis Domino, & immolauit Phase quarta decima luna primi mensis:

2 Statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini.

3 Et dixit Leuitis sacris seruis Israel, vt sanctificarent se Domino in positione sanctæ arcæ Domini, in domo, quam ædificauit Salomon filius Dauid rex.

4 Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc deseruite Domino vestro, & curam agite gentis illius Israel ex parte secundum pagos & tribus vestras,

5 Secundum scripturam Dauid regis Israel, & secundum magnificentiam Salomonis filij eius, omnes in templo, & secundum particulam principatus paternam vestram eorum, qui stant in conspectu fratrum filiorum Israel.

6 Immolate Pascha, & sacrificia parate fratribus vestris, & facite secundum præceptum Domini quod datum est Moysi.

7 Et donauit Iosias in plebem, quæ inuenta est, ouium, agnorum, & hœdorum, & caprarum triginta millia, vitulos tria millia.

8 Hæc de regalibus data sunt secundum promissionem populo: & sacerdotibus in Pascha, oues numero duo millia, ac vituli centum.

9 Et Iechonias, & Semeias & Nathanael fratres, & Hasabias, & Oziel, & Coraba in Phase, oues quinque millia, vitulos quingentos;

10 Et hæc cum fierent eleganter, steterunt Sacerdotes, & Leuitæ habentes azyma per tribus.

11 Et secundum partes principatus patrum in conspectu populi offerebant Domino, secundum ea quæ in libro Moysi scripta sunt:

12 Et assauerunt Phase igni prout oportebat: & hostias coxerunt in emolis. & in ollis cum beneuolētia:

13 Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe: & post hæc parauerunt sibi sacerdotibus:

14 Sacerdotes enim offerebant adipes, vsque dum finita esset hora: & Leuitæ parauerunt sibi, & fratribus suis, filiis Aaron.

15 Et sacri cantores filij Asaph erant per ordinem secundum præceptum Dauid, & Asaph, & Zacharias, & Ieddimus, qui erat à rege.

16 Et ostiarij per singulas ianuas, ita vt non præuaricaretur vnusquisque suam: fratres enim illorum parauerunt illis.

17 Et consummata sunt quæ pertinebant ad sacrificium Domini.

18 In illa die egerunt Phase, & offerebant hostias super Domini sacrificium secundum præceptum regis Iosiæ,

19 Et egerunt filij Israel, qui inuenti sunt in tempore illo, Phase: & diem festum azymorum per dies septem:

20 Et non est celebratum Phase tale in Israel, à temporibus Samuelis prophetæ:

21 Et omnes reges Israel non celebrauerunt tale Pascha quale egit Iosias, & Sacerdotes, & Leuitę, & Iudæi, & omnis Israel, qui inuenti sunt in commemoratione Ierosolymis.

22 Octauo decimo anno, regnante Iosia celebratum est Phase.

23 Et directa sunt opera Iosiæ in conspectu Domini sui in corde pleno metuentis:

24 Et quæ circa illum quidem conscripta sunt, in pristinis temporibus de eis, qui peccauerunt, quique irreligiosi fuerunt [illegible]ominum præ omni gente, & qui non quæsierunt verba Domini super Israel.

25 Et post omnem actum hunc Iosiæ, ascendit Pharao rex Aegypti, veniens in Charcamis ab itinere super Euphratem, & exiit obuiam illi Iosias.

26 Et misit rex Ægypti ad Iosiam, dicens: Quid mihi & tibi est rex Iudæ?

27 Non sum missus à Domino vt pugnem contra te: super Euphratem enim bellum meum est, festinans descende.

28 Et non est reuersus Iosias super currum: sed expugnare eum conabatur non attendens verbum prophetæ ex ore Domini:

29 Sed constituit ad eum bellum in campo Mageddo. Et descenderunt principes ad regem Iosiam.

30 Et dixit rex pueris suis, Amouete me à prælio, infirmatus sum enim valde. Et statim amouerunt eum pueri ipsius de acie.

31 Et ascendit super currum secundarium suum: & perueniens Ierosolymam, vita functus est, & sepultus est in paterno sepulchro.

32 Et in tota Iudæa lugebant Iosiam: & qui præsidebant, cum vxoribus lamentabant eum vsque in hunc diem. Et datum est hoc fieri semper in omne genus Israel.

33 Hæc autem præscripta sunt in libro historiarum regum Iudæ; & singula gesta actus Iosiæ, & eius gloria & intellectus eius in lege Domini: quæque gesta sunt ab eo, & quæ non scripta sunt in libro regum Israel & Iudæ:

34 Et assumentes, qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ, constituerunt regem pro Iosia patre suo, cum esset annorum trigintatrium.

35 Et regnauit super Israel mensibus tribus. Et amouit eum rex Aegypti, ne regnaret in Ierosolymis.

36 Et mulctauit gentem argenti talenta centum, & auri talentum vnum.

37 Et constituit rex Aegypti Ioacim fratrem ipsius, regem Iudæ, & Ierusalem:

38 Et alligauit magistratus Ioacim, & Zaracelem fratrem suum, & apprehendens reduxit in Aegyptum.

39 Annorum erat Ioacim vigintiquinque, cum regnare cæpisset in terra Iuda & Ierusalem: & fecit malum in conspectu Domini.

40 Post hunc autem ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam:

Vulgat. Editio.

41 Et sacra vasa Domini accepit Nabuchodonosor, & tulit & consecrauit in templo suo in Babylonia.

42 Nam de immunditia illius,& irreligiositate scriptum est in libro temporum regum.

43 Et regnauit Ioachim filius eius pro eo.Cum autem constitutus esset rex erat annorum decem & octo.

44 Regnauit autem menses tres, & dies decem in Ierusalem,& fecit malum in conspectu Domini:

45 Et post annum mittensNabuchodonosor,transmigrauit eum in Babyloniam simul cum sacris vasis Domini.

46Et cõstituit Sedeciam regem Iuda,& Ierusalem, cum esset annorum viginti vnius : regnauit autem annis vndecim.

47 Et fecit malum in conspectu Domini,& non est veritus à verbis, quæ dicta sunt ab Ieremia propheta ex ore Domini:

48 Et adiuratus à rege Nabuchodonosor, periurans discessit : & indurata ceruice sua, & corde suo, transgressus est legitima Domini Dei Israel.

49 Et duces populi Domini multa inique gesserunt, & impie egerunt super omnes immunditias gentium:& polluerunt templum Domini quod sanctum erat in Ierosolymis.

50 Et misit Deus patrum ipsorum per angelum suum reuocare eos,propter quod parceret illis, & tabernaculo suo.

51 Ipsi vero subsannabant in angelis suis:& qua die locutus est Dominus,erant illudentes prophetis eius.

52 Qui vsque ad iracundiam concitatus est super gentem suam propter irreligiositatem suam,& præcepit ascendere reges Chaldæorum.

53 Hi occiderunt iuuenes eorum in gladio in circuitu sancti templi eorum, & non pepercerunt iuueni,& seni,& virgini,& adolescenti:

54 Sed omnes traditi sunt in manus ipsorum : & omnia sacra vasa Domini, & regales apothecas resumentes,tulerunt in Babyloniam,

55 Et incenderunt domum Domini, & demolierunt muros Ierusalem : & turres eius incenderunt igne,

56 Et consummauerunt omnia honorifica eius, & ad nihilum redegerunt,& reliquos à gladio duxerunt in Babylonem.

57 Et erant serui illius vsque dum regnarent Persæ in repletione verbi Domini in ore Ieremiæ:

58 Quousque benigne ageret terra sabbata sua,omni tempore desertionis suæ sabbatizauit in applicatione annorum septuaginta septem.

CAP. II.

REgnante Cyro rege Persarum in consummatione verbi Domini in ore Ieremiæ,

2 Suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & prædicauit in toto regno suo simul per scripturam,

3 Dicens:Hæc dicit Cyrus rex Persarum : Me constituit regem orbis terrarum Dominus Israel, Dominus excelsus,

4 Et significauit mihi ædificare domum sibi in Ierusalem,quæ est in Iudæa.

5 Si quis est ex genere vestro,dominus ipsius ascendat cum eo in Ierusalem.

6 Quotquot ergo circa loca habitant adiuuent eos qui sunt in loco ipso, in auro & argento,

7 In dationibus cum equis & iumentis, cumque aliis quæ secundum vota apponuntur in ædem Domini quæ est in Ierusalem.

Vulgat. Editio.

8 Et stantes principes tribuum,pagorum, & Iudææ ex tribu Beniamin, & Sacerdotes & Leuitæ,quos excitauit Dominus ascendere & ædificare Domum Domini quæ est in Ierusalem , & qui erant in circuitu eorum,

9 Adiuuerunt in omni auro & argento eius, & iumentis, & votis compluribus multi quorum sensus excitatus est.

10 Et Cyrus rex protulit vasa sacra Domini, quæ transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Ierusalem,& consecrauit ea idolo suo.

11 Et proferens ea Cyrus rex Persarum tradidit Mithridato qui erat super thesauros ipsius:

12 Per hunc autem tradita sunt Salmanasaro præsidi Iudææ.

13 Horum autem hic numerus:Libatoria argentea duo millia quadringenta, athiscæ argenteæ triginta: phialæ aureæ triginta,item argenteæ duo millia quadringentæ,& alia vasa mille.

14 Omnia autem vasa aurea & argentea, quinque millia octingenta sexaginta.

15 Et enumerata sunt Salmanasaro simul cum his qui ex captiuitate Babyloniæ venerant in Ierosolymam.

16 In Artaxerxis autem regis Persarum temporibus scripserunt ei de his qui habitabant in Iudæa, & Ierusalem,Balsamus,& Mithridatus, & Sabellius, & Rathimus,Balthemus,Samelius Scriba,& reliqui habitantes in Samaria,& cæteris locis subiectam epistolam regi Artaxerxi.

17 DOMINE, pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius scriba, & reliqui curiæ tuæ iudices in Cœlesyria, & Phœnice.

18 Et nunc notum sit domino regi, quoniam Iudæi qui ascenderunt à vobis ad nos, venientes in Ierusalem ciuitatem refugam & pessimam, ædificant furnos eius,& statuunt muros,& templum suscitant.

19 Quod si ciuitas ista, & muri consummati fuerint, non tantum tributa non sustinebunt pendere, sed etiam regibus resistent.

20 Et quia id agitur circa templum, recte haberi arbitrati sumus non despicere hoc ipsum:

21 Sed notum facere Domino regi,vt si videbitur, rex quæratur in libris patrum tuorum,

22 Et inuenies in admonitionibus scripta de his,& scies quoniam ciuitas ista fuit refuga,& reges,& ciuitates concutiens,

23 Et Iudæi refugæ, & prælia committentes in ea ab æterno,ob quam causam ciuitas ista deserta est.

24 Nunc ergo notum facimus, Domine rex, quoniam si ciuitas hæc ædificata fuerit, & huius muri erecti fuerint,descensus tibi non erit in Cœlesyriam, & Phœnicem:

25 Tunc scripsit rex Rathimo, qui scribebat accidentia,& Rathemo,& Sabellio scribæ, & cæteris constitutis,& habitantibus in Syria, & Phœnice, ea quæ subiecta sunt.

26 LEGI epistolam quam misistis mihi. Præcepi ergo inquiri & inuentum est,quoniam ciuitas illa est ab æuo regibus resistens,

27 Et homines refugæ,& prælia in ea efficientes, & reges fortissimi erant in Ierusalem dominantes, & tributa exigentes à Cœlesyria,& Phœnice.

28 Nunc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare ciuitatem, & prohibere ne quid vltra hæc fiant:

29 Sed nec procedant in plurimum, ex quo sunt malitiæ,ita vt regibus molestia importetur.

30 Tunc recitatis his quæ à rege Artaxerxe scripta fuerant,Rathimus, & Sabellius scriba,& qui cum his

constituti

Vulgat. Editio.

constituti erant,iungentes festinanter venerunt in Ierusalem cum equitatu,& turba & agmine:

31 Cœperuntque ædificantes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in Ierusalem, vsque in secundo anno regni Darij regis Persarum.

CAP. III.

REx Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis,

2 Et omnibus purpuratis,& prætoribus,& consulibus, & præfectis sub illo ab India vsq; Aethiopiam, centum viginti septem prouinciis.

3 Et cum manducassent,& bibissent, & satiati reuerterentur,tunc Darius rex ascendit in cubiculum suum,& dormiuit,& experg-factus est.

4 Tunc illi tres iuuenes corporis custodes qui custodiebant corpus regis,dixerunt alter alteri:

5 Dicamus vnusquisque nostrum sermonem qui præcellat:& cuiuscumque apparuerit sermo sapientior alterius,dabit illi rex Darius dona magna,

6 Purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire,& currum aureo fræno, & cydarim byssinam,& torquem circa collum:

7 Et secundo loco sedebit à Dario propter sapientiam suam,& cognatus Darij vocabitur.

8 Tunc scribentes singuli suum verbum signauerunt,& posuerunt subtus ceruical Darij regis,

9 Et dixerunt: Cum surrexit rex, dabimus illi scripta nostra:& quodcumque iudicauerit rex è tribus, & magistratus Persidis, quoniam verbum eius sapientius est, ipsi dabitur victoria sicut scriptum est.

10 Vnus scripsit,Forte est vinum.

11 Alius scripsit,Fortior est rex.

12 Tertius scripsit,Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

13 Et cum surrexisset rex, acceperunt scripta sua, & dederunt illi,& legit.

14 Et mittens vocauit omnes magistratus Persarũ,& Medos,& purpuratos,& prætores,& præfectos:

15 Et sederunt in concilio:& lecta sunt scripta coram ipsis.

16 Et dixit:Vocate adolescentes,& ipsi indicabunt verba sua.Et vocati sunt,& introierunt.

17 Et dixit illis: Indicate nobis de his quæ scripta sunt.Et cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini,

18 Et dixit:Viri,quam præualet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud! seducit mentem.

19 Itemque regis & orphani facit mentem vanam.Item serui ac liberi,pauperis ac diuitis,

20 Et omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem,& non meminit omnem tristitiam & debitum,

21 Et omnia præcordia facit honesta, & non meminit regem,nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit.

22 Et non meminerunt, cum biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum post sumunt gladios.

23 Et cum à vino merserint, & surrexerint, non meminerunt,quæ gesserunt.

24 O viri,num præcellit vinum? quis sic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

CAP. IIII.

ET inchoauit sequens dicere,qui dixit de fortitudine regis.

Vulgat. Editio.

2 O viri,num præcellunt homines,qui terram,& mare obtinent,& omnia quæ in eis sunt?

3 Rex autem super omnia præcellit,& dominatur eorum:& omne quodcumque dixerit illis,faciunt.

4 Et si miserit illos ad bellatores,vadunt,& demoliuntur montes, & muros,& turres.

5 Iugulantur, & iugulant, & regis verbum non prætererunt. nam si vicerint, afferunt regi omnia quæcumque prædati fuerint.

6 Similiter & alij omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, sed colunt terram: rursum cum fuerint metentes,afferunt tributa regi;

7 Et ipse vnus solus si dixerit occidite, occidunt: dixerit remittite,remittunt:

8 Dixerit percutite,percutiunt: dixerit exterminate,exterminant:dixerit ædificate,ædificant:

9 Dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant:

10 Et omnis plebs,& virtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit,& bibit,& dormit.

11 Hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli,& facere opera sua,sed in dicto obaudientes sunt ei.

12 Viri,quomodo non præcellit rex qui sic diffamatur? Et tacuit.

13 Tertius qui dixerat de mulieribus, & veritate,hic est Zorobabel,cœpit loqui

14 Viri nõ magnus rex,& multi homines,nec vinum præcellit. Quis est ergo qui dominatur eorum?

15 Nonne mulieres genuerunt regem, & omnem populum,qui dominatur mari,& terræ:

16 Et ex illis nati sunt, & ipsæ educauerunt eos, qui plantauerunt vineas ex quibus vinum fit?

17 Et ipsæ faciunt stolas omnium hominum, & ipsæ faciunt gloriam hominibus,& non possunt homines separari à mulieribus.

18 Si congregauerint aurum,& argentum,& omnem rem speciosam, & viderint mulierem vnam bono habitu,& bona specie,

19 Omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt,& eam alliciunt magis quam aurum,& argentũ,& omnem rem pretiosam.

20 Homo patrem suum relinquit qui enutriit illum, & suam regionem, & ad mulierem se coniungit.

21 Et cum muliere remittit animam:& neque patrem meminit,neque matrem,neque regionem.

22 Et hinc oportet vos scire: quoniam mulieres dominantur vestri.Nonne doletis?

23 Et accipit homo gladiũ suũ,& vadit in viã facere furta,& homicidia,& mare nauigare,& flumina,

24 Et leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili suæ affert.

25 Et iterum, diligit homo vxorem suam magis quam patrem,aut matrem.

26 Et multi dementes facti sunt propter vxores suas,& serui facti sunt propter illas:

27 Et multi perierunt, & iugulati sunt,& peccauerunt propter mulieres.

28 Et nunc credite mihi, quia magnus est rex in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum.

29 Videbam tamen Apemen filiam Bezacis mirifici concubinam regis, sedentem iuxta regem ad dexteram,

30 Et auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cædebat regem de sinistra manu.

31 Et super hæc aperto ore intuebatur eam: & si

Vulgat. Editio.

arriſerit ei,ridet. nam ſi indignata ei fuerit, blanditur,donec reconcilietur in gratiam.

32 O viri,cur non ſunt fortiores mulieres? Magna eſt terra:& excelſum eſt cœlum:quis iſta agit?

33 Et tunc rex & purpurati intuebantur in alter-vtrum.Et inchoauit loqui de veritate.

34 O viri, nonne fortes ſunt mulieres? Magna eſt terra, & excelſum eſt cœlum: & velox curſus ſolis conuertit in gyro cœlum in locum ſuum invna die.

35 Nonne magnificus eſt qui hæc facit, & veritas magna,& fortior præ omnibus?

36 Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam,& non eſt cum ea quicquam iniquum.

37 Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non eſt in ipſis veritas, & in ſua iniquitate peribunt:

38 Et veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit & obtinet in ſæcula ſæculorum.

39 Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias: ſed quæ iuſta ſunt facit omnibus iniuſtis, ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius.

40 Et non eſt in iudicio eius iniquum, ſed fortitudo,& regnum, & poteſtas, & maieſtas omnium ætuorum.Benedictus Deus veritatis.

41 Et deſiit loquendo. Et omnes populi clamauerunt,& dixerunt,Magna eſt veritas,& præualet.

42 Tunc rex ait illi,Pete,ſi quid vis amplius,quam quæ ſcripta ſunt, & dabo tibi, ſecundum quod inuentus es ſapientior proximis,& proximus mihi ſedebis,& cognatus meus vocaberis.

43 Tunc ait regi,Memor eſto voti tui, quod vouiſti,ædificare Ieruſalem, in die qua regnum accepiſti:

44 Et omnia vaſa,quæ accepta ſunt ex Ieruſalem, remittere, quæ ſeparauit Cyrus, quando mactauit Babyloniam,& voluit remittere ea ibi.

45 Et tu vouiſti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata eſt Iudæa à Chaldæis.

46 Et nunc hoc eſt quod poſtulo Domine,& quod peto,hoc eſt,maieſtas,quod à te poſtulo,vt facias votum,quod vouiſti regi cœli ex ore tuo.

47 Tunc ſurgens Darius rex oſculatus eſt illum: & ſcripſit epiſtolas ad omnes diſpenſatores, & præfectos,& purpuratos, vt deducerent eum, & eos qui cum illo erant, omnes aſcendentes ædificare Ieruſalem.

48 Et omnibus præfectis, qui erant in Syria, & Phœnice,& Libano ſcripſit epiſtolas, vt traherent ligna cedrina à Libano in Ieruſalem, vt ædificarent cum eis ciuitatem.

49 Et ſcripſit omnibus Iudæis, qui aſcendebant à regno in Iudæam pro libertate,omnem potentem, & magiſtratum, & præfectum non ſuperuenire ad ianuas ipſorum,

50 Et omnem regionem quam obtinuerant immunem eſſe eis, & Idumæi relinquant caſtella, quæ obtinent Iudæorum,

51 Et in ſtructuram templi dare per ſingulos annos talenta viginti,vſque dum perædificaretur:

52 Et ſuper ſacrarium holocauſtomata vſtulare quotidie,ſicut habent præceptum:alia talenta decem offerre per ſingulos annos,

53 Et omnibus qui procedunt à Babylonia condere ciuitatem:vt eſſet libertas, tam ipſis, quam filiis eorum,& omnibus ſacerdotibus,qui præcedunt:

54 Scripſit autem & quantitatem, & ſacram ſtolam iuſſit dari,in qua deſeruirent;

Vulgat. Editio.

55 Et Leuitis ſcripſit dare præcepta,vſque in diem qua conſummabitur domus,&Ieruſalem extruetur:

56 Et omnibus cuſtodientibus ciuitatem ſcripſit dari ei ſortes,& ſtipendia.

57 Et dimiſit omnia vaſa quæcumque ſeparauerat Cyrus à Babylonia, & omnia quæcumque dixit Cyrus,& ipſe præcepit fieri, & mitti Ieruſalem.

58 Et cum proceſſiſſet ille adoleſcens, eleuans faciem in Ieruſalem,benedixit regem cœli,

59 Et dixit,Abs te eſt victoria, & abs te eſt ſapientia,& claritas.Et ego ſeruus tuus ſum.

60 Benedictus es qui dediſti mihi ſapientiam,& tibi confitebor Domine Deus patrum noſtrorum.

61 Et accepit epiſtolas, & profectus eſt in Babyloniam. Et venit, & nunciauit fratribus ſuis omnibus qui fuerunt in Babylonia:

62 Et benedixerunt Deum patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem,& refrigerium,

63 Vt aſcenderent, & ædificarent Ieruſalem, & templum vbi nominatum eſt nomen eius in ipſo, & exultauerunt cum muſicis, & lætitia diebus ſeptem.

CAP. V.

POſt hæc autem electi ſunt,vt aſcenderent principes pagorum per domos,& tribus ſuas, & vxores illorum, & filij, & filiæ eorum,& ſerui,& ancillæ ipſorum,& pecora eorum.

2 Et Darius rex miſit vna cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ieruſalem cum pace;& cum muſicis,& cum tympanis,& tibiis.

3 Et omnes fratres erant ludentes, & fecit eos aſcendere ſimul cum eis.

4 Et hæc ſunt nomina virorum, qui aſcenderunt per pagos ſuos in tribus,& in partem principatus ipſorum.

5 Sacerdotes: Filij Phinees,filij Aaron, Ieſus filius Ioſedec,Ioacim filius Zorobabel,filij Salathiel de domo Dauid,ex progenie Phares,de tribu Iuda,

6 Qui locutus eſt ſub Dario rege Perſarum ſermones mirificos in ſecundo anno regni ipſius menſe Niſan primo.

7 Sunt autem hi, qui aſcenderunt ex Iudæa de captiuitate tranſmigrationis, quos tranſmigrauit Nabuchodonoſor rex Babyloniæ in Babylonem, & reuerſus eſt in Ieruſalem.

8 Et requiſiuit partem Iudææ vnuſquiſque in ciuitatem ſuam,qui venerunt cum Zorobabel, & Ieſu, Nehemias, Areores,Elimeo,Emmanio,Mardocheo, Beelſuro,& Mechpſatochor,Olioro.Emonia vnus de principibus eorum.

9 Et numerus à gentilibus eorum, ex præpoſitis eorum filij Phares, duo millia centum ſeptuaginta duo:

10 Filij Ares tria millia centum quinquaginta ſeptem:

11 Filij Phœmo centum quadraginta duo:in filiis Ieſu,& Ioabes,mille trecenti duo:

12 Filij Demu, duo millia quadringenti ſeptuaginta:filij Choraba,ducentiquinque:filij Banica,centum ſexaginta octo:

13 Filij Bebech, quadringenti tres: filij Archad, quadringenti viginti ſeptem:

14 Filij Cham, triginta ſeptem: filij Zoroar, duo millia ſexaginta ſeptem: filij Adin, quadringenti ſexaginta vnus;

15 Filij Aderectis,centum octo:filij Ciaſo,& Zelas, centum ſeptem: filij Azoroc, quadringenti triginta nouem:

16 Filij

Vulgat. Editio.

16 Filij Iedarbone,centum triginta duo : filij Ananiæ,centum triginta:filij Asoni,nonaginta:

17 Filij Marsar,quadringenti viginti duo: filij Zabarus nonagintaquinque : filij Sepolemon, centum viginti tres:

18 Filij Nepopas, quinquagintaquinque : filij Nechanatos,centum quinquaginta octo : filij Cebethamus,centum triginta duo:

19 Filij Crearpatros,qui Enocadies,&Modiæ,quadringenti viginti tres:qui ex Gramas,& Gabea, centum viginti vnus;

20 Qui ex Besselon, & Ceagge,sexagintaquinque: qui ex Bastaro,centum vigintiduo:

21 Qui ex Bechen obes,quinquagintaquinque:filij Labonni,trecenti qui nquagintaseptem;

22 Filij Sichem,trecenti septuaginta:filij Suadon,& Cliomus,trecenti septuagintaocto:

23 Filij Ericus, duo millia centum quadragintaquinque:filij Anaas,trecenti septuaginta Sacerdotes:

24 Filij Ieddus,filij Euther,filij Eliasib, trecenti septuagintaduo : filij Emerus, ducenti quinquagintaduo:

25 Filij Phasurij,trecenti quiquagintaseptem: filij Caree,ducenti viginti septem.

26 Leuitæ:Filij Iesu in Caduhel,& Bamis, & Serebias,& Edias,septuagintaquatuor. omnis numerus à duodecimo anno, triginta millia quadringenti sexagintaduo,

27 Filij,& filiæ,& vxores,omnis computatio,quadraginta millia ducenti quadragintaduo.

28 Filij sacerdotum, qui psallebant in templo : filij Asaph,centum vigintiocto.

29 Ostiarij vero:filij Esmenni,filij Azer, filij Ammon,filij Accuba,Topa filij Tobi,omnes centum trigintanouem.

30 Sacerdotes seruientes in templo : filij Sel, filij Gaspha,filij Tobloch,filij Cariæ,filij Su, filij Hellu,filij Labana, filij Armacha, filij Accub, filij Vtha, filij Cetha,filij Aggab,filij Obai,filij Anani,filij Canna,filij Geddu,

31 Filij An,filij Radin, filij Desanon,filij Nachoba, filij Caseba,filij Gaze,filij Ozui,filij Sinone, filij Attre,filij Hasten,filij Asiana,filii Manei,filij Nasiffim,filij Accusu, filij Agista,filij Azui,filij Fauon,filij Phasalon,

32 Filij Meeda,filij Phusa,filij Caree,filij Barcus,filij Saree,filij Coeli,filij Nasith,filij Agisti, filij Pedon,

33 Salomon filij eius,filij Asophot,filij Phasida,filij Celi,filij Dedon,filij Gaddahel,filij Sephegi,

34 Filij Aggia, filij Sachareth, filij Sabathen, filij Caroneth, filij Malsith, filij Amæ, filij Sasus, filij Addus,filij Suba, filij Eura, filij Rahotis, filij Phasphat,filij Malmon.

35 Omnes sacro seruientes, & pueri Salomonis, quadringenti octogintaduo.

36 Hi sunt filij qui ascenderunt à Thelmela, Telharsa:principes eorum,Carmellam,& Careth:

37 Et non poterant edicere ciuitates suas, & progenies suas, quemadmodum sint ex Israel. Filij Dalari,filij Tubal,filij Nechodaici,

38 Ex sacerdotibus,qui fungebantur sacerdotio:& non sunt inuenti filij Obia, filij Achisos,filij Addin, qui accepit vxorem ex filiabus Phargeleu:

39 Et vocati sunt nomine eius, & horum quæsita est generis scriptura in prædatura, & non est inuenta, & prohibiti sunt sacerdotio fungi.

40 Et dixit illis Nehemias, & Attharas, Ne participentur sancta, donec exurgat Pontifex doctus in ostensionem, & veritatem.

41 Omnis autem Israel erat exceptis seruis, & ancillis, quadraginta duo millia trecenti quadraginta.

42 Serui horum,& ancillæ,septem millia, trecenti triginta septem. Cantores, & cantatrices, ducenti sexagintaquinque.

43 Cameli, quadringenti trigintaquinque. Equi septem millia trigintasex.Muli,ducenta millia quadragintaquinque.Subiugalia, quinque millia vigintiquinque.

44 Et de præpositis ipsis per pagos, dum venirent in templum Dei,quod erat in Ierusalem,innouare,& suscitare templum in loco suo, secundum suam virtutem:

45 Et dari in templum thesaurum operum sacrum auri mnas duodecim millia, & mnas argenti quinque millia,& stolas sacerdotales centum.

46 Et habitauerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & qui exierant de plebe in Ierusalem,& in regione, & sacri cantores, & ostiarij, & omnis Israel in regionibus suis.

47 Instante autem septimo mense, cumque essent filij Israel vnusquisque in suis rebus, conuenerunt vnanimes in atrium,quod erat ante ianuam Orientalem.

48 Et stantes Iesus filius Iosedech, & fratres eius sacerdotes,& Zorobabel filius Salathiel,& huius fratres,parauerunt altare,

49 Vt offerrent super illud holocaustomata, secundū quæ in libro Moysi hominis Dei scripta sunt,

50 Et conuenerunt ibi ex aliis nationibus terræ,& erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terræ,& offerebant hostias & holocaustomata Domino matutina.

51 Et egerunt scenopegiam, & diem solemnem, sicut præceptum est in lege:& sacrificia quotidie,sicut oportebat:

52 Et post hæc oblationes institutas,& hostias sabbatorum, & neomeniarum, & dierum solemnium omnium sanctificatorum.

53 Et quotquot vouebant Domino à neomenia septimi mensis, cœperunt hostias offerre Deo, & templum Domini nondum erat ædificatum.

54 Et dederunt pecuniam lapidariis, & fabris, & potum,& pabula cum gaudio.

55 Et dederunt carra Sidoniis,& Tyriis,vt transuehérent illis de Libano trabes cedrinas,& facerent rates in Ioppe portu, secundum decretum quod scriptum erat eis à Cyro rege Persarum.

56 Et in secundo anno venientes in templum Dei in Ierusalem,mense secundo inchoauit Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & fratres ipsorum,& sacerdotes,& Leuitæ,& omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem:

57 Et fundauerunt templum Dei nouilunio secundi mensis secundi anni cum venissent in Iudæam,& Ierusalem.

58 Et statuerunt Leuitas à viginti annis, super opera Domini:& stetit Iesus, & filius eius, & fratres omnes Leuitæ conspirantes, & executores legis, facientes opera in domo Domini.

59 Et steterunt sacerdotes habentes stolas cum tubis:& Leuitæ filij Asaph,habentes cymbala,

60 Collaudentes Dominum, & benedicentes secundum Dauid regem Israel.

61 Et cantabant canticum Domino,quoniam dulcedo eius,& honor in sæcula super omnem Israel.

62 Et omnis populus tuba cecinerunt, & proclamauerunt voce magna, collaudentes Dominum in suscitatione domus Domini.

63 Et venerunt ex sacerdotibus,& Leuitis,& præ-

Vulgat. Editio.

sidentibus secundum pagos senioribus,qui viderant pristinam domum.

64 Et ad huius ædificationem cum clamore,& plăctu magno,& multi cum tubis,& gaudio magno:

65 In tantum vt populus non audiret tubas propter planctum populi. Turba enim erat tubis canens magnifice,ita vt longe audiretur.

66 Et audierunt inimici tribus Iudæ,& Beniamin, & venerunt scire quæ esset vox turbarum.

67 Et cognouerunt quoniam qui erant ex captiuitate,ædificant templum Domino Deo Israel.

68 Et accedentes ad Zorobabel, & Iesũ,præpositos pagorum,dixerũt eis, Aedificabimus vna vobiscum:

69 Similiter enim audiuimus Dominum vestrum, & ipsi pariter incedimus à diebus Asbazareth regis Assyriorum,qui transmigrauit nos huc.

70 Et dixit illis Zorobabel,& Iesus,& principes pagorum Israel,

71 Non est nobis, & vobis ædificare domum Dei nostri.nos enim soli ædificabimus Domino Israel secundum ea, quæ præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

72 Gentes autem terræ incumbentes his qui sunt in Iudæa,& leuantes opus ædificationis,& insidias,& populos adducentes prohibebant eos ædificare,

73 Et aggressuras exercentes impedierunt,ne consummaretur ædificium omni tempore vitæ Cyri regis,& protraxerunt structuram per biennium vsque ad Darij regnum.

CAP. VI.

IN secundo autem anno regni Darij prophetauit Aggæus, & Zacharias filius Addin prophetæ apud Iudæam,& Ierusalem in nomine Dei Israel super eos.

2 Tunc stans Zorobabel filius Salathiel,& Iesus filius Iosedec, inchoauerunt ædificare domum Domini,quæ est in Ierusalem:

3 Cum adessent eis prophetæ Domini, & adiuuarent eos.In ipso tempore venit ad illos Sisennes subregulis Syriæ,& Phœnicis,& Satrabuzanes,& sodales eius,

4 Et dixerunt eis. Quo præcipiente vobis domum hanc ædificatis, & tectum istud, & alia omnia perficitis?& qui sunt structores,qui hæc ædificant.

5 Et habuerunt gratiam visitatione facta super eos,qui erant ex captiuitate à Domino seniores Iudæorum.

6 Et non sunt impediti ædificare, donec significaretur Dario de omnibus istis, & responsum acciperetur.

7 Exemplum epistolæ,quam miserunt Dario. SISENNES subregulus Syriæ, & Phœnicis,& Satrabuzanes, & sodales eius in Syria, & Phœnice præfides,regi Dario salutem.

8 Omnia nota sint Domino regi,quod cum venissemus in regionem Iudææ, & introissemus in Ierusalem,inuenimus ædificantes domum Dei magnam:

9 Et templum ex lapidibus politis, & magnis, & pretiosis materiis in parietibus.

10 Et opera illa instanter fieri,& suffragare,& prosperare in manibus eorum, & in omni gloria, quam diligentissime perfici.

11 Tunc interrogauimus seniores, dicentes, Quo permittente vobis ædificatis domum istam, & opera hæc fundatis?

12 Ideo autem interrogauimus eos, vt notum faceremus tibi homines, & præpositos, & nominum scripturam præpositorum postulauimus illos.

13 At illi responderunt nobis,dicentes,Nos sumus

Vulgat. Editio.

serui Domini, qui fecit cœlum, & terram;

14 Et ædificabatur hæc domus ante annos istos multos à rege Israel magno,& fortissimo,& consummata est.

15 Et quoniam patres nostri exacerbantes erant,& peccauerunt in Deum Israel, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum,

16 Et domum istam demolientes incenderunt, & populum captiuum duxerunt in Babylonem.

17 In primo anno regnante Cyro rege Babyloniæ, scripsit Cyrus rex domum hanc ædificare,

18 Et illa sacra vasa aurea, & argentea, quæ extulerat Nabuchodonosor de domo, quæ est in Ierusalem,& consecrauerat ea in suo templo, rursus protulit ea Cyrus rex de templo, quod erat in Babylonia, & tradita sunt Zorobabel,& Salmanasaro subregulo:

19 Et præceptum est eis, vt offerrent hæc vasa, & reponerent in templo,quod erat in Ierusalem, & ipsum templum Dei ædificare in loco suo.

20 Tunc Salmanasarus subiecit fundamenta domus Domini, quæ est in Ierusalem: & exinde vsque nunc ædificatur,& non accepit consummationem.

21 Nunc ergo si iudicatur à te ô rex, perquiratur, in regalibus bibliothecis Cyri regis, quæ sunt in Babylonia:

22 Et si inuentum fuerit consilio Cyri regis cœptam esse structuram domus Domini, quæ est in Ierusalem, & iudicatur à Domino rege nostro,scribat de his nobis.

23 Tunc Darius rex præcepit inquiri in bibliothecis:& inuentus est in Ecbathanis oppido, quod est in media regione locus vnus, in quo scripta erant ista:

24 ANNO primo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum Domini, quæ est in Ierusalem ædificare,vbi incendebant igni assiduo.

25 Cuius altitudo sit cubitorum decem, & latitudo cubitorum sexaginta, quadratum lapidibus politis tribus, & meniano ligneo eiusdem regionis, & meniano vno nouo, & impendia dari de domo Cyri regis:

26 Et sacra vasa domus Domini, tam aurea,quam argentea, quæ extulit Nabuchodonosor in domum Domini, quæ est in Ierusalem,vbi erant posita,vt ponantur illic:

27 Et præcepit curam agere Sisennem subregulum Syriæ,& Phœnicis,& Satrabuzanem, & sodales eius, & qui ordinati erant in Syria, & Phœnice præsides, vt abstinerent se ab eodem loco.

28 Et ego quoque præcepi in totum ædificare: & prospexi,vt adiuuent eos, qui sunt ex captiuitate Iudæorum,donec consumetur templum ædis Domini:

29 Et à vexatione tributorum Cœlesyriæ,& Phœnicis, diligenter quantitatem dari his hominibus ad sacrificium Domini, Zorobabel præfecto, ad tauros, & arietes,& agnos,

30 Similiter autem, & frumentum, & sal, & vinum, & oleum instanter per singulos annos, prout sacerdotes qui sunt in Ierusalem,dictauerunt consumi quotidie sine vlla dilatione,

31 Vt offerantur libationes summo Deo pro rege, & pueris eius,& orent pro ipsorum vita;

32 Et denuncietur, vt quicumque transgressi fuerint aliquid ex his quæ scripta sunt, aut spreuerint, accipiatur lignum de suis propriis, & suspendantur, & bona ipsorum regi ascribantur.

33 Propterea & Dominus, cuius nomen inuocatum est ibi,exterminet omnem regem, & gentem, qui manum suam extẽderit prohibere,aut male tractare domum Domini illam,quæ est in Ierusalem.

Vulgat. Editio.

34 Ego Darius rex decreui, quam diligentiſſime ſecundum hæc fieri.

CAP. VII.

TVnc Siſennes ſubregulus Cœleſyriæ, & Phœnicis,& Satrabuzanes,& ſodales obſecuti his,quæ à Dario rege erant decreta,

2 Inſiſtebant ſacroſanctis operibus diligentiſſime, cooperantes cum ſenioribus Iudæorum principibus Syriæ.

3 Et proſperata ſunt ſacroſancta opera prophetantibus Aggæo,& Zacharia prophetis.

4 Et conſummauerunt omnia per præceptum Domini Dei Iſrael,& ex conſilio Cyri,& Darij,& Artaxerxis regis Perſarum.

5 Et conſummata eſt domus noſtra vſque ad tertiam, & vigeſimam diem menſis Adar, ſexto anno Darij regis.

6 Et fecerunt filij Iſrael,& ſacerdotes,& Leuitæ, & cæteri qui erant ex captiuitate, qui appoſiti ſunt ſecundum ea,quæ ſcripta ſunt in libro Moyſi.

7 Et obtulerunt in dedicationem templi Domini, tauros centum,arietes ducentos, agnos quadringentos,

8 Et hœdos pro peccatis vniuerſi Iſrael,duodecim, ſecundum numerum tribuum Iſrael.

9 Et ſteterunt ſacerdotes, & Leuitæ amicti ſtolis per tribus ſuper omnia opera Domini Dei Iſrael ſecũdum librum Moyſi,& oſtiarij per ſingulas ianuas.

10 Et egerunt filij Iſrael cum his qui erant ex captiuitate, illud Phaſe quartadecima luna menſis primi,quando ſanctificati ſunt ſacerdotes,& Leuitæ.

11 Omnes filij captiuitatis non ſunt ſimul ſanctificati,quia Leuitæ omnes ſimul ſanctificati ſunt.

12 Et immolauerunt Phaſe vniuerſi filij captiuitatis, & fratribus ſuis ſacerdotibus, & ſibimetipſis.

13 Et manducauerunt filij Iſrael, qui erant ex captiuitate omnes qui remanſerant ab omnibus execrationibus gentium terræ quærentes Dominum,

14 Et celebrauerunt diem feſtum azymorum ſeptem diebus epulantes in conſpectu Domini,

15 Quoniam conuertit conſilium regis Aſſyriorum in eos, confortare manus eorum ad opera Domini Dei Iſrael.

CAP. VIII.

ET poſt hunc regnante Artaxerxe Perſarum rege, acceſſit Eſdras filius Azariæ,filij Helciæ, filij Salome,

2 Filij Sadoc, filij Achitob, filij Ameri,filij Azahel, filij Bocci,filij Abiſue,filij Phinees, filij Eleazari, filij Aaron primi ſacerdotis:

3 Hic Eſdras aſcendit de Babylonia, cum eſſet ſcriba,& ingenioſus in lege Moyſi, quæ data eſt à Domino Deo Iſrael docere, & facere.

4 Et dedit ei rex gloriam, quod inueniſſet gratiam in omni dignitate,& deſiderio in conſpectu eius,

5 Et aſcenderunt ſimul cum ipſo ex filiis Iſrael, & ſacerdotibus, & Leuitis, & ſacris cantoribus templi, & oſtiariis,& ſeruis templi in Ieruſalem.

6 Anno ſeptimo regnante Artaxerxe, in quinto menſe,hic annus ſeptimus eſt regni,exeuntes de Babylonia nouilunio quinti menſis,

7 Venerunt Ieroſolymam iuxta præceptum illius ſecundum proſperitatem itineris à Domino ipſorum datam eis.

8 In his enim Eſdras magnam diſciplinam obtinebat, ne prætermitteret quidquam eorum,quæ eſſent ex lege Domini, & præceptis, & docendo vniuerſum Iſrael omnem iuſtitiam,& iudicium.

9 Accedentes autem, qui ſcribebant ſcripta Artaxerxis regis tradiderunt ſcriptum, quod obuenerat ab Artaxerxe rege ad Eſdram ſacerdotem, & lectorem legis Domini,cuius exemplum ſubiectum eſt.

10 REX Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti,& lectori legis Domini ſalutem.

11 Humanior ego iudicans in beneficiis, præcepi eis,qui deſiderant ex gente Iudæorum ſua ſponte, & ex ſacerdotibus, & Leuitis, qui ſunt in regno meo, comitari tecum in Ieruſalem.

12 Si qui ergo cupiunt ire tecum, conueniant, & proficiſcantur ſicut placuit mihi, & ſeptem amicis meis conſiliariis,

13 Vt viſitent ea,quæ aguntur ſecundum Iudæam, & Ieruſalem, obſeruantes ſicut habes in lege Domini,

14 Et ferant munera Domino Deo Iſrael, quæ voui ego & amici Ieruſalem,& omne aurum, & argentum, quod inuentum fuerit in regione Babyloniæ Domino in Ieruſalem cum illo,

15 Quod eſt donatum pro ipſa gente in templum Domini eorum, quod eſt in Ieruſalem: vt colligatur hoc aurum, & argentum ad tauros, & arietes, & agnos,& hœdos,& quæ his ſunt congruentia,

16 Vt offerant hoſtias Domino ſuper altare Domini ipſorum,quod eſt in Ieruſalem.

17 Et omnia quæcumque volueris cum fratribus tuis facere auro,& argento, perfice pro voluntate tua ſecundum præceptum Domini Dei tui:

18 Et ſacroſancta vaſa, quæ data ſunt tibi ad opera domus Domini Dei tui,quæ eſt in Ieruſalem:

19 Et cætera quæcumque tibi ſubuenerint ad opera templi Dei tui,dabis de regali gazophylacio:

20 Cum volueris cum fratribus tuis facere auro, & argento,perfice ſecundum voluntatem Domini.

21 Et ego quidem rex Artaxerxes præcepi cuſtodibus theſaurorum Syriæ, & Phœnicis,vt quæcumque ſcripſerit Eſdras ſacerdos, & lector legis Domini, diligenter detur ei vſque ad argenti talenta centum,ſimiliter & auri:

22 Et vſque ad frumenti modios centum, & vini amphoras centum, & alia quæcumque abundant ſine taxatione.

23 Omnia ſecundum legem Dei fiant Deo altiſſimo,ne forte exurgat ira in regno regis,& filij,& filiorum eius.

24 Vobis autem dicitur,vt omnibus ſacerdotibus, & Leuitis, & ſacris cantoribus, & ſeruis templi, & ſcribis templi huius,

25 Nullum tributum, neque vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quiſquam poteſtatem obijcere eis quicquam.

26 Tu autem Eſdra ſecundum ſententiam Dei conſtitue iudices, & arbitros in tota Syria, & Phœnice : & omnes qui legem Dei tui non nouerunt, doce:

27 Vt quotquot tranſgreſſi fuerint legem,diligenter plectantur, ſiue morte, ſiue cruciatu, ſiue etiam pecuniæ mulctatione,vel abductione.

28 Et dixit Eſdras ſcriba:Benedictus Deus patrum noſtrorum, qui dedit hanc voluntatem in cor regis, clarificare domum ſuam,quæ eſt in Ieruſalem,

29 Et me honorificauit in conſpectu regis, & conſiliariorum,& amicorum,& purpuratorum eius.

30 Et ego conſtans animo factus ſum ſecundum opitulationem Domini Dei mei,& congregaui ex Iſrael viros,vt ſimul aſcenderent mecum.

31 Et hi ſunt præpoſiti ſecundum ſuas patrias, &

principatus

Vulgat. Editio.

principatus portionales eorum , qui mecum aſcenderunt de Babylonia in regno Artaxerxis.

32 Et ex filiis Phares , Gerſomus : ex filiis Slemarith, Amenus : filiorum Dauid , Acchus filius Sceciliæ:

33 Ex filiis Phares,Zacharias,&cum eo reuerſi ſunt viri centum quinquaginta:

34 Ex filiis ductoris Moabilionis Zaræi,& cum ipſo viri ducenti quinquaginta:

35 Ex filiis Zachues , Iechonias Zecholei , & cum ipſo viri ducenti quinquaginta:

36 Ex filiis Sala,Maaſias Gotholiæ,& cum ipſo viri ſeptuaginta:

37 Ex filiis Saphatiæ , Zarias Micheli, & cum ipſo viri octoginta:

38 Ex filiis Iob,Abdias Ieheli, & cum ipſo viri ducenti duodecim:

39 Ex filiis Baniæ , Salimoth , filius Ioſaphiæ , & cum ipſo viri centum ſexaginta:

40 Ex filiis Beer,Zacharias Bebei, & cum ipſo viri ducenti octo:

41 Ex filiis Ezead , Ioannes Eccetau , & cum ipſo viri centum decem:

42 Ex filiis Adonicam ipſis poſtremis, & hæc ſunt nomina eorum,Eliphalam filius Gebel , & Semeias, & cum ipſo viri ſeptuaginta.

43 Et congregaui eos ad fluuiū , qui dicitur Thia, & metati ſumus illic triduo , & recognoui eos.

44 Et ex filiis ſacerdotum , & Leuitarum non inueni illic.

45 Et miſi ad Eleazarum,& Eccelon , & Maſman, & Maloban,& Enaathan,& Samea, & Ioribum , Nathan , Enuagam , Zachariam , & Moſolamum ipſos ductores,& peritos:

46 Et dixi eis , vt venirent ad Loddeum , qui erat apud locum gazophylacij.

47 Et mandaui eis , vt dicerent Loddeo , & fratribus eius,& illis,qui erant in gazolaphycio, vt mitterent nobis eos qui ſacerdotio fungerentur in domo Domini Dei noſtri:

48 Et adduxerunt nobis ſecundum manum validam Domini Dei noſtri viros peritos:ex filiis Moholi,filij Leui,filij Iſrael,Sebebian,& filios, & fratres, qui erant decem & octo:

49 Asbiam , & Amin ex filiis filiorum Chananæi, & filij eorum viri viginti.

50 Et ex his qui templo ſeruiebant,quos dedit Dauid,& ipſi principes ad operationem Leuitis templo ſeruientium ducenti viginti. Omnia nomina ſignificata ſunt in ſcripturis.

51 Et voui illic ieiunium iuuenibus in conſpectu Dei,vt quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiſcum erant,& filiis,& pecoribus propter inſidias.

52 Erubui enim petere à rege pedites,& equites in comitatu , tutelæ gratia contra aduerſarios noſtros.

53 Diximus enim regi , quoniam virtus Domini erit cum eis,qui inquirunt eum in omni affectu.

54 Et iterum deprecati ſumus Dominum Deum noſtrum ſecundum hæc: quem & propitium habuimus,& compotes facti ſumus Deo noſtro.

55 Et ſeparaui ex plebis præpoſitis , & ſacerdotibus templi viros duodecim , & Sedebiam , & Aſannam , & cum eis ex fratribus eorum viros decem:

56 Et appendi eis aurum,& argentum , & vaſa ſacerdotalia domus Dei noſtri , quæ donauerat rex , & conſiliarij eius,& principes,& omnis Iſrael.

57 Et cum appendiſſem , tradidi argenti talenta centum quinquaginta , & vaſa argentea talentorum centum , & auri talenta centum ,

58 Et vaſorum aureorum ſepties viginti , & vaſa

Vulgat. Editio.

ærea de bono æramento ſplendentia,duodecim , auri ſpeciem reddentia.

59 Et dixi eis : Et vos ſancti eſtis Domino , & vaſa ſunt ſancta,& aurum,& argentum votum eſt Domino Deo patrum noſtrorum.

60 Vigilate, & cuſtodite , donec tradatis ex plebis præpoſitis,& ſacerdotibus , & Leuitis, & principibus ciuitatum Iſrael in Ieruſalem, in paſtophorio domus Dei noſtri.

61 Et hi qui ſuſceperunt ſacerdotes,& Leuitæ aurum & argentum,& vaſa , intulerunt in Ieruſalem in templum Domini.

62 Et promouimus à fluuio Thia, die duodecima menſis primi , vſquequo introiuimus in Ieruſalem.

63 Et cum factus fuiſſet tertius dies, quarta autem die ponderatum aurum & argentum traditum eſt in domo Domini Dei noſtri, Marimoth filio Iori ſacerdoti:

64 Et cum ipſo erat Eleazar filius Phinees:& erant cum ipſis Ioſadus filius Ieſu , & Medias , & Banni filius Leuitæ ad numerum,& ad pondus vniuerſa.

65 Et ſcriptum eſt pondus ipſorum eadem hora.

66 Qui autem venerunt ex captiuitate obtulerunt ſacrificium Domino Deo Iſrael , tauros duodecim pro omni Iſrael,arietes octoginta ſex,

67 Agnos ſeptuagintaduos , hircos pro peccato duodecim , & pro ſalute vaccas duodecim, omnia in ſacrificium Domini.

68 Et relegerunt præcepta regis regalibus diſpenſatoribus, & ſuis regulis Cœleſyriæ , & Phœnicis : & honorificauerunt gentem,& templum Domini.

69 Et conſummatis his acceſſerunt ad me præpoſiti , dicentes : Non ſegregauerunt genus Iſrael , & Principes,& Sacerdotes & Leuitæ,

70 Et alienigenæ gentes,& nationes terræ immunditias ſuas à Chananæis,& Hethæis,& Pherezæis , & Iebuzæis,& Moabitis,& Aegyptiis,& Idumæis.

71 Coniuncti enim ſunt filiabus eorum,& ipſi , & filij eorum , & miſtum eſt ſemen ſanctum alienigenis gentibus terræ : & participes erant præpoſiti, & magiſtratus iniquitatis eius ab initio ipſius regni.

72 Et mox,vt audiui iſta, conſcidi veſtimenta , & ſacram tunicam : & lacerans capillos capitis , & barbam,ſedi dolens,& mœſtus.

73 Et conuenerunt quotquot tunc mouebantur in verbo Domini Dei Iſrael , ad me lugentem ſuper iniquitatem iſtam, & ſedebam triſtis vſque ad ſacrificium veſpertinum.

74 Et conſurgens à ieiunio,conſciſſa habens veſtimenta,& ſacram tunicam, ingeniculans , & extendens manus ad Dominum,

75 Dicebam : Domine confuſus ſum,& reueritus ſum ante faciem tuam,

76 Peccata enim noſtra multiplicata ſunt ſuper capita noſtra,& iniquitates noſtræ exaltatæ ſunt vſque ad cœlum.

77 Quoniam à temporibus patrum noſtrorum ſumus in magno peccato vſque ad diem hunc.

78 Et propter peccata noſtra , & patrum noſtrorum ſumus traditi cum fratribus noſtris,& cum ſacerdotibus noſtris ,regibus terræ in gladium , & captiuitatem , & deprædationem cum confuſione vſque in hodiernum diem.

79 Et nunc quantum eſt hoc quod contigit nobis miſericordia abs te Domine Deus, & relinque nobis radicem,& nomen in locum ſanctificationis tuæ,

80 Detegere luminare noſtrum in domo Domini Dei noſtri,dare nobis cibum in omni tempore ſeruitutis noſtræ.

Vulgat. Editio.

81 Et cum ſeruiremus,non fuimus derelicti à Domino Deo noſtro:ſed conſtituit nos in gratia,ponens nobis reges Perſarum dare cibum.

82 Et clarificare templum Domini Dei noſtri , & ædificare deſerta Sion , dare nobis ſtabilitatem in Iudæa,& Ieruſalem.

83 Et nunc quid dicimus Domine habentes hæc? Tranſgreſſi enim ſumus præcepta tua,quæ dediſti in manus puerorum tuorum prophetarum,

84 Dicens:Quoniam terra , in quam introiſtis poſſidere hæreditatem eius , terra polluta eſt coinquinationibus alienigenarum terræ , & immunditiæ illorum repleuerunt eam totam immunditia ſua.

85 Et nunc filias veſtras non coniungetis filiis eorum,& filias eorum non accipietis filiis veſtris,

86 Et non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore, vt inualeſcentes manducetis optima terræ, & hæræditatem diſtribuatis filiis veſtris vſque in æuum.

87 Et quæ contingunt nobis , omnia fiunt propter opera noſtra maligna,& magna peccata noſtra.

88 Et dediſti nobis talem radicem , & rurſum reuerſi ſumus tranſgredi legitima tua,vti commiſceremur immunditiæ alienigenarum gentium terræ huius.

89 Nonne iraſceris nobis perdere nos,quoaduſque non relinquatur radix,& nomen noſtrum?

90 Domine Deus Iſrael,verax es.Derelicta eſt enim radix vſque in hodiernum diem.

91 Ecce , nunc ſumus in conſpectu tuo in iniquitatibus noſtris. Non eſt enim adhuc ſtare ante te in his.

92 Et cū adorando cōfiteretur Eſdras , flens, humi proſtratus ante templum , congregati ſunt ante eum ex Ieruſalem turma magna valde,viri,& mulieres,& iuuenes , & iuuenculæ. Fletus enim erat magnus in ipſa multitudine.

93 Et cum clamaſſet , Iechonias Ieheli ex filiis Iſrael , dixit Eſdræ : Nos in Dominum peccauimus, quod collocauimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ.

94 Et nunc es ſuper omnem Iſrael. In his ergo ſit iuſiurandum à Domino expellere omnes vxores noſtras,quæ ex alienigenis ſunt cum filiis earum.

95 Sicut tibi decretum eſt à maioribus ſecundum legem Domini exurgens explica.

96 Ad te enim ſpectat negocium, & nos tecum ſumus:viriliter fac.

97 Et exurgens Eſdras adiurauit principes ſacerdotum,& Leuitas, & omnem Iſrael facere ſecundum hæc,& iurauerunt.

CAP. IX.

ET exurgens Eſdras ab ante atrium templi , abiit in paſtophorium Ionathæ filij Naſabi,

2 Et hoſpitatus illic non guſtauit panem , nec aquam bibit ſuper iniquitatem multitudinis.

3 Et facta eſt prædicatio in omni Iudæa, & in Ieruſalem omnibus , qui erant ex captiuitate in Ieruſalem congregati,

4 Vt quicumque non occurrerit biduo, vel triduo diei ſecundum iudicium aſſidentium ſeniorum, tollerentur facultates ſuæ , & ipſe alienus iudicaretur à multitudine captiuitatis.

5 Et congregati ſunt omnes, qui erant ex tribu Iuda , & Beniamin in tribus diebus in Ieruſalem. hic menſis eſt nonus,dies menſis viceſimus.

Vulgat. Editio.

6 Et ſedit omnis multitudo in area templi trementes , propter hyemem præſentem.

7 Et exurgens Eſdras,dixit illis: Vos inique feciſtis collocantes vobis in matrimonium vxores alienigenas, vt adderetis ad peccata Iſrael.

8 Et nunc date confeſſionem , & magnificentiam Domino Deo patrum noſtrorum.

9 Et perficite voluntatem ipſius,& diſcedite à gentibus terræ,& ab vxoribus alienigenis.

10 Et clamauit omnis multitudo,& dixerunt voce magna:Sicut dixiſti,faciemus.

11 Sed quoniam multitudo magna eſt, & tempus hybernum,& non poſſumus inſubſidiati ſtare:& hoc opus non eſt nobis vnius diei, neque bidui , multum enim in his peccauimus:

12 Stent præpoſiti multitudinis, & omnes qui vobiſcum inhabitant,& quotquot habent vxores apud ſe alienigenas,

13 Et aſſiſtant accepto tempore ex omni loco presbyteri,& iudices vſquequo ſoluant iram Domini negotij huius.

14 Ionathas autem filius Ezieli , & Ozias Thecam ſuſceperunt ſecundum hæc : & Boſoramus, & Leuis, & Sabbathæus ſimul cooperati ſunt cum illis.

15 Et ſteterunt ſecundum hæc omnia vniuerſi, qui erant ex captiuitate.

16 Et elegit ſibi viros Eſdras ſacerdos principes magnos de patribus eorum ſecundum nomina : & conſederunt nouilunio menſis decimi examinare negotium iſtud.

17 Et determinatum eſt de viris , qui habebant vxores alienigenas , vſque ad neomeniam primi menſis:

18 Et inuenti ſunt ex ſacerdotibus permiſti , qui habebant alienigenas vxores.

19 Ex filiis Ieſu filij Ioſedec, & fratribus eius : Maſeas,& Eliozerus,& Ioribus,& Ioadeus.

20 Et iniecerunt manus , vt expellerent vxores ſuas : & ad litandum in exorationem , arietem pro ignorantia ſua.

21 Et ex filiis Semmeri:Maſeas, & Eſſes,& Ieelech, Azarias.

22 Et ex filiis Foſere : Limoſias , Hiſmaenis,& Nathanee,Iuſſio,Reddus , & Thalſas.

23 Et ex Leuitis : Iorabdus,& Semeis,& Colnis , & Calita,& Facleas,& Coluas,& Elionas.

24 Et ex ſacris cantoribus,Eliaſib,Zaccarus.

25 Et ex oſtiaris:Salumus,& Tolbanes.

26 Et ex Iſrael:ex filiis Foro,Ozi,& Remias,& Geddias,& Melchias,& Michelus , Eleazarus , & Iammebias,& Bannas.

27 Et ex filijs Iolaman : Chamas, & Zacharias , & Iezrelus,& Ioddius,& Erimoth,& Helias.

28 Et ex filiis Zathoim, Eliadas,& Liaſumus , Zochias,& Larimoth,& Zabdis,& Tebedias.

29 Et ex filiis Zebes:Ioannes,& Amanias , & Zabdias,& Emeus.

30 Et ex filiis Banni:Olamus,& Maluchus , & Ieddeus,& Iaſub,& Azabus,& Ierimoth.

31 Et ex filiis Addin : Naathus , & Mooſias , & Caleus,& Raanas,Maaſeas,Mathathias,& Beſeel,& Bonnus,& Manaſſes.

32 Et ex filiis Naue : Noneas,& Aſeas, & Melchias, & Sameas, & Simon,Beniamin, & Malchus , & Marras.

33 Et ex filiis Aſom : Carianeus , Mathathias , & Bannus,& Eliphalach,& Manaſſes,& Semei.

34 Et ex filiis Banni:Ieremias,& Moadias,& Abramus,& Iohel , & Baneas , & Pelias , & Ionas,& Marimoth,& Eliaſib & Mathaneus , & Eliaſis , & Orizas,

Vulgat. Editio.

& Dielus, & Semedius, & Zambris, & Ioſephus.

35 Et ex filiis Nobei: Idelus, & Mathathias, & Sabadus, & Zecheda, Sedmi, & Ieſſei, Baneas.

36 Omnes iſti coniunxerunt ſibi vxores alienigenas, & dimiſerunt eas cum filiis.

37 Et inhabitauerunt ſacerdotes, & Leuitæ: & qui erant ex Iſrael in Ieruſalem, & in tota vna regione nouilunio menſis ſeptimi. Et erant filij Iſrael in commorationibus ſuis.

38 Et congregata eſt omnis multitudo ſimul in aream, quæ eſt ab Oriente portæ ſacræ:

39 Et dixerunt Eſdræ pontifici, & lectori, vt afferret legē Moyſi, quæ tradita eſt à Domino Deo Iſrael.

40 Et attulit Eſdras pōtifex legem omni multitudini eorum à viro vſque ad mulierem, & omnibus ſacerdotibus audire legem nouilunio menſis ſeptimi.

41 Et legebat in area, quæ eſt ante ſacram portam templi, à prima luce vſque ad veſperam coram viris, & mulieribus. Et dederunt omnes ſenſum ad legem.

42 Et ſtetit Eſdras ſacerdos, & lector legis ſuper ligneum tribunal, quod fabricatum erat.

43 Et ſteterunt ad eum Mathathias & Samus, Ananias, Azarias, Vrias, Ezechias, & Balſamus ad dexteram:

44 Et ad ſiniſtram Faldeus, Miſael, Malachias, Abuſthas, Sabus, Nabadias, & Zacharias.

45 Et aſſumpſit Eſdras librum coram omni multitudine: præſidebat enim in gloria in conſpectu omnium.

46 Et cum abſoluiſſet legem, omnes erecti ſteterunt: & benedixit Eſdras Dominum Deum altiſſimum, Deum Sabaoth omnipotentem.

47 Et reſpondit omnis populus, Amen. Et eleuatis ſurſum manibus procidentes in terram, adorauerunt Dominum.

48 Ieſus, & Banaeus, & Sarebias, & Iaddimus, & Accubus, & Sabbathæus, & Calithes, & Azarias, & Ioradus, & Ananias, & Philias Leuitæ.

49 Qui docebant legem Domini, & in multitudine legebant legem Domini, & præferebant ſinguli eos, qui intelligebant lectionem.

50 Et dixit Atharathes Eſdræ pontifici, & lectori, & Leuitis, qui docebant multitudinem,

51 Dicens. Dies hic ſanctus eſt Domino. Et omnes flebant, cum audiſſent legem.

52 Et dixit Eſdras, Digreſſi ergo manducate pinguiſſima quæque & bibite dulciſſima quæque & mittite munera his, qui non habent.

53 Sanctus enim eſt hic dies Domini, & nolite mœſti eſſe. Dominus enim clarificabit vos.

54 Et Leuitæ denunciabant in publico omnibus, dicentes, Dies hic ſanctus eſt, nolite mœſti eſſe.

55 Et abierunt omnes manducare, & bibere, & epulari, & dare munera his, qui non habebant, vt epularentur. Magnifice enim ſunt exaltati verbis quibus edocti ſunt.

56 Et congregati ſunt vniuerſi in Ieruſalem celebrare lætitiam, ſecundum teſtamentum Domini Dei Iſrael.

FINIS LIBRI TERTII ESDRAE.

LIBER ESDRAE QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

LIber Esdræ prophetæ secundus, filii Sarei, filii Azarei, filii Helciæ, filii Sadaniæ, filii Sadoch, filii Achitob,

2 Filii Achiæ, filii Phinees, filii Heli, filii Ameriæ, filii Asiel, filii Marimoth, filii Arna, filii Oziæ, filii Borith, filii Abisei, filii Phinees, filii Eleazar,

3 Filii Aaron ex tribu Leui, qui fuit captiuus in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Persarum.

4 Et factum est verbum Domini ad me, dicens.

5 Vade, & nuncia populo meo facinora ipsorum, & filiis eorum iniquitates, quas in me admiserunt, vt nuncient filiis filiorum:

6 Quia peccata parentum ipsorum in illis creuerunt. Obliti enim mei sacrificauerunt diis alienis.

7 Nonne ego eduxi eos de terra Ægypti de domo seruitutis? Ipsi autem irritauerunt me, & consilia mea spreuerunt.

8 Tu autem excute comam capitis tui, & proiice omnia mala super illos: quoniam non obedierunt legi meæ. Populus autem est indisciplinatus.

9 Vsquequo eos sustinebo, quibus tanta beneficia contuli?

10 Reges multos propter eos subuerti. Pharaonem cum pueris suis, & omnem exercitum eius percussi.

11 Omnes gentes à facie eorum perdidi, & in Oriente prouinciarum duarum populos Tyri, & Sidonis dissipaui, & oēs aduersarios eorū interfeci.

12 Tu vero loquere ad eos, dicens: Hæc dicit Dominus:

13 Nempe ego vos per mare transmeaui, & plateas vobis initio munitas exhibui. ducem vobis dedi Moysen, & Aaron sacerdotem:

14 Lucem vobis per columnam ignis præstiti, & magna mirabilia feci in vobis: vos autem mei obliti estis, dicit Dominus.

15 Hæc dicit Dominus omnipotens: Coturnix vobis in signo fuit, castra vobis ad tutelam dedi, & illic murmuraſtis:

16 Et non triumphastis in nomine meo de perditione inimicorum vestrorum, sed adhuc nunc vsque murmuraſtis.

17 Vbi sunt beneficia, quæ præstiti vobis? Nonne in deserto cum esuriretis, proclamastis ad me,

18 Dicentes, Vt quid nos in desertum istud adduxisti interficere nos? melius nobis fuerat seruire Ægyptiis, quam mori in deserto hoc.

19 Ego dolui gemitus vestros, & dedi vobis manna in escam. Panem Angelorum manducastis.

20 Nonne cum sitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ in saturitate? propter æstus foliis arborum vos rexi.

21 Diuisi vobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philisthæos à facie vestra proieci: quid faciam vobis adhuc, dicit Dominus?

22 Hæc dicit Dominus omnipotens. In deserto cum essetis in flumine Amorrhæo sitientes, & blasphemantes nomen meum,

23 Non ignem vobis pro blasphemiis dedi, sed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen.

24 Quid tibi faciam Iacob? Noluisti obedire Iuda. Transferam me ad alias gentes, & dabo eis nomen meum, vt custodiant legitima mea.

25 Quoniam me dereliquistis, & ego vos derelinquam. Petentibus vobis à me misericordiam, non miserebor.

26 Quando inuocabitis me, ego non exaudiā vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, & pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia.

27 Non quasi me dereliquistis, sed vosipsos, dicit Dominus.

28 Hæc dicit Dominus omnipotens. Nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt nutrix paruulos suos,

29 Vt essetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem?

30 Ita vos collegi, vt gallina pullos suos sub alas suas. Modo autem quid faciam vobis? Proiiciam vos à facie mea.

31 Oblationem cum mihi attuleritis, auertam faciem meam à vobis. Dies enim festos vestros, & neomenias, & circumcisiones repudiaui.

32 Ego misi pueros meos propheras ad vos, quos acceptos interfecistis, & laniastis corpora eorum, quorum sanguinem exquiram, dicit Dominus.

33 Hæc dicit Dominus omnipotens, Domus vestra deserta est: Proiiciam vos sicut ventus stipulam,

34 Et filii procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt, & quod malum est coram me, fecerunt.

35 Tradam domos vestras populo venienti, qui me non audientes credunt: quibus signa non ostendi, facient quæ præcepi.

36 Prophetas non viderunt, & memorabuntur iniquitatum eorum.

37 Testor populi venientis gratiam, cuius paruuli exultant cum lætitia, me non videntes oculis carnalibus, sed spiritu credentes, quæ dixi.

38 Et nunc frater aspice, quæ gloria: & vide populum venientem ab Oriente,

39 Quibus dabo ducatum Abraham, Isaac, & Iacob, & Osee, & Amos, & Michæ, & Ioel, & Abdiæ, & Ionæ,

40 Et Nahum, & Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui & Angelus Domini vocatus est.

CAP. II.

HÆc dicit Dominus: Ego eduxi populum istum de seruitute, quibus mandata dedi per pueros meos prophetas, quos audire noluerunt, sed irrita fecerunt mea consilia.

2 Mater quæ eos genauit, dicit illis, Ite filij, quia ego vidua sum, & derelicta.

Vulgat. Editio.

3 Educaui vos cum lætitia & amisi vos cum luctu, & tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est coram eo, feciſtis.

4 Modo autem quid faciã vobis? Ego vidua sum, & derelicta: ite filij, & petite à Domino misericordiã.

5 Ego autem te pater testem inuoco super matrẽ filiorum, qui noluerunt testamẽtum meum seruare,

6 Vt des eis confusionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat.

7 Dispergantur in gentes nomina eorum, deleantur à terra: quoniam spreuerunt sacramentum meũ.

8 Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ, & Gomorrhæ,

9 Quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.

10 Hæc dicit Dominus ad Esdram, Nuncia populo meo, quoniam dabo eis regnum Ierusalem, quod daturus eram Israel.

11 Et sumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaueram illis.

12 Lignum vitæ erit illis in odore vnguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur.

13 Ite, & accipietis. Rogate vobis dies paucos, vt immorentur. Iam paratũ est vobis regnum: vigilate.

14 Testare cœlum, & terram. Contriui enim malum, & creaui bonũ, quia viuo ego, dicit Dominus.

15 Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum: quoniam te elegi dicit Dominus.

16 Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognoui nomen meum in Israel.

17 Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi, dicit Dominus.

18 Mittam tibi adiutoriũ pueros meos Isaiam, & Ieremiam, ad quorum consiliũ sanctificaui, & parauí tibi arbores duodecim grauatas variis fructibus,

19 Et totidem fontes fluentes lac, & mel: & montes immensos septem, habentes rosam, & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

20 Viduam iustifica, pupillo iudica, egenti da, orphanum tuere, nudum vesti,

21 Confractum, & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum ad visionem claritatis meæ admitte.

22 Senem, & iuuenem intra muros tuos serua:

23 Mortuos vbi inueneris, signans commenda sepulchro, & dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea.

24 Pausa, & quiesce populus meus, quia veniet requies tua.

25 Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eorum.

26 Seruos, quos tibi dedi, nemo ex eis interiet: eos ego enim requiram de numero tuo.

27 Noli fatigari. Cum enim venerit dies pressuræ, & angustiæ, alij plorabunt: & tristes erunt: tu autem hilaris, & copiosa eris.

28 Zelabunt gentes, & nil aduersus te poterunt, dicit Dominus.

29 Manus meæ tegent te, ne filij tui gehennam videant.

30 Iucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus.

31 Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiam cum illis faciam: quoniam misericors sum, dicit Dominus omnipotens.

Vulgat. Editio.

32 Amplectere natos tuos vsque dum venio, & præstem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.

33 Ego Esdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Israel: ad quos cum venirem, reprobauerunt me, & respuerunt mandatum Domini:

34 Ideoque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis, Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi aduenict.

35 Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.

36 Fugite vmbram sæculi huius: accipite iucunditatem gloriæ vestræ. Ego testor palam saluatorem meum.

37 Cõmendatum donum accipite, & iucũdamini, gratias agentes ei qui vos ad cœlestia regna vocauit.

38 Surgite, & state, & videte numerum signatorum in conuiuio Domini.

39 Qui se de vmbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à Domino acceperunt.

40 Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos, qui legem Domini compleuerunt.

41 Filiorum tuorum, quos optabas, plenus est numerus. Roga imperium Domini, vt sanctificetur populus tuus, qui vocatus est ab initio.

42 Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.

43 Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar.

44 Tunc interrogaui Angelum, & dixi: Qui sunt hi, Domine?

45 Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei: Modo coronantur, & accipiunt palmas.

46 Et dixi Angelo. Ille iuuenis, quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit?

47 Et respondens dixit mihi: Ipse est filius Dei, quẽ in sæculo confessi sunt: ego autem magnificari eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.

48 Tunc dixit mihi Angelus: Vade, annuncia populo meo, qualia & quãta mirabilia Dñi Dei vidisti.

CAP. III.

ANno tricesimo ruinæ ciuitatis eram in Babylone, & conturbatus sum super cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ ascendebant super cor meum:

2 Quoniam vidi desertionem Sion, & abundantiam eorum qui habitabant in Babylone.

3 Et ventilatus est spiritus meus valde, & cœpi loqui ad Altissimum verba timorata,

4 Et dixi: O Dominator Domine, tu dixisti ab initio, quando plantasti terram, & hoc solus, & imperasti populo,

5 Et dedisti Adam corpus mortuum: sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est viuens coram te:

6 Et induxisti eum in paradiso, quem plantauerat dextera tua, antequam terra aduentaret.

7 Et huic mandasti diligere viam tuam, & præteriit eam, & statim instituisti in eo mortem, & in nationibus eius, & natæ sunt gentes, & tribus, & populi, & cognationes, quarum non est numerus.

8 Et ambulauit vnaquæque gens in voluntate sua, & mira agebant coram te, & spernebant præcepta tua.

Vulgat. Editio.

9 Iterum autem in tempore induxisti diluuium super inhabitantes sæculum, & perdidisti eos.

10 Et factum est in vnoquoque eorum, sicut Adæ mori, sic his diluuium.

11 Dereliquisti autem vnum ex his Noe cum domo sua, & ex eo iusti omnes.

12 Et factum est cum cœpissent multiplicari, qui habitabant super terram, & multiplicauerunt filios, & populos, & gentes multas: & cœperunt iterato impietatem facere plus quam priores.

13 Et factum est cum iniquitatem facerent coram te, elegisti tibi virum ex his cui nomen erat Abraham.

14 Et dilexisti eum, & demonstrasti ei soli voluntatem tuam:

15 Et disposuisti ei testamentum æternum, & dixisti ei, vt non vmquam derelinqueres semen eius. Et dedisti ei Isaac, & Isaac dedisti Iacob, & Esau.

16 Et segregasti tibi Iacob, Esau autem separasti. Et factus est Iacob in multitudine magna.

17 Et factum est cum educeres semen eius ex Ægypto, adduxisti super montem Sina.

18 Et inclinasti cœlos, & statuisti terram, & commouisti orbem, & tremere fecisti abyssos, & conturbasti sæculum,

19 Et transiit gloria tua portas quatuor ignis, & terræmotus, & spiritus, & gelu, vt dares semini Iacob legem, & generationi Israel diligentiam.

20 Et non abstulisti ab eis cor malignum, vt faceret lux tua in eis fructum.

21 Cor enim malignum baiulans primus Adam transgressus, & victus est, sed & oēs qui de eo nati sūt.

22 Et facta est permanens infirmitas, & lex cum corde populi, cum malignitate radicis: & discessit, quod bonum est, & mansit malignum.

23 Et transierunt tempora, & finiti sunt anni: & suscitasti tibi seruum nomine Dauid,

24 Et dixisti ei ædificare ciuitatem nominis tui, & offerre tibi in eadem thus, & oblationes.

25 Et factum est hoc annis multis, & delique runt qui habitabant ciuitatem.

26 In omnibus facientes, sicut fecit Adam, & omnes generationes eius. vtebantur enim & ipsi corde maligno.

27 Et tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum.

28 Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion?

29 Factum est cum venissem huc, & vidissem impietates, quarum non est numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc tricesimo anno, & exceſſit cor meum:

30 Quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impie agentibus, & perdidisti populum tuum, & conseruasti inimicos tuos, & non significasti.

31 Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid meliora facit Babylon quam Sion?

32 Aut alia gens cognouit te præter Israel? aut quæ tribus crediderunt testamentis tuis, sicut Iacob?

33 Quarum merces non comparuit, neque labor fructificauit. Pertransiens enim pertransiui in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum.

34 Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum qui habitant in sæculo: & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israel.

35 Aut quando non peccauerunt in conspectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens sic obseruauit mandata tua?

Vulgat. Editio.

36 Hos quidem per nomina inuenies seruasse mandata tua, gentes autem non inuenies.

CAP. IV.

ET respondit ad me Angelus, qui missus est ad me, cui nomen Vriel,

2 Et dixit mihi, Excedens exceſſit cor tuum in sæculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altissimi.

3 Et dixi: Ita Domine meus. Et respondit mihi, & dixit: Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te.

4 De quibus mihi si renunciaueris vnam ex his, & ego tibi demonstrabo viam, quam desideras videre, & docebo te, vnde sit cor malignum.

5 Et dixi: Loquere Domine meus: Et dixit ad me: Vade pondera mihi ignis pōdus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, quæ præterit.

6 Et respondi, & dixi: Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his?

7 Et dixit ad me: Si essem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamētū, aut qui sunt exitus paradisi:

8 Diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cœlum vmquam ascendi.

9 Nunc autem non interrogaui te, nisi de igne, & vento & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes: & non respondisti mihi de eis.

10 Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt, tecum coadolescentia, non potes cognoscere:

11 Et quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam, & iam exterius corrupto sæculo intelligere corruptionem euidentem in facie mea?

12 Et dixi illi: Melius erat nos non esse, quam adhuc viuentes viuere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re.

13 Et respondit ad me, & dixit: Proficiscens profectus sum ad siluam lignorum campi, & cogitauerunt cogitationem.

14 Et dixerunt: Venite, & eamus, & faciamus ad mare bellum, vt recedat coram nobis, & faciamus nobis alias siluas.

15 Et similiter fluctus maris, & ipsi cogitauerunt cogitationem, & dixerunt: Venite ascendentes, debellemus siluas campi, vt & ibi consummemus nobismetipsis aliam regionem.

16 Et factus est cogitatus siluæ in vanum, venit enim ignis, & consumpsit eam.

17 Similiter & cogitatus fluctuum maris, stetit enim arena, & prohibuit eos.

18 Si enim esses iudex horum, quem inciperes iustificare, aut quem condemnare?

19 Et respondi, & dixi: Vtique vanam cogitationem cogitauerunt, terra enim data est siluæ, & mari locus portare fluctus suos.

20 Et respondit ad me, & dixit: Bene tu iudicasti, & quare non iudicasti tibimetipsi?

21 Quemadmodum enim terra siluæ data est, & mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terrā intelligere solūmodo possunt: & qui super cœlos, quæ super altitudinem cœlorū.

22 Et respondi, & dixi: Deprecor te Domine; vt mihi detur sensus intelligendi.

23 Non enim volui interrogare de superioribus tuis, sed de his, quæ pertranseunt per nos quotidie. propter quid Israel datur in opprobrium gentibus, quem dilexisti populum datus est tribubus impiis, & lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquam sunt:

Vulgat. Editio.

24 Et pertranſiuimus de ſæculo,vt locuſtæ,&vita noſtra ſtupor,& pauor, & nec digni ſumus miſericordiam conſequi.

25 Sed quid faciet nomini ſuo,quod inuocatum eſt ſuper nos? & de his interrogaui.

26 Et reſpondit ad me, & dixit: Si fueris plurimum ſcrutatus,frequenter miraberis: quoniam feſtinans feſtinat ſæculum pertranſire,

27 Et non capit portare,quæ in futuris temporibus iuſtis repromiſſa ſunt: quoniam plenum iniuſtitia eſt ſæculum hoc,& infirmitatibus.

28 De quibus autem interrogas, dicam: feminatum enim eſt malum, & necdum venit deſtructio ipſius.

29 Si ergo non inuerſum fuerit,quod ſeminatum eſt,& diſceſſerit locus vbi ſeminatum eſt malum,non veniet vbi ſeminatum eſt bonum.

30 Quoniam gramen ſeminis mali ſeminatum eſt in corde Adam ab initio: & quantum impietatis generauit vſque nunc,& generat vſque cum veniat area?

31 AEſtima autem apud te gramen mali ſeminis, quantum fructum impietatis generauit:

32 Quando ſecatæ fuerint ſpicæ,quarum non eſt numerus,quam magnam aream incipient facere?

33 Et reſpondi,& dixi:Quomodo,& quando hęc? Quare modici & mali anni noſtri?

34 Et reſpondit ad me, & dixit mihi: Non feſtines tu ſuper Altiſſimum. Tu enim feſtinas inaniter eſſe ſuper ipſum. nam exceſſus tuus multus.

35 Nonne de his interrogauerunt animæ iuſtorum in prōptuariis ſuis, dicentes, Vſquequo ſpero ſic? & quando veniet fructus areæ mercedis noſtræ?

36 Et reſpondit ad ea Ieremiel Archangelus,& dixit: Quando impletus fuerit numerus ſeminum in vobis,quoniam in ſtatera ponderauit ſæculum,

37 Et menſura menſurauit tempora, & numero numerauit tempus,& non commouit nec excitauit vſquedum impleatur prædicta menſura.

38 Et reſpondi, & dixi: O Dominator Domine, ſed & nos omnes pleni ſumus impietate.

39 Et ne forte propter nos non impleantur iuſtorum areæ, propter peccata inhabitantium ſuper terram.

40 Et reſpondit ad me,& dixit: Vade,& interroga prægnantem,ſi quando impleuerit nouem menſes ſuos,adhuc poterit matrix eius retinere partum in ſemetipſa?

41 Et dixi, Non poteſt Domine. Et dixit ad me, In inferno promptuaria animarum matrici aſſimilata ſunt.

42 Quemadmodum enim illa feſtinat, quæ parit effugere neceſſitatem partus:ſic & hæc feſtinat reddere ea,quæ commendata ſunt.

43 Ab initio tibi demonſtrabitur de his, quæ concupiſcis videre.

44 Et reſpondi,& dixi: Si inueni gratiam ante oculos tuos,& ſi poſſibile eſt,& ſi idoneus ſum,

45 Demonſtra mihi, ſi pluſquam præteritum ſit habet viuere,aut plura pertranſierunt ſupra quam futurum eſt.

46 Quid pertranſiuit,ſcio: quid autem futurum ſit,ignoro.

47 Et dixit ad me:Sta ſuper dexteram partem, & demonſtrabo tibi interpretationem ſimilitudinis.

48 Et ſteti, & vidi: & ecce fornax ardens tranſiit coram me. & factum eſt,cum tranſiret flamma, vidi,& ecce ſuperauit fumus.

49 Poſt hæc tranſiit coram me nubes plena aquæ, & immiſit pluuiam impetu multam:& cum trāſiiſſet impetus pluuiæ, ſuperauerunt in ea guttæ.

50 Et dixit ad me.Cogita tibi:ſicut creſcit pluuia amplius,quam guttæ, & ignis quam fumus: ſic ſuperabundauit, quæ tranſiuit menſura. Superauerūt autem guttæ,& fumus:

51 Et oraui, & dixi, Putas viuo vſque in diebus illis? vel quid erit in diebus illis?

52 Reſpōdit ad me,& dixit, De ſignis,de quibus me interrogas, ex parte poſſum tibi dicere: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi,ſed neſcio.

CAP. V.

DE ſignis autem:ecce dies venient, in quibus apprehendentur,qui inhabitant terram in cenſu multo: & abſcondetur veritatis via: & ſterilis erit à fide regio:

2 Et multiplicabitur iniuſtitia ſuper hanc quam ipſe tu vides,& ſuper quam audiſti olim:

3 Et erit impoſito veſtigio, quam nunc vides regnare regionem,& videbunt eam deſertam.

4 Si autem tibi dederit Altiſſimus viuere, videbis poſt tertiam tubam,& réluceſcet ſubito ſol noctu,& luna ter in die,

5 Et de ligno ſanguis ſtillabit,& lapis dabit vocem ſuam,& populi commouebuntur:

6 Et regnabit,quem non ſperant, qui inhabitant ſuper terram,& volatilia commigrationem facient:

7 Et mare Sodomiticum piſces reĳciet, & dabit vocem noctu, quam non nouerant multi. omnes autem audient vocem eius,

8 Et chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur,& beſtiæ agreſtes tranſmigrabunt,&mulieres menſtruatæ parient monſtra,

9 Et in dulcibus aquis ſalſæ inuenientur, & amici omnes ſemetipſos expugnabunt: & abſcondetur tunc ſenſus,& intellectus ſeparabitur in promptuarium ſuum:

10 Et quæretur à multis,& non inuenietur:& multiplicabitur iniuſtitia, & incōtinentia ſuper terram

11 Et interrogabit regio proximā ſuam, & dicet, Numquid per te pertranſiit iuſtitia iuſtum faciens? Et hoc negabit.

12 Et erit in illo tēpore, & ſperabunt homines,& nō impetrabūt:laborabūt,& non dirigētur viæ eorū.

13 Hæc ſigna dicere tibi permiſſum eſt mihi:& ſi oraueris iterū, & ploraueris, ſicut & nūc, & ieiunaueris ſeptem diebus, audies iterato horum maiora.

14 Et euigilaui,& corpus meum horruit valde:& anima mea laborauit,vt deficeret:

15 Et tenuit me qui venit Angelus,qui loquebatur in me,& confortauit me, & ſtatuit me ſuper pedes.

16 Et factum eſt in nocte ſecunda, & venit ad me Salathiel dux populi,& dixit mihi,Vbi eras? & quare vultus tuus triſtis?

17 An neſcis, quoniam tibi creditus eſt Iſrael in regione tranſmigrationis eorum?

18 Exurge ergo, & guſta panem, & non derelinquas nos,ſicut paſtor gregem ſuum in manibus luporum malignorum.

19 Et dixi ei,Vade à me,& non appropies ad me. Et audiuit,vt dixi:& receſſit à me.

20 Et ego ieiunaui diebus ſeptem vlulans, & plorans,ſicut mihi mandauit Vriel Angelus.

21 Et factum eſt poſt dies ſeptem,& iterum cogitationes cordis mei moleſtæ erant mihi valde,

22 Et reſumpſit anima mea ſpiritum intellectus: &iterum cœpi loqui coram Altiſſimo ſermones,

23 Et dixi,Dominator Domine ex omni ſilua terræ, & omnibusarboribus eius, elegiſti vineā vnicā.

Vulgat. Editio.

24 Et ex omni terra orbis, elegisti tibi foueã vnam: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi liliũ vnũ:

25 Et ex omnibus abyssis maris, replesti tibi riuũ vnum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion:

26 Et ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam vnam, & ex omnibus plasmatis pecoribus, prouidisti tibi ouem vnam:

27 Et ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum vnum: & ab omnibus probatam legem donasti huic, quem desiderasti populo.

28 Et nunc Domine, vt quid tradidisti vnum pluribus? Et præparasti super vnam radicem alias, & disperdidisti vnicum tuum in multis:

29 Et conculcauerunt eum, qui contradicebant sponsionibus tuis, quique tuis testamentis non credebant.

30 Et si odiens odisti populum tuum, tuis manibus debet castigari.

31 Et factum est, cum locutus essem sermones, & missus est Angelus ad me, qui ante venerat ad me præterita nocte,

32 Et dixit mihi, Audi me, & instruam te: & intende mihi, & adjiciam coram te.

33 Et dixi, Loquere Domine meus. Et dixit ad me, valde tu in excessu mentis factus es pro Israel: an plus dilexisti eum, quam qui eum fecit?

34 Et dixi ad eum, Non Domine, sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam, quærentem apprehendere semitam Altissimi, & inuestigare partem iudicij eius.

35 Et dixit ad me, Non potes. Et dixi, Quare Domine? Ad quid nascebar, aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi sepulchrum, vt non viderem laborem Iacob & defatigationem generis Israel?

36 Et dixit ad me, Numera mihi, quæ necdum venerant, & collige mihi dispersas guttas, & reuirida mihi aridos flores,

37 Et aperi mihi clausa promptuaria, & produc mihi inclusos in eis flatus; demonstra mihi vocis imaginem: & tunc ostendam tibi laborem quem rogas videre.

38 Et dixi, Dominator Domine, quis enim est, qui potest hæc scire, nisi qui cum hominibus habitationem non habet?

39 Ego autem insipiens: & quomodo potero dicere de his, quibus me interrogasti?

40 Et dixit ad me, Quomodo non potes facere vnum de his, quæ dicta sunt: sic non poteris inuenire iudicium meum, aut in fine charitatem, quam populo promisi.

41 Et dixi, Sed ecce Domine tu prope es his, qui in finem sunt. & quid facient, qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos?

42 Et dixit ad me, Coronæ assimilabo iudicium meum. Sicut non nouissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas.

43 Et respondi, & dixi, Nec poteras facere eos, qui facti sunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, in vnum, vt celerius iudicium tuum ostendas?

44 Et respondit ad me, & dixit, Non potest festinare creatura super creatorem, nec sustinere sæculum eos, qui in eo creandi sunt, in vnum.

45 Et dixi. Quomodo dixisti seruo tuo, quoniam viuificans viuificasti à te creatam creaturam in vnum, & sustinebat creatura: poterit & nunc portare præsentes in vnum.

46 Et dixit ad me, Interroga matricem mulieris, & dices ad eam, Et si paris, quare per tempus? Roga ergo eam, vt det decem in vnum.

Vulgat. Editio.

47 Et dixi, Non vtiq; poterit: sed secundum tempus.

48 Et dixit ad me, Et ego dedi matricem terræ his, qui seminati sunt super eam per tempus:

49 Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ senum sunt: sic ego disposui à me creatum sæculum.

50 Et interrogaui, & dixi, Cum iam dederis mihi viã, loquar corã te: nam mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc iuuenis est: iam senectuti appropinquat.

51 Et respondit ad me, & dixit, Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi.

52 Dices enim ei, Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his, qui ante te, sed minores statura?

53 Et dicet tibi & ipsa, Alij sunt qui in iuuentute virtutis nati sunt: & alij qui sub tempore senectutis, deficiente matrice sunt nati.

54 Considera ergo & tu quoniam minori statura estis præ his qui ante vos:

55 Et qui post vos, minori quam vos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes. Et dixi. Rogo, Domine, si inueni gratiam ante oculos tuos, demonstra seruo tuo, per quem visites creaturam tuam.

CAP. VI.

ET dixit ad me, Initio terreni orbis, & antequam starent exitus sæculi, & antequam spirarent conuentiones ventorum,

2 Et antequam sonarent voces tonitruum, & antequam splenderent nitores coruscationum, & antequam confirmarentur fundamenta paradisi,

3 Et antequam viderentur decori flores, & antequam confirmarentur motæ virtutes, & antequam colligerentur innumerabiles militiæ Angelorum,

4 Et antequam extollerentur altitudines aeris, & antequam nominarentur mensuræ firmamentorum, & antequam æstuarent camini in Sion,

5 Et antequam inuestigarentur præsentes anni, & antequam abalienarentur eorum, qui nunc peccant adinuentiones, & consignati essent, qui fidem thesaurizauerunt:

6 Tunc cogitaui, & facta sunt per me solum, & non per alium: & finis per me, & non per alium.

7 Et respondi, & dixi, Quæ erit separatio temporum? aut quando prioris finis, & sequentis initium?

8 Et dixit ad me, Ab Abraham vsque ad Isaac, quando nati sunt ab eo Iacob, & Esau, manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Esau.

9 Finis enim huius sæculi Esau, & principium sequentis Iacob.

10 Hominis manus inter calcaneum, & manum. Aliud noli quærere Esdra.

11 Et respondi, & dixi, O dominator Domine, si inueni gratiam ante oculos tuos,

12 Oro vt demonstres seruo tuo finem signorum tuorum, quorum partem mihi demonstrasti nocte præcedenti.

13 Et respondit, & dixit ad me, Surge super pedes tuos, & audi vocem plenissimam sonitus.

14 Et erit sicut commotio, nec commouebitur locus, in quo stes super eum.

15 Ideo cum loquitur, tu non expaueas, quoniam de fine verbum, & fundamentum terræ intelligitur,

16 Quoniam de ipsis sermo tremiscit, & commouetur scit enim quoniam finem eorum oportet commutari.

17 Et factum est, cum audissem, surrexi super pedes meos, & audiui: & ecce vox loquens, & sonus eius sicut sonus aquarum multarum,

Vulgat. Editio.

18 Et dixit, Ecce dies veniunt, & erit quando appropinquare incipiam, vt vifitem habitantes in terra:

19 Et quando inquirere incipiam ab eis, qui iniuſte nocuerunt iniuſtitia ſua, & quando ſuppleta fuerit humilitas Sion.

20 Et cum ſuperſignabitur ſæculum, quod incipient pertranſire, hæc ſigna faciam, Libri aperientur ante faciē firmamēti, & omnes videbunt ſimul,

21 Et anniculi infantes loquentur vocibus ſuis, & prægnantes immaturos parient infantes trium, & quattuor menſium, & viuent, & ſuſcitabuntur.

22 Et ſubito apparebunt ſeminata loca non ſeminata, & plena promptuaria ſubito inuenientur vacua:

23 Et tuba canet cum ſono; quam cum omnes audierint, ſubito expauefcent.

24 Et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos, vt inimici, & expaueſcet terra cum his: & venæ fontiū ſtabunt, & non decurrent in horis tribus:

25 Et erit, omnis qui derelictus fuerit ex omnibus iſtis quibus prædixi tibi, ipſe ſaluabitur, & videbit ſalutare meum, & finem ſæculi veſtri.

26 Et videbunt, qui recepti ſunt homines, qui mortem non guſtauerunt à natiuitate ſua, & mutabitur cor inhabitantium, & conuertetur in ſenſum alium.

27 Delebitur enim malum, & extinguetur dolus.

28 Florebit autem fides, & vincetur corruptela, & oſtendetur veritas, quæ ſine fructu fuit diebus tantis.

29 Et factum eſt, cum loqueretur mihi, & ecce paulatim intuebar ſuper eum ante quem ſtabam,

30 Et dixit ad me hæc, Veni tibi oſtendere tempus venturæ noctis.

31 Si ergo iterum rogaueris, & iterum ieiunaueris ſeptem diebus, iterum tibi renunciabo horum maiora per diem, quam audiui.

32 Audita eſt enim vox tua apud Altiſſimum. Vidit enim fortis directionem tuam, & prouidit pudicitiam, quam à iuuentute tua habuiſti:

33 Et propter hoc miſit me demonſtrare tibi hæc omnia, & dicere tibi, Confide, & noli timere,

34 Et noli feſtinare cum prioribus temporibus cogitare vana, vt non properes à nouiſſimis temporibus.

35 Et factum eſt poſt hæc, & fleui iterum: & ſimiliter ieiunaui ſeptem diebus, vt ſuppleam tres hebdomadas, quæ dicta ſunt mihi.

36 Et factum eſt in octaua nocte, & cor meum turbabatur iterato in me, & cœpi loqui coram Altiſſimo.

37 Inflammabatur enim ſpiritus meus valde, & anima mea anxiabatur.

38 Et dixi, ô Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ in primo die dicens, Fiat cœlum, & terra: & tuum verbum opus perfectum.

39 Et erat tunc ſpiritus, & tenebræ circumferebantur, & ſilentium, ſonus vocis hominis nondum erat abs te.

40 Tunc dixiſti de theſauris tuis proferri lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.

41 Et die ſecundo creaſti ſpiritum firmamenti, & imperaſti ei, vt diuideret, & diuiſionem faceret inter aquas, vt pars quædam ſurſum recederet, pars vero deorſum maneret.

42 Et tertia die imperaſti aquis congregari in ſeptima parte terræ: ſex vero partes ſiccaſti, & conſeruaſti, vt ex his ſint coram te miniſtrantia ſeminata à Deo, & culta.

Vulgat. Editio.

43 Verbum enim tuum proceſſit, & opus ſtatim fiebat:

44 Proceſſit enim ſubito fructus multitudinis immenſus, & concupiſcentiæ guſtus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti inueſtigabilis, & die tertia hæc facta ſunt.

45 Quarta autem die imperaſti fieri ſolis ſplendorem, lunæ lumen, ſtellarum diſpoſitionem:

46 Et imperaſti eis, vt deſeruirent futuro plaſmato homini.

47 Quinto autem die dixiſti ſeptimæ parti, vbi erat aqua congregata, vt procrearet animalia, & volatilia, & piſces: & ita fiebat.

48 Aqua muta, & ſine anima, quæ Dei nutu iubebantur, animalia faciebat, vt ex hoc mirabilia tua nationes enarrent.

49 Et tunc conſeruaſti duas animas: nomen vni vocaſti Henoch, & nomē ſecūdæ vocaſti Leuiathan,

50 Et ſeparaſti ea ab alterutro. Non enim poterat ſeptima pars, vbi erat aqua congregata, capere ea.

51 Et dediſti Henoch vnam partem, quæ ſiccata eſt tertio die, vt habitet in ea vbi ſunt mōtes mille.

52 Leuiathan autem dediſti ſeptimam partem humidam, & ſeruaſti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis.

53 Sexto autem die imperaſti terræ, vt crearet coram te iumenta, & beſtias, & reptilia:

54 Et ſuper his Adam, quem conſtituiſti ducem ſuper omnibus factis, quæ feciſti, & ex eo educimur nos omnes, quemque elegiſti populum,

55 Hæc autem omnia dixi coram te Domine, quia propter nos creaſti ſæculum.

56 Reſiduas autem gentes ab Adam natas dixiſti eas nil eſſe, & quoniam ſaliuæ aſſimilatæ ſunt, & quaſi ſtillicidiū de vaſe ſimilaſti abundantiā eorū.

57 Et nunc Domine, ecce, iſtæ gentes, quæ in nihilum deputatæ ſunt, cœperunt dominari noſtri, & deuorare:

58 Nos autem populus tuus quem vocaſti primogenitum vnigenitum æmulatorem tuum, traditi ſumus in manibus eorum:

59 Et ſi propter nos creatum eſt ſæculum, quare non hęreditatem poſſidemus cum ſæculo? Vſquequo hæc?

CAP. VII.

ET factum eſt, cum finiſſem loqui verba hæc, miſſus eſt ad me Angelus qui miſſus fuerat ad me primis noctibus,

2 Et dixit ad me, Surge Eſdra, & audi ſermones quos veni loqui ad te.

3 Et dixi, Loquere Deus meus. Et dixit ad me, Mare poſitum eſt in ſpatioſo loco, vt eſſet altum, & immenſum:

4 Erit autem ei introitus, in anguſto loco poſitus, vt eſſet ſimilis fluminibus.

5 Quis enim volens voluerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari eius: ſi non tranſierit anguſtum in latitudinem quomodo venire poterit?

6 Item aliud, Ciuitas eſt ædificata, & poſita in loco campeſtri: eſt autem plena omniū bonorum.

7 Introitus eius anguſtus, & in præcipiti poſitus, vt eſſet à dextris quidem ignis, à ſiniſtris aqua alta:

8 Semita autem eſt vna ſola inter eos poſita, hoc eſt, inter ignem, & aquam, vt non capiat ſemita, niſi ſolummodo veſtigium hominis.

9 Si autem dabitur ciuitas homini in hæreditatem, ſi numquam antepoſitum periculum pertranſierit, quomodo accipiet hæreditatem ſuam?

10 Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad me: Sic eſt: & Iſrael pars.

Vulgat. Editio.

11 Propter eos enim feci ſæculum,& quando tranſgreſſus eſt Adam conſtitutiones meas, iudicatum eſt, quod factum eſt.

12 Et facti ſunt introitus huius ſæculi anguſti, & dolentes,& laborioſi:pauci autem & mali, & periculorum pleni:& labore magnopere fulti.

13 Nam maioris ſæculi introitus ſpatioſi, & ſecuri,& facientes immortalitatis fructum.

14 Si ergo ingredientes non fuerunt ingreſſi, qui viuunt,anguſta,& vana hæc : non poterunt recipere, quæ ſunt repoſita.

15 Nunc ergo quare tu conturbaris, cum ſis corruptibilis?& quid moueris tu,cum ſis mortalis?

16 Et quare non accepiſti in corde tuo, quod eſt futurum,ſed quod in præſenti?

17 Reſpondi,& dixi,Dominator Domine,ecce diſpoſuiſti lege tua, quoniam iuſti hæreditabunt hæc, impij autem peribunt.

18 Iuſti autem ferent anguſta, ſperantes ſpatioſa. qui enim impie geſſerunt, & anguſta paſſi ſunt, & ſpatioſa non videbunt.

19 Et dixit ad me:Non eſt iudex ſuper Deum, neque intelligens ſuper Altiſſimum.

20 Pereunt enim multi præſentes,quia negligitur, quæ antepoſita eſt Dei lex.

21 Mandans enim mandauit Deus venientibus, quando venerunt, quid facientes viuerent, & quid obſeruantes non punirentur.

22 Hi autem non ſunt perſuaſi & contradixerunt ei,& conſtituerunt ſibi cogitamen vanitatis.

23 Et propoſuerunt ſibi circumuentiones delictorum,& ſuperdixerunt Altiſſimo non eſſe, & vias eius non cognouerunt,

24 Et legem eius ſpreuerunt,& ſponſiones eius abnegauerunt, & in legitimis eius fidem non habuerunt.& operá eius non perfecerunt.

25 Propter hoc Eſdrá vacua vacuis,&plena plenis.

26 Ecce tempus veniet & erit quando venient ſigna, quæ prædixi tibi, & apparebit ſponſa,& apparéſcens oſtendetur,quæ nunc ſubducitur terra:

27 Et omnis qui liberatus eſt de prædictis malis, ipſe videbit mirabilia mea.

28 Reuelabitur enim filius meus IESVS cum his qui cum eo ſunt,& iucundabuntur,qui relicti ſunt in annis quadringentis.

29 Et erit poſt annos hos, & morietur filius meus CHRISTVS, &omnes qui ſpiramentum habent homines:

30 Et conuertetur ſæculum in antiquum ſilentium diebus ſeptem,ſicut in prioribus iudiciis, ita vt nemo derelinquatur.

31 Et erit poſt dies ſeptem, & excitabitur, quod nondum vigilat ſæculum,& morietur corruptum:

32 Et terra reddet, quæ in ea dormiunt, & puluis, qui in eo ſilentio habitant, & promptuaria reddent, quæ eis commendatæ ſunt animæ.

33 Et reuelabitur Altiſſimus ſuper ſedem iudicij, & pertranſibunt miſeriæ, & longanimitas congregabitur.

34 Iudicium autem ſolum remanebit, veritas ſtabit,& fides conualeſcet,

35 Et opus ſubſequetur,& merces oſtendetur,& iuſtitiæ vigilabunt,& iniuſtitiæ non dominabuntur.

36 Et dixi, Primus Abraham propter Sodomitas orauit, & Moyſes pro patribus, qui in deſerto peccauerunt,

37 Et qui poſt eum pro Iſrael in diebus Achaz, & Samuelis,

38 Dauid pro confractione,& Salomon pro eis,qui venerunt in ſanctificationem.

Vulgat. Editio.

39 Et Elias pro his qui pluuiam acceperunt,& pro mortuo,vt viueret,

40 Et Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis.

41 Si ergo modo quando corruptibile increuit, & iniuſtitia multiplicata eſt,& orauerunt iuſti pro impiis : quare & nunc ſic non erit?

42 Et reſpondit ad me, & dixit,Præſens ſæculum non eſt finis,gloria in eo frequens manet:propter hoc orauerunt pro inualidis.

43 Dies enim iudicij erit finis temporis huius, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo tranſiuit corruptela:

44 Soluta eſt intemperantia, abſciſſa eſt incredulitas : creuit autem iuſtitia,orta eſt veritas,

45 Tunc enim nemo poterit ſaluare eum qui perit, neque demergere qui vicit. Et reſpondi:

46 Et dixi,Hic eſt ſermo meus primus, & nouiſſimus, quoniam melius erat non dare terram Adam, vel cum iam dediſſet,coercere eum, vt non peccaret,

47 Quid enim prodeſt hominibus in præſenti viuere in triſtitia & mortuos ſperare punitionem?

48 O tu quid feciſti Adam?Si enim tu peccaſti,non eſt factus ſolius tuus caſus,ſed & noſter qui ex te aduenimus.

49 Quid enim prodeſt nobis, ſi promiſſum eſt nobis immortale tempus:nos autem mortalia opera egimus?

50 Et quoniam prædicta eſt nobis perennis ſpes, nos vero peſſimi vani facti ſumus.

51 Et quoniam repoſita ſunt nobis habitacula ſanitatis,& ſecuritatis,nos vero male conuerſati ſumus.

52 Et quoniam repoſita eſt gloria Altiſſimi protegere eos,qui tarde conuerſati ſunt : nos autem peſſimis viis ambulauimus.

53 Et quoniam oſtendetur paradiſus,cuius fructus incorruptus perſeuerat, in quo eſt ſecuritas, & medela:

54 Nos vero non ingrediemur.in ingratis enim locis conuerſati ſumus.

55 Et quoniam ſuper ſtellas fulgebunt facies eorum,qui abſtinentiam habuerunt : noſtræ autem facies ſuper tenebras nigræ.

56 Non enim cogitauimus viuentes quando iniquitatem faciebamus, quod incipiemus poſt mortem pati.

57 Et reſpondit, & dixit, Hoc eſt cogitamentum certaminis,quod certabit,qui ſuper terram natus eſt homo.

58 Vt ſi victus fuerit, patiatur quod dixiſti: ſi autem vicerit,recipiet quod dico:

59 Quoniã hæc eſt vita, quam Moyſes dixit cum viueret,ad populum,dicẽs,Elige tibi vitam,vt viuas.

60 Non crediderunt autem ei, ſed nec poſt eum prophetis ſed nec mihi,qui locutus ſum ad eos,

61 Quoniam non eſſet triſtitia in perditionem eorum, ſicut futurum eſt gaudium ſuper eos, quibus perſuaſa eſt ſalus.

62 Et reſpondi,& dixi,Scio Domine,quoniam vocatus eſt Altiſſimus miſericórs in eo, quod miſereatur his,qui nondum in ſæculo aduenerunt,

63 Et quod miſeretur illis qui conuerſionem faciunt in lege eius:

64 Et longanimis eſt, quoniam longanimitatem præſtat his,qui peccauerunt quaſi ſuis operibus:

65 Et munificus eſt, quoniam quidem donare vult pro exigentiis:

66 Et multæ miſericordiæ, quoniam multiplicat magis miſericordias his qui præſentes ſunt, & qui præterierunt,& qui futuri ſunt.

Vulgat. Editio.

67 Si enim non multiplicauerit misericordias suas:non viuificabitur sæculum cum his qui inhæreditabunt in eo.

68 Et donat:quoniam si non donauerit de bonitate sua,vt alleuentur hi qui iniquitatem fecerunt, de suis iniquitatibus non poterit decies millesima pars viuificari hominum.

69 Et iudex si non ignouerit his qui curati sunt verbo eius, & deleuerit multitudinem contentionum:non fortassis derelinquerentur in innumerabili multitudine,nisi pauci valde.

CAP. VIII.

ET respondit ad me, & dixit: Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos,futurum autem propter paucos:

2 Dicam autem coram te similitudinem Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis vnde fiat fictile, paruum autem puluerem vnde aurum fit: sic & actus præsentis sæculi.

3 Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur.

4 Et respondi,& dixi:Absorbe ergo anima sensum, & deuora,quod sapit.

5 Conueniſti enim obaudire,& prophetare volens. Nec enim tibi datum est spatium, nisi solummodo viuere.

6 O Domine,si non permittes seruo tuo,vt oremus coram te, & des nobis semen cordi, & sensui culturam,vnde fructus fiat, vnde viuere possit omnis corruptus,qui portabit locum hominis?

7 Solus enim es, & vna plasmatio nos sumus manuum tuarum,sicut locutus es:

8 Et quomodo nunc in matrice plasmatum est corpus,& præstas membra:conseruatur in igne, & aqua tua creatio:& nouem mensibus patitur tua plasmatio tuam creaturam,quæ in ea creata est:

9 Ipsum autem quod seruat, & quod seruatur, vtraque seruabuntur:seruataque quandoque iterum reddit matrix,quæ in ea creuerunt.

10 Imperasti enim ex ipsis membris,hoc est mammillis præbere lac fructui mammillarum,

11 Vt nutriatur id, quod plasmatum est vsque in tempus aliquod, & postea disponas eum tuæ misericordiæ.

12 Enutristi eum tua iustitia, & erudiisti eum in lege tua,& corripuisti eum tuo intellectu:

13 Et mortificabis eum,vt tuam creaturam: & viuificabis eum,vt opus tuum.

14 Si ergo perdideris eum, qui tantis laboribus plasmatus est tuo iussu facile est ordinari, vt & id quod fiebat seruaretur.

15 Et nunc Domine dicam, de omni homine tu magis scis:de populo autem tuo,ob quem doleo:

16 Et de hæreditate tua, propter quam lugeo: & propter Israel, propter quem tristis sum:& de Iacob, propter quem doleo:

17 Ideo incipiam orare coram te pro me,& pro eis: quoniã video lapsus nostros, qui inhabitamus terrã.

18 Sed audiui celeritatem iudicis, qui futurus est:

19 Ideo audi vocem meam, & intellige sermonem meum,& loquar coram te.

20 Initium verborum Esdræ priusquam assumeretur:& dixi, Domine, qui inhabitas sæculum, cuius oculi eleuati in superna,& aere:

21 Et cuius thronus inæstimabilis,& gloria incomprehensibilis: cui astat exercitus Angelorum cum tremore,

Vulgat. Editio.

22 Quorum seruatio in vento,& igni conuertitur: cuius verbum verum,& dicta perseuerantia:

23 Cuius iussio fortis,& dispositio terribilis: cuius aspectus arefacit abyssos,& indignatio tabescere facit montes,& veritas testificatur:

24 Exaudi orationem serui tui, & auribus percipe precationem figmenti tui.

25 Dũ enim viuo,loquar:& dum sapio,respondebo:

26 Nec respicias populi tui delicta, sed qui tibi in veritate seruiunt.

27 Nec intendas impia gentium studia,sed qui tua testimonia cum doloribus custodierunt.

28 Nec cogites, qui in conspectu tuo false conuersati sunt,sed memorare, qui ex voluntate tua timorem cognouerunt.

29 Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt:sed respicias eos,qui legem tuam splendide docuerunt.

30 Nec indigneris eis, qui bestiis peiores iudicati sunt:sed diligas eos, qui semper in tua iustitia confidunt, & gloria.

31 Quoniam nos & patres nostri talibus morbis languemus:tu autem propter nos peccatores misericors vocaberis.

32 Si enim desideraueris,vt nostri misereris,tunc misericors vocaberis, nobis autem non habentibus opera iustitiæ.

33 Iusti enim,quibus sunt opera multa reposita,ex propriis operibus recipient mercedem.

34 Quid est enim homo, vt ei indigneris: aut genus corruptibile,vt ita amarus sis de ipso?

35 In veritate enim nemo de genitis est, qui non impie gessit,& de confitentibus,qui non deliquit.

36 In hoc enim annunciabitur iustitia tua, & bonitas tua Domine, cum misertus fueris eis, qui non habent substantiam bonorum operum.

37 Et respondit ad me, & dixit: Recte locutus es aliqua:& iuxta sermones tuos,sic & fiet.

38 Quoniam non vere cogitabo super plasma eorum,qui peccauerunt ante mortem, ante iudicium, ante perditionem:

39 Sed iucundabor super iustorum figmentum,& memorabor peregrinationis quoque, & saluationis, & mercedis receptionis.

40 Quomodo ergo locutus sum,sic & est.

41 Sicut enim agricola serit super terram semina multa,& plantationes multitudinis plantat, sed non in tempore omnia, quæ seminata sunt, saluantur, sed nec omnia, quæ plantata sunt, radicabunt: sic & qui in sæculo seminati sunt, non omnes saluabuntur.

42 Et respondi,& dixi:Si inueni gratiam,loquar.

43 Quomodo semen agricolæ si non ascenderit, aut non acceperit pluuiam tuam in tempore, aut si corruptum fuerit multitudine pluuiæ,

44 Sic perit: & similiter homo, qui manibus tuis plasmatus est, & tu ei imago nominatus: quoniam similatus es ei, propter quem omnia plasmasti, & similasti semini agricolæ.

45 Non irascaris super nos, sed parce populo tuo, & miserere hæreditati tuæ: Tu autem creaturæ tuæ misereris.

46 Et respondit ad me,& dixit: Quæ sunt præsentia præsentibus,& quæ futura futuris?

47 Multum enim tibi restat, vt possis diligere meam creaturam super me: tibi autem frequenter & ipsi proximaui,iniustis autem numquam.

48 Sed & in hoc mirabilis es coram Altissimo,

49 Quoniam humiliasti te sicut decet te,& non iudicasti te,vt inter iustos plurimum gloriheris.

Vulgat. Editio.

50 Propter quod miseriæ multæ, & miserabiles efficientur eis, qui habitant sæculum in nouissimis: quia in multa superbia ambulauerunt.

51 Tu autem pro te intellige, & de similibus tuis inquire gloriam.

52 Vobis enim apertus est paradisus, plantata est arbor vitæ, præparatum est futurum tempus, præparata est abundantia, ædificata est ciuitas, probata est requies, perfecta est bonitas, & perfecta sapientia,

53 Radix mali signata est à vobis infirmitas, & tinea à vobis absconsa est: & in infernum fugit corruptio in obliuione.

54 Transierunt dolores, & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.

55 Noli ergo adijcere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt.

56 Nam & ipsi accipientes libertatem, spreuerunt Altissimum, & legem eius contempserunt, & vias eius dereliquerunt.

57 Adhuc autem iustos eius conculcauerunt,

58 Et dixerunt in corde suo non esse Deum: & quidem scientes quoniam moriuntur.

59 Sicut enim vos suscipient, quæ prædicta sunt: sic eos sitis, & cruciatus, quæ præparata sunt. non enim voluit hominem disperdi.

60 Sed & ipsi qui creati sunt, coinquinauerunt nomen eius, qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparauit eis vitam.

61 Quapropter iudicium meum modo appropinquat.

62 Quæ non omnibus demonstraui, nisi tibi, & tibi similibus paucis. Et respondi, & dixi:

63 Ecce nunc domine demonstrasti mihi multitudinem signorum, quæ incipies facere in nouissimis. sed non demonstrasti mihi quo tempore.

CAP. IX.

ET respondit ad me, & dixit, Metiens metire tempus in semetipso: & erit cum videris, quando transierit pars quædam signorum, quæ prædicta sunt,

2 Tunc intelliges, quoniam ipsum est tempus in quo incipiet altissimus visitare sæculum, quod ab eo factum est.

3 Et quando videbitur in sæculo motio locorum, & populorum turbatio,

4 Tunc intelliges quoniam de his erat Altissimus locutus à diebus qui fuerunt ante te ab initio.

5 Sicut enim omne quod factum est in sæculo initium habet, pariter & consummationem, & consummatio est manifesta:

6 Sic & Altissimi tempora initia habent manifesta in prodigiis, & virtutibus, & consummationes in actu, & in signis.

7 Et erit, omnis qui saluus factus fuerit, & poterit effugere per opera sua, & per fidem in qua credidistis,

8 Relinquetur de prædictis periculis, & videbit salutare meum in terra mea, & in finibus meis, quoniam sanctificaui me à sæculo.

9 Et tunc miserebuntur qui nunc abusi sunt vias meas: & in tormentis commorabuntur hi qui eas proiecerunt in contemptu.

10 Qui enim non cognouerunt me, viuentes beneficia consecuti:

11 Et qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem,

12 Et cum adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreuerunt: hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.

13 Tu ergo noli adhuc curiosus esse, quomodo impij cruciabuntur: sed inquire quomodo iusti saluabuntur, & quorum sæculum, & propter quos sæculum, & quando.

14 Et respondi, & dixi,

15 Olim locutus sum, & nunc dico, & postea dicam: quoniam plures sunt qui pereunt, quam qui saluabuntur:

16 Sicut multiplicatur fluctus super guttam. Et respondit ad me, & dixit,

17 Qualis ager, talia & semina: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis cultura: quoniam tempus erat sæculi.

18 Et nunc cum essem parans eis his qui nunc sunt; antequam fieret sæculum in quo habitarent: & nemo mihi contradixit.

19 Tunc enim quisque, & nunc creator in mundo hoc parato, & messe indeficienti, & lege inuestigabili corrupti sunt mores eorum.

20 Et consideraui sæculum. & ecce erat periculum propter cogitationes, quæ in eo aduenerunt.

21 Et vidi, & peperci ei valde: & seruaui mihi acinum de botro, & plantationem de tribu multa.

22 Pereat ergo multitudo, quæ sine causa nata est, & seruetur acinus meus, & plantatio mea: quia cum multo labore perfeci.

23 Tu autem si adhuc intromittas septem dies alios, sed non ieiunabis in eis:

24 Ibis in campum florum, vbi domus non est ædificata: & manducabis solummodo de floribus campi, & carnem non gustabis, & vinum non bibes, sed solummodo flores:

25 Deprecare Altissimum sine intermissione, & veniam & loquar tecum.

26 Et profectus sum, sicut dixit mihi in campum, qui vocatur Ardath, & sedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducaui, & facta est esca earum mihi in saturitatem.

27 Et factum est post dies septem, & ego discumbebam supra fœnum, & cor meum iterum turbabatur, sicut ante.

28 Et apertum est os meum, & inchoaui dicere coram Altissimo, & dixi,

29 O Domine, te nobis ostendens ostensus es patribus nostris in deserto, quod non calcatur, & infructuoso, quando erant exeuntes de Ægypto: & dicens dixisti,

30 Tu Israel audi me, & semen Iacob intende sermonibus meis.

31 Ecce enim ego semino in vobis legem meam, & faciet in vobis fructum, & glorificabimini in eo per sæculum.

32 Nam patres nostri accipientes legem non seruauerunt, & legitima mea non custodierunt, & factus est fructus legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus erat.

33 Nam qui acceperunt, perierunt, non custodientes, quod in eis seminatum fuerat.

34 Et ecce, consuetudo est, vt, cum acceperit terra semen, vel nauem mare, vel vas aliquod escam, vel potum: cum fuerit exterminatum id, in quo seminatum est, vel in quod missum est:

35 Simul id quod seminatum, vel missum est, vel quæ susceptа sunt, exterminantur, & susceptа iam non manent apud nos: sed nobis sic non factum est.

36 Nos quidem qui legem accepimus peccantes periuimus, & cor nostrum quod susceperat eam:

37 Nam lex non periit, sed permansit in suo labore.

Vulgat. Editio.

38 Et cum loquerer hæc in corde meo, respexi oculis meis, & vidi mulierem in dextera parte, & ecce hæc lugebat, & plorabat cum voce magna, & animo dolebat valde, & vestimenta eius discissa, & cinis super caput eius.

39 Et dimisi cogitatus in quibus eram cogitans, & conuersus sum ad eam, & dixi ei:

40 Vt quid fles? & quid doles animo? Et dixit ad me,

41 Dimitte me domine meus, vt defleam me, & adijciam dolorem: quoniam valde amaro sum animo & humiliata sum valde.

42 Et dixi ei, Quid passa es? dic mihi. Et dixit ad me,

43 Sterilis fui ego famula tua, & non peperi, habens maritum annis triginta.

44 Ego enim per singulas horas, & per singulos dies, & annos hos triginta deprecor Altissimum nocte, ac die.

45 Et factum est, post triginta annos exaudiuit me Deus ancillam tuam, & vidit humilitatem meam, & attendit tribulationi meæ, & dedit mihi filium: & iucundata sum super eum valde ego, & vir meus, & omnes ciues mei, & honorificabamus valde Fortem.

46 Et nutriui eum cum labore multo.

47 Et factum est cum creuisset, & venisset accipere vxorem, feci diem epuli.

CAP. X.

ET factum est, cum introisset filius meus in thalamo suo, cecidit, & mortuus est:

2 Et euertimus omnes lumina, & surrexerunt omnes ciues mei ad consolandum me, & quieui vsque in alium diem vsque nocte.

3 Et factum est, cum omnes quieuissent, vt me consolarentur, vt quiescerem: & surrexi nocte, & fugi, & veni sicut vides in hoc campo:

4 Et cogito iam non reuerti in ciuitatem, sed hic consistere: & neque manducare, neque bibere, sed sine intermissione lugere, & ieiunare vsque dum moriar.

5 Et dereliqui sermones in quibus eram, & respondi cum iracundia ad eam, & dixi,

6 Stulta super omnes mulieres, non vides luctum nostrum, & quæ nobis contingunt?

7 Quoniam Sion mater nostra omni tristitia contristatur, & humilitate humiliata est, & luget validissime.

8 Et nunc quoniam omnes lugemus, & tristes sumus: quoniam omnes contristati sumus, tu autem contristaris in vno filio?

9 Interroga enim terram, & dicet tibi: quoniam hęc est, quæ debeat lugere casum tantorum super eam germinantium.

10 Et ex ipsa ab initio omnes nati, & alij venient: & ecce, pene omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.

11 Et quis ergo debet lugere magis, nisi hæc quæ tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu, quæ pro vno doles? Si autem dicis mihi,

12 Quoniam non est planctus meus similis terræ: quoniam fructum ventris mei perdidi, quem cum mœroribus peperi, & cum doloribus genui:

13 Terra autem secundum viam terræ, abiitque in ea multitudo præsens, quo modo euenit: & ego tibi dico,

14 Sicut tu cum labore peperisti, sic & terra dat fructum suum homini ab initio ei, qui fecit eam.

15 Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus.

Vulgat. Editio.

16 Si enim iustificaueris terminum Dei, & consilium suum recipies in tempore, & in talibus collaudaberis;

17 Ingredere ergo in ciuitatem ad virum tuum. Et dixit ad me,

18 Non faciam, neque ingrediar ciuitatem, sed hic moriar.

19 Et apposui adhuc loqui ad eam, & dixi,

20 Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuadenti. Quot enim casus Sion? Consolare propter dolorem Ierusalem.

21 Vides enim quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum demolitum est, & templum nostrum destructum est,

22 Et psalterium nostrum humiliatum est, & hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, & lumen candelabri nostri extinctum est, & arca testamenti nostri direpta est, & sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod inuocatum est super nos, pene prophanatum est: & liberi nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & Leuitæ nostri in captiuitatem abierunt, & virgines nostræ coinquinatæ sunt, & mulieres nostræ vim passæ sunt, & iusti nostri rapti sunt, & paruuli nostri perditi sunt, & iuuenes nostri seruierunt, & fortes nostri inualidi facti sunt:

23 Et quod omnium maius, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua. nam & tradita est in manibus eorum, qui nos oderunt.

24 Tu ergo excute tuam tristitiam multam, & depone abs te multitudinem dolorum, vt tibi repropitietur Fortis, & requiem faciet tibi Altissimus requietionem laborum.

25 Et factum est, cum loquebar ad eam, facies eius fulgebat subito & species, coruscus fiebat visus eius, vt essem pauens valde ad eam, & cogitarem quid esset hoc.

26 Et ecce, subito emisit sonitum vocis magnum, timore plenum, vt commoueretur terra à mulieris sono. & vidi:

27 Et ecce, amplius mulier non comparebat mihi sed ciuitas ædificabatur, & locus demonstrabatur de fundamentis magnis: & timui, & clamaui voce magna, & dixi,

28 Vbi est Vriel Angelus, qui à principio venit ad me? quoniam ipse me fecit venire in multitudine in excessu mentis huius, & factus est finis meus in corruptionem, & oratio mea in improperium.

29 Et cum essem loquens ego hæc, ecce venit ad me, & vidit me.

30 Et ecce eram positus, vt mortuus, & intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meam, & confortauit me, & statuit me super pedes meos, & dixit mihi,

31 Quid tibi est? & quare conturbatus est intellectus tuus, & sensus cordis tui? & quare conturbaris? Et dixi,

32 Quoniam dereliquisti me, & ego quidem feci secundum sermones tuos, & exiui in campum: & ecce vidi, & video, quod non possum enarrare. Et dixit ad me,

33 Sta vt vir, & commouebo te. Et dixi,

34 Loquere Domine meus tu in me, noli me derelinquere, vt non frustra moriar:

35 Quoniam vidi, quæ non sciebam, & audio, quæ non scio.

36 Aut numquid sensus meus fallitur, & anima mea somniat?

37 Nunc ergo deprecor te, vt demonstres seruo tuo de excessu hoc. Et respondit ad me, & dixit,

Vulgat. Editio.

38 Audi me,& doceam te, & dicam tibi de quibus times: quoniam Altiſſimus reuelauit tibi myſteria multa.

39 Vidit rectam viam tuam, quoniam ſine intermiſſione contriſtabaris pro populo tuo,& valde lugebas propter Sion:

40 Hic ergo intellectus viſionis, quæ tibi apparuit ante paululum.

41 Quam vidiſti lugentem, inchoaſti conſolari eam.

42 Nunc autem iam ſpeciem mulieris non vides, ſed apparuit tibi ciuitas ædificari:

43 Et quoniam enarrabat tibi de caſu filij ſui, hæc abſolutio eſt.

44 Hæc mulier quam vidiſti, hæc eſt Sion:& quoniam dixit tibi quam & nunc conſpicies, vt ciuitatem ædificatam.

45 Et quoniam dixit tibi,quia ſterilis fuit triginta annis:propter quod erant anni ſcilicet triginta,quando non erat in ea adhuc oblatio oblata.

46 Et factum eſt poſt annos triginta,ædificauit Salomon ciuitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit ſterilis filium.

47 Et quod tibi dixit,quoniam nutriuit eum cum labore,hoc erat,habitatio in Ieruſalem.

48 Et quoniam dixit tibi,quod filius meus veniens in ſuo thalamo mortuus eſſet & contigiſſet ei caſus, hoc erat,quæ facta eſt ruina Ieruſalem.

49 Et ecce vidiſti ſimilitudinem eius: & quoniam filium lugeret,inchoaſti conſolari eam:& de his,quæ contigerunt,hæc erant tibi aperienda.

50 Et nunc videt Altiſſimus, quoniam ex animo contriſtatus es, & quoniam ex toto corde pateris pro ea,oſtendit tibi claritatem gloriæ eius,& pulchritudinem decoris eius.

51 Propterea enim dixit tibi, vt maneres in campo vbi domus non eſt ædificata.

52 Sciebam enim ego,quoniam Altiſſimus incipiebat tibi oſtendere hæc:

53 Propterea dixi tibi vt venires in agrum vbi non eſt fundamentum ædificij.

54 Nec enim poterat opus ædificij hominis ſuſtineri in loco,vbi incipiebatur Altiſſimi ciuitas oſtendi.

55 Tu ergo noli timere,neque expaueſcat cor tuum: ſed ingredere, & vide ſplendorem, & magnitudinem ædificij, quantum capax eſt tibi viſus oculorum videre:

56 Et poſt hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.

57 Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud Altiſſimum,ſicut & pauci.

58 Nocte autem,quæ in craſtinum futura eſt,manebis hic:

59 Et oſtendet tibi Altiſſimus eas viſiones ſupremorum,quæ faciet Altiſſimus his qui habitant ſuper terram à nouiſſimis diebus.

60 Et dormiui illam noctem, & aliam, ſicut dixerat mihi.

CAP. XI.

ET vidi ſomnium, & ecce aſcendebat de mari aquila,cui erant duodecim alæ pennarum, & capita tria.

2 Et vidi, & ecce expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cœli inſufflabant in eam, & colligebantur.

3 Et vidi, & de pennis eius naſcebantur contrariæ pēnæ,& ipſæ fiebant in pēnaculis minutis,& modicis.

4 Nam capita eius erant quieſcentia, & dimidium

Vulgat. Editio.

caput erat maius aliorum capitum, ſed ipſa quieſcebat cum eis.

5 Et vidi,& ecce aquila volauit in pennis ſuis,& regnauit ſuper terram, & ſuper eos qui habitant in ea.

6 Et vidi,quoniam ſubiecta erant ei omnia ſub cœlo,& nemo illi contradicebat,neque vnus de creatura quæ eſt ſuper terram.

7 Et vidi,& ecce ſurrexit aquila ſuper vngues ſuos, & miſit vocem pennis ſuis,dicens:

8 Nolite omnes ſimul vigilare, dormite vnuſquiſque in loco ſuo,& per tempus vigilate.

9 Capita autem in nouiſſimo ſeruentur.

10 Et vidi,& ecce vox non exibat de capitibus eius, ſed de medietate corporis eius.

11 Et numeraui contrarias pennas eius,& ecce ipſę erant octo.

12 Et vidi,& ecce à dextera parte ſurrexit vna penna,& regnauit ſuper omnem terram.

13 Et factum eſt cum regnaret,venit ei finis,& non apparuit locus eius:& ſequens exurrexit, & regnabat: ipſa multum tenuit tempus.

14 Et factum eſt cum regnaret, & veniebat finis eius,vt non appareret ſicut prior.

15 Et ecce,vox emiſſa eſt illi,dicens:

16 Audi tu quæ tanto tempore tenuiſti terram.hæc annuncio tibi antequam incipias non apparere.

17 Nemo poſt te tenebit tempus tuum, ſed nec dimidium eius.

18 Et leuauit ſe tertia,& tenuit principatum ſicut & priores:& non apparuit & ipſa.

19 Et ſic contingebat omnibus aliis ſingulatim principatum gerere,& iterum nuſquam comparere.

20 Et vidi,& ecce in tempore ſequentes pennæ erigebantur à dextera parte, vt tenerent & ipſæ principatum: & ex his erant quæ tenebant, ſed tamen ſtatim non comparebant.

21 Nam & aliquæ ex eis erigebantur.ſed non tenebant principatum.

22 Et vidi poſt hæc,& ecce non comparuerunt duodecim pennæ & duo pennacula:

23 Et nihil ſupererat in corpore aquilæ,niſi duo capita quieſcentia & ſex pennacula.

24 Et vidi, & ecce ſex pennaculis diuiſæ ſunt duæ, & manſerunt ſub capite quod eſt ad dexteram partem.Nam quatuor manſerunt in loco ſuo.

25 Et vidi, & ecce ſubalares cogitabant ſe erigere & tenere principatus.

26 Et vidi, & ecce vna erecta eſt, ſed ſtatim non comparuit.

27 Et ſecundæ velocius quam priores,non comparuerunt.

28 Et vidi, & ecce duæ quæ ſuperauerunt apud ſemetipſas cogitabant & ipſæ regnare.

29 Et in eo cum cogitarent, ecce vnum quieſcentium capitum quod erat medium, euigilabat, hoc enim erat duorum capitum maius.

30 Et vidi quoniam completa ſunt duo capita ſecum.

31 Et ecce conuerſum eſt caput cum his qui cum eo erant, & comedit duas ſubalares quæ cogitabant regnare.

32 Hoc autem caput perconterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitant terram, cum labore multo, & potentatum tenuit orbis terrarum ſuper omnes alas quæ fuerunt.

33 Et vidi poſt hæc, & ecce medium caput ſubito non comparuit,& hoc ſicut alæ.

34 Superauerunt autem duo capita, quæ & ipſa ſimiliter regnauerunt ſuper terram, & ſuper eos qui habitant in ea.

Vulgat. Editio.

35 Et vide,& ecce deuorauit caput à dextera parte illud quod à læua.

36 Et audiui vocem dicentem mihi:Conſpice contra te,& conſidera quod vides.

37 Et vidi, & ecce ſicut leo concitatus de ſilua rugiens: & vidi quoniam emittebat vocem hominis ad aquilam.Et dixit, dicens:

38 Audi tu,& loquar ad te,& dicet Altiſſimus tibi,

39 Nonne tu es qui ſuperaſti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in ſæculo meo, & vt per eos veniret finis temporum eorum? 40 Et quartus veniens deuicit omnia animalia quæ tranſierunt, & potentatu tenuit ſæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore peſſimo, & inhabitauit tot temporibus orbem terrarum cum dolo.

41 Et iudicaſti terram non cum veritate.

42 Tribulaſti enim manſuetos, & læſiſti quieſcentes, & dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti habitationes eorum qui fructificabant,& humiliaſti muros eorum qui te non nocuerunt.

43 Et aſcendit contumelia tua vſque ad Altiſſimum,& ſuperbia tua ad Fortem.

44 Et reſpexit Altiſſimus ſuperba tempora, & ecce finita ſunt,& ſcelera eius completa ſunt.

45 Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles,& pennacula tua peſſima,& capita tua maligna, & vngues tui peſſimi, & omne corpus tuum vanum,

46 Vt refrigeretur omnis terra,& reuertatur liberata de tua vi, & ſperet iudicium & miſericordiam eius qui fecit eam.

CAP. XII.

ET factum eſt, dum loqueretur leo verba hæc ad aquilam:& vidi.

2 Et ecce quod ſuperauerat caput, & non comparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eum tranſierunt, & erectæ ſunt vt regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum.

3 Et vidi,& ecce ipſa non apparebant, & omne corpus aquilæ incendebatur,& expaueſcebat terra valde, & ego à tumultu & exceſſu mentis,& à magno timore vigilaui,& dixi ſpiritui meo,

4 Ecce tu præſtitiſti mihi hoc in eo,quod ſcrutaris vias Altiſſimi.

5 Ecce adhuc fatigatus ſum animo, & ſpiritu meo inualidus ſum valde,& nec modica eſt in me virtus à multo timore,quam expaui nocte hac:

6 Nunc ergo orabo Altiſſimum,vt me confortet vſque in finem.

7 Et dixi, Dominator Domine, ſi inueni gratiam ante oculos tuos, & ſi iuſtificatus ſum apud te præ multis, & ſi certe aſcendit deprecatio mea ante faciem tuam,

8 Conforta me,& oſtende ſeruo tuo mihi interpretationem & diſtinctionem viſus horribilis huius, vt pleniſſime conſoleris animam meam.

9 Dignum enim me habuiſti oſtendere mihi temporum nouiſſima.Et dixit ad me:

10 Hæc eſt interpretatio viſionis huius.

11 Aquilam quam vidiſti aſcendentem de mari, hoc eſt regnum quod viſum eſt in viſione Danieli fratri tuo.

12 Sed non eſt illi interpretatum, quoniam ego nunc tibi interpretor.

13 Ecce dies veniunt,& exurget regnum ſuper terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerunt ante eum.

14 Regnabunt autem in ea reges duodecim, vnus poſt vnum.

Vulgat. Editio.

15 Nam ſecundus incipiet regnare, & ipſe tenebit amplius tempus præ duodecim.

16 Hæc eſt interpretatio duodecim alarum quas vidiſti.

17 Et quam audiſti vocem quæ locuta eſt, non de capitibus eius exeunt,ſed de medio corporis eius,

18 Hæc eſt interpretatio,quoniam poſt tempus regni illius naſcentur contentiones non modicæ,& periclitabitur vt cadat:& non cadet tunc,ſed iterum conſtituetur in ſui initium.

19 Et quoniam vidiſti ſubalares octo cohærentes alis eius,

20 Hæc eſt interpretatio. exurgent in ipſo octo reges, quorum erunt tempora leuia, & anni citati, & duo quidem ex ipſis perient.

21 Appropinquante autem tempore medio quatuor ſeruabuntur in tempore, cum incipiet appropinquare tempus eius vt finiatur: duo vero in finem ſeruabuntur.

22 Et quoniam vidiſti tria capita quieſcentia,

23 Hæc eſt interpretatio:in nouiſſimis eius ſuſcitabit Altiſſimus tria regna, & reuocabit in ea multa, & dominabuntur terræ,

24 Et qui habitant in ea, cum labore multo ſuper omnes qui fuerunt ante hos. propter hoc ipſi vocati ſunt capita aquilæ.

25 Iſti enim erunt qui recapitulabuntur impietates eius,& qui perficient nouiſſima eius.

26 Et quoniam vidiſti caput maius non apparens, hæc eſt interpretatio eius. quoniam vnus ex eis ſuper lectum ſuum morietur,& tamen cum tormentis.

27 Nam duo qui perſeuerauerint, gladius eos comedet.

28 Vnius enim gladius comedet qui cum eo:ſed tamen hic gladio in nouiſſimis cadet.

29 Et quoniam vidiſti duas ſubalares traijcientes ſuper caput quod eſt in dextera parte,

30 Hæc eſt interpretatio. hi ſunt quos conſeruauit Altiſſimus in finem ſuum, hoc eſt regnum exile, & turbationis plenum.

31 Sicut vidiſti & leonem,quem vidiſti de ſilua euigilantem,& rugientem, & loquentem ad aquilam, & arguentem eam,& iniuſtitias ipſius per omnes ſermones eius ſicut audiſti:

32 Hic eſt ventus quem ſeruauit Altiſſimus in finem ad eos,& impietates ipſorum:& arguet illos, & incuriet coram ipſis diſceptiones eorum.

33 Statuet enim eos in iudicio viuos: & erit, cum arguerit eos, tunc corripiet eos.

34 Nam reſiduum populum meum liberabit cum miſeria,qui ſaluati ſunt ſuper fines meos,& iucundabit eos quoadusque veniet finis diei iudicij,de quo locutus ſum tibi ab initio.

35 Hoc ſomnium quod vidiſti & hæ interpretationes.

36 Tu ergo ſolus dignus fuiſti ſcire Altiſſimi ſecretum hoc.

37 Scribe ergo omnia iſta in libro quæ vidiſti,& pone ea in loco abſcondito:

38 Et docebis ea ſapientes de populo tuo, quorum corda ſcis poſſe capere,& ſeruare ſecreta hæc.

39 Tu autem adhuc ſuſtine hic alios dies ſeptem, vt tibi oſtendatur quidquid viſum fuerit Altiſſimo oſtendere tibi.

40 Et profectus eſt à me. Et factum eſt,cum audiſſet omnis populus quoniam pertranſierunt ſeptem dies,& ego non fuiſſem reuerſus in ciuitatem,& congregauit ſe omnis à minimo vſque ad maximum: & venit ad me,& dixerunt mihi dicentes:

41 Quid peccauimus tibi, & quid iniuſte egimus in te,quoniam derelinquens nos ſediſti in loco hoc?

Vulgat. Editio.

42 Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis, ſicut botrus de vinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut portus & nauis ſaluata à tempeſtate.

43 Aut non ſufficiunt nobis mala quæ contingunt?

44 Si ergo tu nos dereliqueris, quanto nobis erat melius ſi eſſemus ſuccenſi & nos cum incendio Sion.

45 Nec enim nos ſumus meliores eorum qui ibi mortui ſunt. Et plorauerunt voce magna. Et reſpondi ad eos, & dixi:

46 Confide Iſrael, & noli triſtari tu domus Iacob.

47 Eſt enim memoria veſtri coram Altiſſimo, & Fortis non eſt oblitus veſtri in tentatione.

48 Ego enim non dereliqui vos, neque exceſſi à vobis: ſed veni in hunc locum vt deprecarer pro deſolatione Sion, vt quærerem miſericordiam pro humilitate ſanctificationis veſtræ.

49 Et nunc ite vnuſquiſque veſtrum in domum ſuam, & ego veniam ad vos poſt dies iſtos.

50 Et profectus eſt populus, ſicut dixi ei, in ciuitatem:

51 Ego autem ſedi in campo ſeptem diebus, ſicut mihi mandauit: & manducabam de floribus ſolummodo agri, de herbis facta eſt eſca mihi in diebus illis.

CAP. XIII.

ET factum eſt poſt dies ſeptem, & ſomniaui ſomnium nocte:

2 Et ecce de mari ventus exurgebat, vt conturbaret omnes fluctus eius.

3 Et vidi, & ecce conualeſcebat ille homo cum millibus cœli: & vbi vultum ſuum vertebat vt conſideraret, tremebant omnia quæ ſub eo videbantur:

4 Et vbicumque exibat vox de ore eius, ardeſcebant omnes qui audiebant voces eius ſicut quieſcit terra quando ſenſerit ignem.

5 Et vidi poſt hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorum non erat numerus de quatuor ventis cœli, vt debellarent hominem qui aſcenderat de mari.

6 Et vidi, & ecce ſibimetipſi ſculpſerat montem magnum, & volauit ſuper eum.

7 Ego autem quæſiui videre regionem vel locum vnde ſculptus eſſet mons & non potui.

8 Et poſt hæc vidi, & ecce omnes qui congregati ſunt ad eum, vt expugnarent eum, timebant valde, tamen audebant pugnare.

9 Et ecce, vt vidit impetum multitudinis venientis, non leuauit manum ſuam, neque frameam tenebat, neque aliquod vas bellicoſum niſi ſolummodo vt vidi,

10 Quoniam emiſit de ore ſuo ſicut flatum ignis & de labiis eius ſpiritus flammæ, & de lingua eius emittebat ſcintillas & tempeſtates, & commiſta ſunt omnia ſimul, hic flatus ignis, & ſpiritus flammæ, & multitudo tempeſtatis:

11 Et concidit ſuper multitudinem in impetu, quæ præparata erat pugnare, & ſuccendit oēs, vt ſubito nihil videretur de innumerabili multitudine, niſi ſolummodo puluis, & fumi odor: & vidi, & extimui.

12 Et poſt hæc vidi ipſum hominem deſcendentem de monte, & vocantem ad ſe multitudinem aliam pacificam,

13 Et accedebat ad eum vultus hominū multorum quorumdam gaudentium, quorumdam triſtantium: aliqui vero alligati, aliqui adducentes ex eis, qui offerebantur. & ægrotaui à multitudine pauoris, & expergefactus ſum & dixi:

14 Tu ab initio demonſtraſti ſeruo tuo mirabilia hæc, & dignum me habuiſti vt ſuſciperes deprecationem meam:

15 Et nunc demonſtra mihi adhuc interpretationem ſomnii huius.

16 Sicut enim exiſtimo in ſenſu meo, væ qui derelicti fuerunt in diebus illis: & multo plus væ his qui non ſunt derelicti.

17 Qui enim non ſunt derelicti, triſtes erant.

18 Intelligo nunc quæ ſunt repoſita in nouiſſimis diebus, & occurrent eis, ſed & his qui derelicti ſunt.

19 Propter hoc venerunt enim in pericula magna, & neceſſitates multas, ſicut oſtendunt ſomnia hæc.

20 Attamen facilius eſt periclitantem venire in hunc ... quam pertranſire, ſicut nubem à ſæculo, & nunc videre quæ contingunt in nouiſſimo. Et reſpondit ad me, & dixit:

21 Et viſionis interpretationem dicam tibi: & de quibus locutus es adaperiam tibi.

22 Quoniam de his dixiſti qui derelicti ſunt: hæc eſt interpretatio.

23 Qui aufert periculum illo tempore, hic ſe cuſtodiuit, qui in periculo inciderunt, hi ſunt qui habent opera & fidem ad Fortiſſimum.

24 Scito ergo quoniam magis beatificati ſunt qui derelicti, ſuper eos qui mortui ſunt.

25 Hæ interpretationes viſionis, quia vidiſti virum aſcendentem de corde maris,

26 Ipſe eſt quem conſeruat Altiſſimus multis temporibus, qui per ſemetipſum liberabit creaturam ſuam: & ipſe diſponet, qui derelicti ſunt.

27 Et quoniam vidiſti de ore eius exire, vt ſpiritum, & ignem, & tempeſtatem:

28 Et quoniam non tenebat frameam, neque vas bellicoſum: corrupit enim impetus eius multitudinem, quæ venerat expugnare eum. Hæc eſt interpretatio.

29 Ecce dies veniunt, quando incipiet Altiſſimus liberare eos qui ſuper terram ſunt:

30 Et veniet in exceſſu mentis ſuper eos qui inhabitant terram.

31 Et alij alios cogitabunt debellare: ciuitas ciuitatem, & locus locum, & gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum.

32 Et erit, cum fient hæc, & contingent ſigna quæ ante oſtendi tibi: & tunc reuelabitur filius meus, quem vidiſti, vt virum aſcendentem.

33 Et erit quando audierint omnes gentes vocem eius: & derelinquet vnuſquiſque in regione ſua bellum ſuum, quod habent ad alterutrum:

34 Et colligetur in vnum multitudo innumerabilis, ſicut volentes venire, & expugnare eum.

35 Ipſe autem ſtabit ſuper cacumen montis Sion.

36 Sion autem veniet, & oſtendetur omnibus parata & ædificata, ſicut vidiſti montem ſculpi ſine manibus.

37 Ipſe autem filius meus arguet quæ adinuenerunt Gentes, impietates eorum has quæ tempeſtati appropinquauerunt propter mala cogitamenta eorum, & cruciamenta quibus incipient cruciari:

38 Quæ aſſimilatæ ſunt flammæ, & perdet eos ſine labore per legem quæ igni aſſimilata eſt.

39 Et quoniam vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem pacificam,

40 Hæ ſunt decem tribus, quæ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſee regis, quem captiuum duxit Salmanaſar rex Aſſyriorum: & tranſtulit eos trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam.

41 Ipſi autem ſibi dederunt conſilium hoc vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſcerentur in vlteriorem regionem, vbi numquam inhabitauit genus humanum:

42 Vel

Vulgat. Editio.

42 Vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerant ſeruantes in regione ſua.

43 Per introitus autem anguſtos fluminis Euphratem introierunt.

44 Fecit enim eis tunc Altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis vſquequo tranſirent.

45 Per eam enim regionem erat via multa itineris, anni vnius & dimidij: nam regio illa vocatur Arſareth.

46 Tunc inhabitauerunt ibi vſque in nouiſſimo tempore: & nunc iterum cum cœperint venire,

47 Iterum Altiſſimus ſtatuet venas fluminis, vt poſſint tranſire: propter hæc vidiſti multitudinem cum pace.

48 Sed & qui derelicti ſunt de populo tuo, hi ſunt qui inueniuntur intra terminum meum.

49 Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collectæ ſunt gentes, proteget eos qui ſuperauerunt populum:

50 Et tunc oſtendet eis multa plurima portenta.

51 Et dixi ego: Dominator Domine, hoc mihi oſtende, propter quod vidi virum aſcendentem de corde maris. Et dixit mihi.

52 Sicut non potes hæc vel ſcrutari, vel ſcire quæ ſunt in profundo maris: ſic non poterit quiſque ſuper terram videre filium meum, vel eos qui cum eo ſunt, niſi in tempore diei.

53 Hæc eſt interpretatio ſomnii quod vidiſti, & propter quod illuminatus es hic ſolus.

54 Dereliquiſti enim tuam, & circa meam vacaſti legem, & quæſiſti.

55 Vitam enim tuam diſpoſuiſti in ſapientia, & ſenſum tuum vocaſti matrem:

56 Et propter hoc oſtendi tibi merces apud Altiſſimum. erit enim poſt alios tres dies, ad te alia loquar, & exponam tibi grauia & mirabilia.

57 Et profectus ſum, & tranſij in campum, multum glorificans & laudans Altiſſimum de mirabilibus quæ per tempus faciebat:

58 Et quoniam gubernat ipſum, & quæ ſunt in temporibus illata, & ſedi ibi tribus diebus.

CAP. XIV.

ET factum eſt tertio die, & ego ſedebam ſub quercu.

2 Et ecce, vox exiuit contra me de rubo, & dixit: Eſdra Eſdra. Et dixi: Ecce ego Domine. Et ſurrexi ſuper pedes meos. Et dixit ad me:

3 Reuelans reuelatus ſum ſuper rubum, & locutus ſum Moyſi, quando populus meus ſeruiebat in AEgypto.

4 Et miſi eum, & eduxi populum meum de AEgypto, & adduxi eum ſuper montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis:

5 Et enarraui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta & finem: & præcepi ei, dicens:

6 Hæc in palam facies verba, & hæc obſcondes.

7 Et nunc tibi dico:

8 Signa quæ demonſtraui, & ſomnia quæ vidiſti, & interpretationes quas tu vidiſti, in corde tuo repone ea:

9 Tu enim recipieris ab omnibus, conuerteris reſiduus cum conſilio meo & cum ſimilibus tuis, vſquequo finiantur tempora:

10 Quoniam ſæculum perdidit iuuentutem ſuam, & tempora appropinquant ſeneſcere.

11 Duodecim enim partibus diuiſum eſt ſæculum, & tranſierunt eius decima & dimidium decimæ partis:

Vulgat. Editio.

12 Superſunt aũt eius poſt medium decimæ partis.

13 Nunc ergo diſpone domum tuam, & corripe populum tuum, & conſolare humiles eorum, & renuntia iam corruptelæ,

14 Et dimitte abs te mortales cogitationes, & proiice abs te pondera humana, & exue te iam infirmam naturam, & repone in vnam partem moleſtiſſimã tibi cogitamenta, & feſtina tranſmigrare à temporibus his:

15 Quæ enim vidiſti nunc contigiſſe mala, iterum horum deteriora facient:

16 Quantum enim inualidum fiet ſæculum à ſenectute, tantum multiplicabuntur ſuper inhabitantes mala.

17 Prolongauit enim ſe magis veritas, & appropinquauit mendacium. Iam enim feſtinat venire, quam vidiſti viſionem.

18 Et reſpondi, & dixi coram te Domine.

19 Ecce enim ego abibo, ſicut præcepiſti mihi, & corripiam præſentem populum. Qui autem iterum nati fuerint, quis commouebit?

20 Poſitum eſt ergo ſæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo ſine lumine,

21 Quoniam lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit quæ à te facta ſunt, vel quæ incipient opera.

22 Si enim inueni in te gratiam, immitte in me Spiritum ſanctum, & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in lege tua ſcripta, vt poſſint homines inuenire ſemitam, & qui voluerint viuere in nouiſſimis, viuant.

23 Et reſpondit ad me, & dixit: Vadens congrega populum, & dices ad eos, vt non quærant te diebus quadraginta.

24 Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Aſiel, quinque hos qui parati ſunt ad ſcribendum velociter.

25 Et venias huc, & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoadusque finiantur quæ incipies ſcribere.

26 Et tunc perfectis quædam palam facies, quædam ſapientibus abſconſe trades. in craſtinum enim hac hora incipies ſcribere.

27 Et profectus ſum, ſicut mihi præcepit, & congregaui omnem populum, & dixi:

28 Audi Iſrael verba hæc:

29 Peregrinati ſunt patres noſtri ab initio in Aegypto, & liberati ſunt inde:

30 Et acceperunt legem vitæ, quam non cuſtodierunt, quam & vos poſt eos tranſgreſſi eſtis:

31 Et data eſt vobis terra in ſortem, & terra Sion, & patres veſtri, & vos iniquitatem feciſtis, & non ſeruaſtis vias quas præcepit vobis altiſſimus:

32 Et iuſtus iudex cum ſit, abſtulit à vobis in tempore quod donauerat.

33 Et nunc vos hic eſtis, & fratres veſtri introrſum veſtrum ſunt.

34 Si ergo imperaueritis ſenſui veſtro, & erudieritis cor veſtrum, viui conſeruati eritis, & poſt mortem miſericordiam conſequemini.

35 Iudicium enim poſt mortem veniet, quando iterum reuiuiſcemus: & tunc iuſtorum nomina parebunt, & impiorum facta oſtendentur.

36 Ad me igitur nemo accedat nunc, neque requirat me vſque dies quadraginta.

37 Et accepi quinque viros ſicut mandauit mihi, & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi.

38 Et factus ſum in craſtinũ, & ecce vox vocauit me dicẽs: Eſdra aperi os tuũ, & bibe quo te potauero.

39 Et aperui os meũ, & ecce calix plenus porrige-

batur

Vulgat. Editio.

batur mihi. Hoc erat plenum ſicut aqua: color autem eius vt ignis ſimilis.

40 Et accepi, & bibi: & in eo cum bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſeruabatur memoria.

41 Et apertum eſt os meum, & non eſt clauſum amplius.

42 Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerunt quæ dicebantur exceſſiones noctis, quas non ſciebant.

43 Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam.

44 Scripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducenti quattuor.

45 Et factum eſt cum compleuiſſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus, dicens: Priora quæ ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni & indigni:

46 Nouiſſimos autem ſeptuaginta conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo.

47 In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic.

CAP. XV.

ECce loquere in aures plebis meæ ſermones prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit Dominus:

2 Et fac vt in charta ſcribantur, quoniam fideles & veri ſunt.

3 Ne timeas à cogitationibus aduerſum te, nec turbent te incredulitates dicentium.

4 Quoniam omnis incredulus in incredulitate ſua morietur.

5 Ecce ego induco, dicit Dominus, ſuper orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum:

6 Propter quod ſuperpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta ſunt opera nociua illorum.

7 Propterea dicit Dominus.

8 Iam non filebo de impietatibus eorum quæ irreligioſe agunt, nec ſuſtinebo in his quæ inique exercent, ecce ſanguis innoxius & iuſtus clamat ad me, & animæ iuſtorum clamant perſeueranter.

9 Vindicans vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem ſanguinem innoxium ex illis ad me.

10 Ecce populus meus quaſi grex ad occiſionem ducitur, iam non patiar illum habitare in terra Ægypti:

11 Sed educam eum in manu potenti & brachio excelſo, & percutiam plaga ſicut prius, & corrumpam omnem terram eius.

12 Lugebit Aegyptus, & fundamenta eius plaga verberata, & caſtigatione quas inducet ei Deus.

13 Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient ſemina eorum ab vredine, & grandine, & à fidere terribili.

14 Væ ſæculo, & qui habitant in eo:

15 Quia appropinquauit gladius, & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, & romphæa in manibus eorum.

16 Erit enim inconſtabilitio hominibus, & alij aliis inualeſcentes non curabunt regem ſuum, & principes viæ geſtorum ſuorum in potentia ſua.

17 Concupiſcet enim homo in ciuitatem ire, & non poterit.

18 Propter ſuperbiam enim eorum ciuitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuent.

19 Non miſerebitur homo proximum ſuum ad irritum faciendum domos eorum in gladium ad diripiendas ſubſtantias eorum propter famem panis, & tribulationem multam.

Vulgat. Editio.

20 Ecce, ego conuoco, dicit Deus, omnes reges terræ ad me verendum, qui ſunt ab Oriente, & ab Auſtro, & ab Euro, & à Libano, ad conuertendos in ſe, & reddere quæ dederunt illis:

21 Sicut faciunt vſque hodie electis meis, ſic faciam & reddam in ſinu eorum. Hæc dicit Dominus Deus.

22 Non parcet dextera mea ſuper peccatores, nec ceſſabit romphæa ſuper effundentes ſanguinem innoxium ſuper terram.

23 Exiit ignis ab ira eius & deuorauit fundamenta terræ, & peccatores quaſi ſtramen incenſum.

24 Væ eis qui peccant, & non obſeruant mandata mea, dicit Dominus.

25 Non parcam illis. Diſcedite filij à poteſtate. Nolite contaminare ſanctificationem meam,

26 Quoniam nouit Dominus omnes qui delinquunt in illum; propterea tradidit eos in mortem, & in occiſionem.

27 Iam enim venerunt ſuper orbem terrarum mala, & manebitis in illis. non enim liberabit vos Deus, propter quod peccaſtis in eum.

28 Ecce viſio horribilis, & facies illius ab oriente.

29 Et exient nationes draconum Arabum in curribus multis, & ſicut flatus, eorum numerus feretur ſuper terram, vt iam timeant & trepident omnes qui illos audient.

30 Carmonij inſanientes in ira, & exient vt apri de ſilua, & aduenient in virtute magna, & conſtabunt in pugnam cum illis, & vaſtabunt portionem terræ Aſſyriorum.

31 Et poſt hæc ſuperualeſcent dracones natiuitatis ſuæ memores, & conuertent ſe conſpirantes in virtute magna ad perſequendos eos.

32 Illi turbabuntur & filebunt in virtute illorum, & conuertent pedes ſuos in fugam,

33 Et à territorio Aſſyriorum ſubſeſſor obſidebit eos, & conſumet vnum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illorū, & contentio in reges ipſorum.

34 Ecce nubes ab Oriente, & Septentrione vſque ad Meridianum, & facies earum horrida valde, plena iræ & procellæ,

35 Et collident ſe inuicem, & collident ſidus copioſum ſuper terram, & ſidus illorum, & erit ſanguis à gladio vſque ad ventrem,

36 Et ſimus hominis vſque ad ſubſtramen cameli, & erit timor & tremor multus ſuper terram,

37 Et horrebunt qui videbunt iram illam, & tremor apprehendet illos: & poſt hæc mouebunt nimbi copioſi

38 A meridiano & ſeptentrione, & portio alia ab occidente:

39 Et ſuperinualeſcent venti ab Oriente, & recludent eam, & nubem quam ſuſcitauit in ira, & ſidus ad faciendam exterritationem ad Orientalem ventum & occidentem violabitur:

40 Et exaltabuntur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & ſidus, vt exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent ſuper omnem locum altum & eminentem ſidus terribile,

41 Ignem & grandinem, & romphæas volantes, & aquas multas, vt etiam impleantur omnes campi, & omnes riui plenitudine aquarum multarum.

42 Et demolientur ciuitates, & muros, & montes, & colles, & ligna ſiluarum, & fœnum pratorum, & frumenta eorum.

43 Et tranſibunt conſtantes vſque ad Babylonem, & exterent eam:

44 Conuenient ad ipſam, & circuibunt eam, & effundent ſidus, & omnem iram ſuper eam, & ſubibit

Vulgat. Editio.

puluis & fumus vſque in cœlum, & omnes in circuitu lugebunt eam:

45 Et qui ſub ea remanſerint, ſeruient his qui exterruerunt.

46 Et tu Aſia concors in ſpem Babylonis, & gloria perſonæ eius,

47 Væ tibi miſera propter quod aſſimilaſti ei, & ornaſti filias tuas in fornicatione, ad placendum & gloriandum in amatoribus tuis, qui tecum cupierunt ſemper fornicari.

48 Odibilem imitata es in omnibus operibus eius, & in adinuentionibus eius: propterea dicit Deus,

49 Inuittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & peſtem, ad deuaſtandas domos tuas à violatione, & morte, & gloria virtutis tuæ.

50 Sicut flos ſiccabitur, cum exurget ardor qui emiſſus eſt ſuper te,

51 Infirmaberis vt paupercula plagata & caſtigata à mulieribus, vt non poſſint te ſuſcipere potentes, & amatores.

52 Numquid ego ſic zelabor te, dicit Dominus,

53 Niſi occidiſſes electos meos in omni tempore, exaltans percuſſionem manuum & dicens ſuper mortem eorum, cum inebriata eſſes,

54 Exorna ſpeciem vultus tui?

55 Merces fornicationis tuæ in ſinu tuo, propter hoc redditionem accipies.

56 Sicut facies electis meis, dicit Dominus, ſic faciet tibi Deus, & tradet te in malum.

57 Et nati tui fame interient: & tu rhomphæa cades & ciuitates tuæ conterentur, & omnes tui in campo gladio cadent.

58 Et qui ſunt in montibus, fame peribunt, & manducabunt carnes ſuas, & ſanguinem bibent à fame panis & ſiti aquæ.

59 Infœlix per maria venies, & rurſum accipies mala.

60 Et in tranſitu allident ciuitatem occiſam, & exterent aliquam portionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rurſum reuertentes ad Babylonem ſubuerſam.

61 Et demolita eris illis pro ſtipula, & ipſi erunt tibi ignis:

62 Et deuorabunt te, & ciuitates tuas, terram tuam & montes tuos, omnes ſiluas tuas & lignum fructiferum igni comburent.

63 Filios tuos captiuos ducent, & cenſum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

CAP. XVI.

VAe tibi Babylon & Aſia, væ tibi Aegypte & Syria.

2 Præcingite vos ſaccis & ciliciis, & plangite filios veſtros, & dolete: quoniam appropinquauit contritio veſtra.

3 Immiſſus eſt vobis gladius, & quis eſt qui auertat illum?

4 Immiſſus eſt in vobis ignis, & quis eſt qui extinguat illum?

5 Immiſſa ſunt vobis mala, & quis eſt qui repellat ea?

6 Numquid repellet aliquis leonem eſurientem in ſilua, aut extinguet ignem in ſtipula, quando cœperit ardere?

7 Numquid repellet aliquis ſagittam à ſagittario forti miſſam?

8 Dominus fortis immittit mala, & quis eſt qui repellat ea?

Vulgat. Editio.

9 Exiit ignis ex iracundia eius, & quis eſt qui extinguat eum?

10 Coruſcabit, & quis non timebit? Tonabit, & quis non pauebit?

11 Dominus comminabitur, & quis non funditus conteretur à facie ipſius?

12 Terra tremuit & fundamenta eius, mare fluctuat de profundo, & fluctus eius diſturbabuntur, & piſces eius à facie Domini, & à gloria virtutis eius:

13 Quoniam fortis dextera eius quæ arcum tendit: ſagittæ eius acutæ quæ ab ipſo mittuntur, non deficient, cum cœperint mitti in fines terræ.

14 Ecce mittuntur mala, & non reuertentur donec veniant ſuper terram.

15 Ignis ſuccenditur, & non extinguetur, donec conſumat fundamenta terræ.

16 Quemadmodum non redit ſagitta miſſa à valido ſagittario, ſic non reuertentur mala quæ miſſa fuerint in terram.

17 Væ mihi, væ mihi: quis me liberabit in illis diebus?

18 Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt poteſtates, initium malorum & trepidabunt omnes.

19 In his quid faciam, cum venerint mala?

20 Ecce fames & plaga, & tribulatio, & anguſtia miſſa ſunt flagella in emendatione,

21 Et in his omnibus ſe non conuertent ab iniquitatibus ſuis, neque flagellorum memores erunt ſemper.

22 Ecce, erit annonæ vilitas ſuper terram, ſicvt putent ſibi eſſe directam pacem, & tunc germinabunt mala ſuper terram, gladius, fames, & magna confuſio.

23 A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient, & gladius perdet cæteros qui ſuperauerint à fame,

24 Et mortui ſicut ſtercora proijcientur, & non erit qui conſoletur eos. Derelinquetur enim terra deſerta, & ciuitates eius deijcientur.

25 Non derelinquetur qui colat terram, & qui ſeminet eam.

26 Ligna dabunt fructus, & quis vindemiabit illa?

27 Vua matura fiet, & quis calcabit illam? erit enim locis magna deſertio.

28 Cupiet enim homo hominem videre, vel vocem eius audire.

29 Relinquentur enim de ciuitate decem, & duo de agro qui abſconderint ſe in denſis nemoribus, & ſciſſuris petrarum:

30 Quemadmodum derelinquuntur in oliueto & ſingulis arboribus tres aut quattuor oliuæ.

31 Aut ſicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab his qui diligenter vineam ſcrutantur:

32 Sic relinquentur in diebus illis tres aut quattuor ab ſcrutantibus domos eorum in rhomphæa.

33 Et relinquetur terra deſerta, & agri eius inueterabunt, & viæ eius, & omnes ſemitæ eius germinabunt ſpinas, eo quod non tranſient homines per eam.

34 Lugebunt virgines non habentes ſponſos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habentes adiutorium:

35 Sponſi earum in bello conſumentur, & viri earum in fame exterentur.

36 Audite vero iſta, & cognoſcite ea ſerui Domini.

37 Ecce verbum Domini, excipite illud: ne diis credatis de quibus dicit Dominus.

38 Ecce appropinquant mala, & non tardant.

39 Quemadmodū prægnās cū parit in nono men-

Vulgat. Editio.

se filium suum,appropinquante hora partus eius ante horas duas vel tres, dolores circumeunt ventrem eius,& prodeunte infante de ventre non tardabunt vno puncto:

40 Sic non morabuntur mala ad prodeundum super terram, & sæculum gemet, & dolores circum tenebunt illud.

41 Audite verbum, plebs mea : parate vos in pugnam, & in malis sic estote,quasi aduenæ terræ.

42 Qui vendit,quasi qui fugiat:& qui emit, quasi qui perditurus.

43 Qui mercatur,quasi qui fructum non capiat: & qui ædificat,quasi non habitaturus.

44 Qui seminat,quasi qui non metet:sic & qui vineam putat, quasi non vindemiaturus.

45 Qui nubunt sic quasi filios non facturi : & qui non nubunt,sic quasi vidui.

46 Propter quod qui laborant, sine causa laborant:

47 Fructus enim illorum alienigenæ metent, & substantiam illorum rapient, & domos euertent, & filios eorum captiuitabunt, quia in captiuitate & fame generant natos suos.

48 Et qui negotiantur in rapina, quantum diu exornant ciuitates & domos suas, & possessiones & personas suas,

49 Tanto magis adzelabor eos super peccata sua, dicit Dominus:

50 Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonam valde,

51 Sic zelabitur iustitia iniquitatem cum exornat se,& accusat eam in facie, cum venerit qui defendat exquirentem omne peccatum super terram.

52 Propterea nolite similari ei, nec operibus eius:

53 quoniam adhuc pusillum, & tolletur iniquitas à terra,& iustitia regnabit in vos.

54 Non dicat peccator se non peccasse : quoniam carbones ignis comburet super caput eius, qui dicit: Non peccaui coram Domino Deo & gloria ipsius.

55 Ecce Dominus cognoscet omnia opera hominum, & adinuentiones illorum, & cogitationes illorum,& corda illorum.

56 Dixit enim:Fiat terra, & facta est: fiat cœlum, & factum est,

57 Et in verbo illius stellæ fundatæ sunt, & nouit numerum stellarum.

58 Qui scrutatur abyssum, & thesauros illarum: qui mensus est mare,& conceptum eius.

59 Qui concluſit mare in medio aquarum, & suspendit terram super aquas verbo suo.

Vulgat. Editio.

60 Qui extendit cœlum quasi cameram, super aquas fundauit eum.

61 Qui posuit in deserto fontes aquarum,& super verticem montium lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra, vt potaret terram.

62 Qui finxit hominem, & posuit cor suum in medio corporis, & misit ei spiritum,vitam & intellectum,

63 Et spiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia,& scrutinat omnia absconsa in absconsis terræ.

64 Hic nouit adinuentionem vestram, & quæ cogitatis in cordibus vestris peccantes & volentes occultare peccata vestra.

65 Propter quod Dominus scrutinando scrutinauit omnia opera vestra,& traducet vos omnes,

66 Et vos confusi eritis cum processerint peccata vestra coram hominibus, & iniquitates erunt quæ accusatores stabunt in die illo.

67 Quid facietis?aut quomodo abscondetis peccata vestra coram Deo & Angelis eius?

68 Ecce iudex Deus,timete eum. Desinite à peccatis vestris, & obliuiscamini iniquitates vestras iam agere eas in sempiterno,& Deus educet vos,& liberabit de omni tribulatione.

69 Ecce enim incenditur ardor super vos turbæ copiosæ, & rapient quosdam ex vobis, & cibabunt idolis occisos:

70 Et qui consenserint eis, erunt illis in derisum,& in improperium,& in conculcationem.

71 Erit enim locis locus, & in vicinas ciuitates exurrectio multa super timentes Dominum.

72 Erunt quasi insani nemini parcentes, ad diripiendum & deuastandam adhuc timentes Dominum.

73 Quia deuastabunt & diripient substantias,& de domibus suis eos eijcient.

74 Tunc parebit probatio electorum meorum, vt aurum quod probatur ab igne.

75 Audite dilecti mei,dicit Dominus: Ecce adsunt dies tribulationis,& de his liberabo vos.

76 Ne timeatis, nec hæsitetis, quoniam Deus dux vester est.

77 Et qui seruat mandata & præcepta mea, dicit Dominus Deus,ne præponderent vos peccata vestra, ne superleuent se iniquitates vestræ.

78 Væ qui constringuntur à peccatis suis,& obteguntur ab iniquitatibus suis, quemadmodum ager constringitur à silua,& spinis tegitur semita eius per quam non transit homo, & excluditur, & mittitur ad deuorationem ignis.

FINIS.

LIBRI IOB.

Vulgat. Editio.

CAPVT PRIMVM.

VIr erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.

Natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.
Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo. Et mittentes vocabant tres ſorores ſuas vt comederent & biberent cum eis.
Cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos, conſurgensque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis: Sic faciebat Iob cunctis diebus.
Quadam autem die cum veniſſent filij Dei, vt aſſiterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.
Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui reſpondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.

Dixitque Dominus ad eum: Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo?
Cui reſpondens Satan, ait: Numquid Iob fruſtra timet Deum?
Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum, operibus manum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra?
Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet niſi in faciem benedixerit tibi.
Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egreſſusque eſt Satan à facie Domini.
Cum autem quadam die filij, & filiæ eius comederent & biberent vinum in domo fratris ſui primogeniti.
Nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.

Et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus; vt nunciarem tibi.
Cumque adhuc ille loqueretur venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues puerosque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

LIBRI IOB.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAPVT PRIMVM.

VIr fuit in terra Hus, Iob nomen eius. Et erat vir ille perfectus, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.

Natiq; ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ.
Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia pecudum, & ſeptem millia camelorum, quingenta iuga boum, & quingentæ aſinæ, & familia multa valde: eratque vir ille maior omnibus filijs Orientis.

Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domum vnuſquiſque in die ſuo, & mittebant, vocabantq; tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis.

Et fuit cum reuoluti eſſent dies conuiuij, mittebat Iob, & ſanctificabat eos, ſurgebatque mane, & offerebat holocauſta ſecundum numerum omnium ipſorum. Dicebat enim Iob: Forſitan peccauerunt filij mei, & maledixerunt Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.
Et fuit dies, & venerunt filij Dei, vt ſtarent coram Domino, & venit etiam Satan in medium eorum.

Et dixit Dominus ad Satan, Vnde venis? Et reſpondit Sathan ad Dominum, & dixit: A circumeundo terram, & à perambulando eam.
Dixitq; Dominus ad Sathan: Nunquid poſuiſti cor tuum ſuper ſeruum meum Iob, quod non ſit ſimilis illi in terra perfectus, & rectus, timens Deum, & recedens à malo?
Et reſpondit Satan Domino, & dixit: Nunquid gratis time. Iob Deum
Nonne tu ſepem poſuiſti circa eum, & circa domum eius, & circa omne quod eſt ei vndique? operi manum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra.

Verum mitte nunc manum tuam, & tange omne quod eſt ei, niſi in faciem tuam maledixerit tibi.
Et dixit Dominus ad Satan; ecce quicquid eius eſt in manu tua eſt, tantum in eum ne mittas manum tuam. Et egreſſus eſt Satan à conſpectu Domini.

Et fuit dies, & filij eius, & filiæ eius comedebant, & bibebant vinum in domo fratris ſui primogeniti.

Et nuncius venit ad Iob, & dixit: Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta loca eorum.

Et irruerunt Sebæi, & tulerunt eos, & pueros percuſſerunt acie gladij, & euaſi tantum ego, ſolus ego vt nunciarem tibi.
Adhuc illo loquente alius venit, & dixit: Ignis Dei cecidit de cœlo ſuccenſus eſt in pecoribus, & in pueris, & conſumpſit eos, & euaſi tantum ego, ſolus ego, vt nunciarem tibi.

LIBRI IOB.

Transl. ex Septuag.

CAPVT PRIMVM.

HOmo quidam erat in regione Ausitide, cui nomen Iob: & erat homo ille verax, sine crimine, iustus, colens Deum, abstinens ab omni mala re,

Nati sunt autem ei filij septem, & filiæ tres,

Et erant pecora eius oues septies mille, cameli ter mille, iuga boum quingenta, fœminæ asinæ pascuales quingentæ: & ministerium multum valde, & opera magna erant ei super terram: & erat homo ille nobilis inter eos, qui à solis Ortu,

Conuenientes autem filij eius adinuicem, faciebant conuiuium per singulos dies, assumentes simul & tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.

Cumque consummati essent dies conuiuij; mittebat Iob, & purificabat eos exurgens mane, & offerebat pro eis victimas secundum numerum eorum, & vitulum vnum pro peccato, pro animabus eorum. Dicebat enim Iob: ne forte filij mei in mente sua cogitauerint mala erga Deum.

Sic igitur faciebat Iob omnibus diebus: Et factum est sicut dies hæc; & ecce venerunt angeli Dei, vt starent coram Dño, & diabolus venit cum eis.

Et dixit Dominus diabolo: Vnde ades? & respondens diabolus Domino, dixit: Postquam circuiui terram, & perambulaui eam, quæ sub cælo; adsum.

Et dixit ei Dominus: Attendisti mente tua super puerum meum Iob? quod non est iuxta eum in terra homo sine crimine, verax, colens Deum, abstinens ab omni mala re:

Respondit autem diabolus, & dixit coram Domino: Num gratis Iob colit Dominum?

Nonne tu munisti ea, quæ extra ipsum, & quæ intra domum eius: & quæ extra ex omnibus, quæ sunt in circuitu eius? opera autem manuum eius benedixisti, & pecora eius multa fecisti super terrâ?

Sed mitte manum tuam & tange omnia, quæ habet: certe in faciem te benedicet.

Tunc dixit Dominus diabolo: Ecce omnia quæcumque sunt ei, do in manum tuam; sed ipsum ne tetigeris. Et exiuit diabolus à Domino.

Et erat sicut dies hæc, filij Iob, & filiæ eius bibebant vinum in domo fratris sui senioris:

Et ecce nuncius venit ad Iob, & dixit ei: Iuga boum arabant, & fœminæ asinæ pascebantur coniunctæ eis,

Et venientes prædones prædati sunt eas, & pueros interfecerunt in gladiis: saluatus autem ego solus veni, vt annunciarem tibi.

Adhuc isto loquente, venit alius nuncius, & dixit ad Iob: Ignis cecidit de cælo, & combussit oues, & pastores deuorauit similiter: saluatus autem ego solue veni, vt annunciarem tibi;

LIBRI IOB.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAPVT PRIMVM.

VIr fuit in terra Vs, Iob nomen eius: eratque vir ille perfectus, & rectus, ac timens Deum, recedensq; à malo.

Nati sunt autem ei septem filij, & tres filiæ.

Et fuit peculium eius septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, ac quingentæ asinæ, & familia multa valde: eratque vir ille maximus omnium Orientalium.

Ibant autem filij eius, & faciebant conuiuia in domo cuiusque die suo: mittebantque & vocabant tres sorores suas, vt comederent & biberent secum.

Quumq; in orbem transissent dies conuiuij, mittebat Iob, & sanctificabat eos: surgebatque summo mane, & offerebat holocausta iuxta numerum omnium eorum. dicebat enim Iob, Forsitan peccauerunt filij mei, & maledixerunt Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

Quadam autem die venerunt filij Dei vt starent coram Iehoua, & venit etiam Satan in medium eorum.

Dixitq; Iehouah ad Satan, Vnde venis? Et respondens Satan Iehoua, dixit, Ab expatiando in terra, & à deambulando in ea.

Dixit autem Iehouah ad Satan, Apposuistine cor tuum ad seruum meum Iob, quod non sit similis illi in terra, vir perfectus, ac rectus, timens Deum, & recedens à malo?

Respondens autem Satan Iehoua, dixit, An gratis timet Iob Deum?

Nonne tu vallasti eum, & domum eius, ac quicquid illius est per circuitum? operi manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra.

Verum mitte nunc manum tuam, & tange quicquid eius est, nisi in faciem tuam maledixerit tibi.

Dixit itaque Iehouah ad Satan, En quicquid eius est in manu tua est; tantum in eum ne inycias manum tuam. Et exiuit Satan à conspectu Iehoua.

Die autem quadam filij eius & filiæ eius comedebant & bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti:

Venitq; nuntius ad Iob, ac dixit, Boues arabant, & asinæ pascebantur in locis suis:

Irruerunt autem Sebæi, ac tulerunt eos, pueroscq; percusserunt acie gladij, & euasi tantum ego solus vt renuntiarem tibi.

Adhuc ille loquebatur, & alius venit, qui dixit, Ignis Dei decidit è cælo, & exussit oues, ac pueros, consumpsitq; eos: & euasi tantum ego solus, vt renuntiarem tibi.

Vulgat. Editio.

Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus vt nunciarem tibi.

Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

Repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quattuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt, & effugi ego solus vt nunciarem tibi.

Tunc surrexit Iob & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit.

Et dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum.

* Eccli. 5.14. 1. Tim. 6. 7. * In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

CAP. II.

FActum est autem cum quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu eius,

Vt diceret dominus ad Satan: Vnde venis? Qui respondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.

Et dixit dominus ad Satan: Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.

Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:

Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serua.

Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius:

Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.

(·.·) (·) (·.·)

Qui ait ad illam: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

17 *Adhuc illo loquente alius venit, & dixit: Chaldæi posuerunt tres duces, & grassati sunt super camelos, & tulerunt eos, pueroſque percusserunt acie gladij, & euasi tantum ego, solus ego vt nunciarem tibi.*

18 *Adhuc illo loquente, alius venit, & dixit: Filij tui, & filiæ tuæ vescebantur, & bibebant vinum in domo fratris eorum primogeniti,*

19 *Et ecce ventus magnus venit è loco qui est trans desertum, & percussit quatuor angulos domus, cecidit́q; super pueros, & mortui sunt, & euasi tantum ego, solus ego, vt nuntiarem tibi.*

20 *Et surrexit Iob, & scidit pallium suum, totondit́que caput suum, & prostrauit se in terram, & adorauit,*

21 *Ac dixit: Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, & Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

22 *In omni hoc non peccauit Iob, nec tribuit aliquid insulsum Deo.*

CAP. II.

1 *ET fuit dies, & venerunt filij Dei, vt starent coram Domino, & venit etiam Satan in medium eorum, vt staret coram Domino.*

2 *Dixit́q; Dominus ad Satan: Vnde venis? Et respondit Satan Domino, & dixit: A circumeundo terram, & perambulando eam.*

3 *Dixit́q; Dominus ad Satan: Nunquid posuisti cor tuum super seruum meum Iob, quod non sit similis illi in terra, vir perfectus, & rectus, timens Deum, & recedens à malo? & adhuc ipse retinet perfectionem suam. Et incitasti me contra eum gratis, vt perderem eum gratis.*

4 *Et respondit Sathan Domino, & dixit. Pellem pro pelle, & cuncta quæ sunt viro dabit pro anima sua.*

5 *Veruntamen extende nunc manum tuam, & tange os eius & carnem eius, nisi in faciem tuam maledixerit tibi.*

6 *Dixitque Dominus ad Sathan. Ecce est in manu tua, verumtamen animam eius serua.*

7 *Et egressus est Sathan à facie Domini, & percussit Iob vlcere malo à planta pedis eius vsque ad verticem eius.*

8 *Et tulit testam ad scalpendum se ea, & sedebat in medio cineris.*

9 *Et dixit ei vxor sua. Adhuc retines perfectionem tuam? maledic Deo, & morere.*

(·.·) (·.·) (·.·)

10 *Et dixit ad eam: Sicut loquitur vna è stultis, loqueris. Et bonum suscepimus à Deo, & malum non suscipiemus? In omni hoc non peccauit Iob labiis suis.*

Transl. ex Septuag.

Adhuc isto loquente venit alius nuncius,& dixit ad Iob: Equites fecerunt nobis capita tria, & circundederunt camelos,& ceperunt, & pueros occiderunt in gladiis:saluatus autem sum ego solus, & veni,vt annunciarem tibi.

Adhuc isto loquente,alius nuncius aduenit, dicens: Filiis tuis,& filiabus tuis manducantibus,& bibentibus apud fratrem suum seniorem,

Repente spiritus magnus irruit è deserto, & tetigit quatuor angulos domus, & cecidit domus super paruulos tuos, & mortui sunt: saluatus autem sum ego solus,& veni,vt annunciarem tibi.

Sic exurgens Iob conscidit vestimenta sua,& totondit comam capitis, & procumbens humi adorauit,

Et dixit: Ipse nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus & reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit:sicut Domino placuit,ita factum est:sit nomen Domini benedictum.

In omnibus his,quæ acciderunt ei,nihil peccauit Iob coram Domino: & non dedit insipientiam Deo.

CAP. II.

FActum est autem vt dies hæc; & venerunt angeli Dei,vt assisterent coram Domino,& diabolus venit in medio eorum, vt assisteret coram Domino.

Et dixit Dominus diabolo: Vnde tu aduenis? Tunc dixit diabolus in conspectu Domini: Postquam peragraui eam quæ sub cælo, & obambulaui vniuersam;adsum.

Dixit autem Dominus ad diabolum: Attendisti igitur famulo meo Iob? quod non est iuxta eum de iis,qui sunt super terram homo innocens, verax, irreprehensibilis,timens Deum, abstinens ab omni malo: adhuc autem retinet innocentiam. Tu vero dixisti substantiam eius frustra perdere.

Suscipiens autem diabolus dixit Domino: Pellem pro pelle,quæcumque sunt homini,pro anima sua pendet.

Alioquin autem mittens manum tuam, tange ossa eius, & carnes eius: certe in faciem te benedicet.

Dixit autem Dominus diabolo. Ecce trado tibi eum:tantummodo animam eius custodi.

Exiuit autem diabolus à Domino,& percussit Iob vlcere maligno,à pedibus vsque ad caput:

Et sumpsit testam, vt saniem raderet & sedebat in sterquilinio extra ciuitatem.

Tempore autem multo transacto dixit ei vxor eius. Quousque sustinebis dicens, ecce permaneo tempus adhuc paruum, expectãs spem salutis meæ? Ecce enim deletum est memoriale tuum de terra, filij, & filiæ mei vteri, dolores, & labores,quos in vacuum laboraui cum ærumnis:tu vero ipse in putredine vermium sedes, pernoctans sub dio: & ego errans,& ancilla, locum ex loco, & domum è domo, expectans solem, quando occidet, vt requiescam ab ærumnis, & doloribus, qui me nunc premunt.Sed dicito aliquod verbum in Dominum, & morere.

Ille vero inspiciens dixit ei: Tanquam vna insipientum mulierum locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini: mala cur non sustinebimus? In omnibus his, quæ acciderunt ei nihil peccauit Iob labiis coram Deo.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

17 *Adhuc ille loquebatur & alius venit, qui dixit, Chaldei tribus aciebus diuisi excurrerunt in camelos, ac tulerunt eos, pueros que percusserunt acie gladij; & euasi tantum ego solus vt renunciarem tibi.*

18 *Adhuc ille loquebatur & alius venit, qui dixit, Filij tui & filiæ tuæ vescebantur, ac bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti:*

19 *Et ecce ventus magnus venit è loco qui est trans desertum, & percussit quatuor angulos ipsius domus, quæ corruit super pueros, & mortui sunt: euasi autem tantum ego solus vt renuntiarem tibi.*

20 *Tunc surrexit Iiob, & scidit pallium suum, totonditq; caput suum, atque corruens in terram, adorauit,*

21 *Ac dixit, Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Iehouah dedit, & Iehouah abstulit, sit nomen Iehouæ benedictum,*

22 *In toto hoc non peccauit Iiob, nec attribuit insulsum quicquam Deo.*

CAP. II.

QVadam autem die venerunt filij Dei vt astarent coram Iehoua, & venit etiam Satan in medio eorum vt astaret coram Iehoua.

Dixitq; Iehouah ad Satan, Vnde venis? Respondens Satan Iehouæ, dixit, Ab expatiando in terra, & deambulando in ea.

Dixit autem Iehouah ad Satan, Appossuistine cor tuum ad seruum meum Iiob, quod non sit similis illi in terra, vir perfectus ac rectus, timens Deum, & recedens à malo? adhuc enim ipse retinet perfectionem suam, quamuis incitaueris me in eum vt perderem ipsum sine causa.

Respondens vero Satan Iehouæ, dixit, Pellem pro pelle, & cuncta quæ sunt viro, dabit pro anima sua.

Verum mitte nunc manum tuam, & tange ipsummet & carnem eius, nisi in faciem tuam maledixerit tibi.

Dixit itaque Iehouah ad Satan, En ipse in manu tua, verum animam eius serua.

Exiuit igitur Satan à facie Iehouæ, & percussit Iiob vlcere malo à planta pedis eius vsque ad verticem eius.

Accepitque testam vt scalperet sese ea: & ipse sedebat in medio cineris.

Dixit autem ei vxor sua, Adhuc tu retines perfectionem tuam? maledic Deo, & morere.

(·.·)

(·.·)

(·.·)

Ad quam ille ait, Vt loquitur vna è stultis, loqueris? præterea bonum suscipiemus à Deo, & malum non suscipiemus? In omni hoc non peccauit Iiob labiis suis.

Vulgat. Editio.

Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidiſſet ei venerunt ſinguli de loco ſuo, Eliphaz Themanites & Baldad Suhites, & Sophar Naamathithes. Condixerant enim, vt pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur. 11

Cumque eleuaſſent procul oculos ſuos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum. 12

Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem. 13

CAP. III.

POſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo, 1

Et locutus eſt. 2

* Hier. 20. 14. * Pereat dies in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo. 3

Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine. 4

Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. 5

Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. 6

Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna: 7

Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan: 8

Obtenebrentur ſtellæ caligine eius: expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ: 9

Quia non concluſit oſtia ventris, qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis. 10

Quare non in vulua mortuus ſum, egreſſus ex vtero non ſtatim perij? 11

Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? 12

Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem: 13

Cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: 14

Aut cum principibus, qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento: 15

Aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem. 16

Ibi impij ceſſauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore. 17

Et quondam vincti pariter ſine moleſtia, non audierunt vocem exactoris. 18

Paruus & magnus ibi ſunt, & ſeruus liber à domino ſuo. 19

Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? 20

Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum: 21

Gaudentque vehementer cum inuenerint ſepulchrum. 22

Viro cuius abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris? 23

Antequam comedam ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus: 24

Quia timor, quem timebam, euenit mihi: & quod verebar accidit, 25

Nonne diſſimulaui? nonne ſilui? nonne quieui? & venit ſuper me indignatio. 26

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Et audierunt tres amici Iob omne malum hoc, quod euenerat ei, & venerunt vnuſquiſque è loco ſuo, Eliphaz Themanites, & Bildad Suchites, & Sophar Naamatites: & conuenerunt ſimul, vt venirent ad condolendum ei, & conſolandum eum. 11

Et eleuauerunt oculos procul, & non cognouerunt eum, & leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, ſcideruntque vnuſquiſque pallium ſuum, & ſparſerunt puluerem ſuper capita ſua in cælum. 12

Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & non erat qui loqueretur ei verbum. Videbant enim quod creuerat dolor valde. 13

CAP. III.

Hæc quæ numero primo notantur, in Biblia Sanct. Pagnini habentur contracta ſuperiori capitulo.

POſt hoc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo. 1

Et clamauit Iob, & dixit. 2

Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dixit pater: Conceptus eſt vir. 3

Dies illa ſit tenebræ, non requirat illam Deus deſuper, nec appareat ſuper illam lux. 4

Polluant illam tenebræ, & caligo, habitet ſuper illam nubes, terreant illam æſtus diei. 5

Noctem illam tollat caligo, non ſit vna inter dies anni, in numerum menſium non veniat. 6

Ecce nox illa ſit ſolitaria, non veniat laus in illa. 7

Maledicant illi qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare luctum ſuum. 8

Obtenebrentur ſtellæ quæ apparent in crepuſculo eius: expectet lucem, & non ſit, nec videat ſplendorem auroræ. 9

Quia non concluſit oſtia ventris matris meæ, nec abſcondit laborem ab oculis meis. 10

Vt quid non in vulua mortuus ſum, aut ex ventre egreſſus non obij? 11

Cur præuenerunt me genua, & cur vbera, vt lactarer? 12

Etenim nunc dormirem, & quieſcerem: dormirem tunc, requies fuiſſet mihi. 13

Cum regibus, & conſulibus terræ qui ædificant deſolata ſibi. 14

Vel cum principibus quibus eſt aurum, qui replent domos ſuas argento. 15

Vel ſicut abortiuum abſconditum, non eſſem, ſicut paruuli qui non viderunt lucem. 16

Ibi impij ceſſauerunt ab afficiendo timore, & ibi requieuerunt feſſi robore. 17

Pariter vincti requieuerunt, non audierunt vocem exactoris. 18

Paruus, & magnus ibi eſt, & ſeruus liber à domino ſuo. 19

Vt quid dedit laboranti lucem, & vitam amaris animo? 20

Qui expectant mortem & non eſt, & inquirunt ea pluſquam theſauros. 21

Qui lætantur exultatione, gaudent cum inuenerint ſepulchrum. 22

Vt quid dedit lucem viro cuius via abſcondita eſt, & texit Deus circa eum. 23

Quia ante panem meum ſuſpirium meum veniet, & effuſi ſunt ſicut aqua rugitus mei. 24

Quia timorem timui, & euenit mihi: & quod verebar euenit mihi. 25

Non habui pacem, nec quieui, neque requieui, & venit pauor. 26

Transl. ex Septuag.

Cum audissent autem tres amici eius, mala omnia, quæ superuenerant ei; aduenerunt vnusquisque è propria regione ad eum, Eliphaz Tæmanorum rex, Baldad Saucheorum tyrannus, Sophar Minæorum rex: & accesserunt ad eum vnanimiter ad consolandum, & visitandum eum. 11

Cum vidissent autem eum de longe, non agnouerunt: & clamantes voce magna plorauerunt, scindentes vnusquisque stolam suam, & aspergentes terram. 12

Assederunt ei septem dies, & septem noctes, & nemo eorum locutus est: videbant enim plagam esse grauem, & magnam valde. 13

CAP. III.

POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suæ. 1

Dicens: 2

Pereat dies in qua natus sum, & nox illa, qua dixerunt; ecce masculus: 3

Nox illa sit tenebræ, neque requirat eam Dominus desuper: nec veniat in eam lumen, 4

Sed excipiant illam tenebræ, & vmbra mortis superueniat in eā caligo: maledicta sit dies & nox illa: 5

Auferant eam tenebræ: non sit in diebus anni, neque numeretur in diebus mensium: 6

Sed nox illa sit dolor, & non veniat super eam lætitia, neque gaudium: 7

Sed maledicat ei, qui maledicit diem illam: qui habet magnum cetum opprimere: 8

Obtenebrescant sydera noctis illius: permaneat, & in lucem non veniat, & non videat Luciferum exorientem. 9

Quoniam non conclusit portas ventris matris meæ: abstuliſſet enim vtiq; laborem ab oculis meis. 10

Quare enim in ventre non obij? ex vtero autem exij, & non protinus perij? 11

Vt quid autem occurrerunt mihi genua? quare autem vbera suxi? 12

Nunc vtique dormiens quiescerem; somnum autem capiens requiescerem, 13

Cum regibus, consiliariis terræ, qui gloriabantur in gladiis, 14

Aut cum principibus, quibus multum fuit aurum, qui compleuerunt domos suas argento: 15

Aut tanquam abortiuum exiens de vulua matris: aut tanquam infantes, qui non viderũt lucem. 16

Vbi impij accenderunt furorem iræ: ibi requieuerunt fatigati corpore: 17

Pariter autem seculares non audierunt vocem exactoris: 18

Pusillus, & magnus ibi est, & seruus timens Dominum suum, 19

Vt quid enim data est eis, qui in amaritudine sunt, lux, & vita animabus, quæ sunt in doloribus? 20

Qui desiderant mortem, & non contingit illis: effodientes quasi thesauros, 21

Læti autem facti sunt, si fuerint consequuti: 22

Mors vero requies: conclusit enim Deus super eum: 23

Ante esas quippe meas gemitus adest, & fleo ego coarctatus timore. 24

Timor enim, quem verebar, venit mihi, & quem metueram, occurrit mihi: 25

Neque in pace fui, neque in silentio, neque in requie: venit autem mihi ira. 26

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Porro quum audissent tres amici Iiob omne malum istud quod euenerat illi, venerunt singuli à loco suo, Eliphaz Themanites, & Bildad Suhites, & Sophar Naamathites: constituerant enim simul venire ad condolendum ei, & consolandum eum. 11

Qui eleuantes oculos procul, non agnouerunt eum, & leuauerunt vocem suam, ac fleuerunt, scideruntq; singuli pallium suum, & sparserunt puluerem super capita sua in cœlum: 12

Atque sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, nec erat qui loqueretur ei verbum: videbant enim quod increuerat dolor admodum. 13

CAP. III.

POst hæc aperuit Iiob os suum, & maledixit diei suo. 1

Clamauitq; Iiob, ac dixit, 2

Pereat dies in qua natus sum: & nox quæ dixit, Conceptus est vir. 3

Dies illa sit tenebræ: non requirat illam Deus desuper, nec splendeat super illam lux. 4

Polluant illam tenebræ, & vmbra mortis habitet super illam nubes, terreant illam æstus diei. 5

Noctem illam occupet caligo, ne gaudeat inter dies anni, in numerum lunarum ne veniat. 6

En nox illa sit solitaria, ne veniat cantus in illa. 7

Maledicant illi qui maledicunt diei, qui parati sunt excitare luctum suum. 8

Obtenebrentur stellæ crepusculi eius: expectet lucem & non adsit, nec videat palpebras aurorę: 9

Quia non conclusit ostia ventris mei, nec abscondit molestiam ab oculis meis. 10

Quare non à vulua mortuus sum, aut quare ex ventre egressus sum, & non obij? 11

Quare præuenerunt me genua? & quare vbera, vt sugerem? 12

Nunc enim iacerem, & quiescerem: dormirem, tunc quies esset mihi 13

Cum Regibus & consiliarijs terræ qui ædificabant desolata sibi: 14

Aut cum principibus quibus erat aurum, qui replebant domos suas argento: 15

Aut sicut abortiuum absconditum non fui, sicut paruuli qui non viderunt lucem? 16

Illic impij desinunt incutere metum, & ibi quiescunt fessi robore: 17

Simul vincti conquiescunt, non audiunt vocem exactoris. 18

Paruus & magnus illic est, illic inquam seruus est liber à domino suo. 19

Quare dedit afflicto lucem, & vitam amaris animo? 20

Qui expectant mortem, & non est, & inquirunt eam plusquam thesauros. 21

Qui lætantur exultatione, gaudent quum inuenerint sepulchrum. 22

Quare inquam dedit lucem viro cuius via abscondita est, & præclusit Deus propter illum? 23

Nam ante panem meum suspirium meum venit, & stillant instar aquæ rugitus mei: 24

Quia timorem timui, & euenit mihi: & quod verebar, accidit mihi. 25

Non habeo pacem, nec quiesco, neque requiesco: venit enim pauor. 26

Vulgat. Editio.

CAP. IIII.

REspondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

Si cæperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

Ecce docuisti multos,& manus lassas roborasti:

Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremientia confortasti:

Nunc autem venit super te plaga,& defecisti: tetigit te,& conturbatus es.

Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?

Recordare obsecro te, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?

Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem,& seminant dolores,& metunt eos:

Flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.

Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt,

Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt.

Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius.

In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines,

Pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt:

Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum: imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.

* Inf. 25.4. * Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?

* Inf. 15.15.2 Pet. 2.4 * Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles,& in angelis suis reperit prauitatem:

Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur volut à tinea?

De mane vsque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit in æternum peribunt.

Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

CAP. V.

VOca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere:

Vere stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.

Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.

Longe fient filij eius à salute, & conterentur in porta,& non erit qui eruat.

Cuius messem famelicus comedet & ipsum rapiet armatus,& bibent sitientes diuitias eius.

Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor.

Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.

Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. IIII.

1 *ET respondit Eliphaz Themanites, & dixit.*

2 *Nonne si tentauerit quispiam loqui verbum ad te agre feres? Sed prohibere sermones quis poterit?*

3 *Ecce erudiuisti multos, & manus lassas roborasti.*

4 *Cadentem erexerunt sermones tui, & genua curuata roborasti.*

5 *Quia nunc venit tibi quod timebas agre tulisti: tetigit te, & territus es.*

6 *Nonne timor tuus fuit ob spem tuam, & propter expectationem tuam, perfectio viarum tuarum?*

7 *Recordare obsecro quis fuerit innocens qui perierit, & vbi recti succisi fuerint.*

8 *Quemadmodum vidi arantes iniquitatem, & seminantes peruersitatem, metent illam.*

9 *A flatu Dei peribunt, & à spiritu furoris eius deficient.*

10 *Rugitus leonis, & vox leonis, & dentes leunculorum euulsi sunt,*

11 *Leo maior perit, eo quod non est præda, & filij leonis separabunt se.*

12 *Et à me verbum absconditum fuit, & suscepit auris mea parum de eo.*

13 *In cogitationibus visionum nocturnarum, quando cadit sopor super homines.*

14 *Pauor euenit mihi, & tremor, & multum ossa mea pauere fecit.*

15 *Et spiritus coram me transiuit, horripilare fecit pilos carnis meæ.*

16 *Stetit & non agnoscebam aspectum eius: imago coram oculis meis erat, tenuem & vocem audiui.*

17 *Nunquid homo Deo iustior erit, num factore suo mundior erit vir?*

18 *Ecce seruis suis non credet, nec in angelis suis ponet lumen:*

19 *Quanto magis habitantes domos luteas, quorum est in terra fundamentum conterent, donec fuerit arcturus.*

20 *A mane vsque ad vesperam conterentur, quia non est qui ponat cor, in seculum peribunt.*

21 *Nonne translata est dignitas eorum quæ erat in eis? morientur, & non in sapientia.*

CAP. V.

1 *CLama nunc si est qui respondeat tibi, & ad aliquem sanctorum verte te.*

2 *Quia stultum occidet iracundia, & eum qui inclinat cor suum ad ea quæ videt interficiet inuidia.*

3 *Vidi stultum radicantem, & maledixi habitaculo eius statim,*

4 *Elongabuntur filij eius à salute, & conterentur, & non erit eruens.*

5 *Cuius messem famelicus comedet & de spinis tollet eam, & absorbebit prædo diuitias eorum.*

6 *Quia non egredietur de puluere iniquitas, nec de terra orietur peruersitas.*

7 *Quia homo ad laborem natus est, & scintillæ eleuabunt volatum.*

8 *Verumtamen ego quæram Deum, & ad Deum ponam eloquium meum.*

Transl. ex Septuag.

CAP. IIII.

SVscipiens autem Eliphas Themanites, ait:

Num sæpe tibi sermo est habitus in molestia? pondus autem verborum tuorum quis sustinebit?

Si enim tu erudiuisti multos, & manus infirmas consolatus es,

Et eos qui infirmabantur, erexisti verbis, genibusque impotentibus fiduciam circumposuisti

Nunc autem venit super te labor & tetigit te. Turbatus es.

Nonne timor tuus est in stultitia? & spes tua, & iniquitas viæ tuæ?

Recordare igitur quis cum mundus esset, periit, vel quando veraces radicitus perierunt?

Quemadmodum vidi eos qui arabant absurda: qui autem seminant ea, dolores metent sibi:

A præcepto Domini peribunt: à spiritu autem iræ eius delebuntur,

Robur leonis, & vox leænæ, & gaudium draconum extinctum est.

Myrmicoleon periit, eo quod non haberet escam: & catuli leonum diuisi sunt ab inuicem.

Si quod autem verbum verax fuisset in sermonibus tuis; nihil tibi horum malum accidisset. Nunquid non capiet auris mea ab eo magnifica?

Timore autem, & sonitu nocturno incidens timor super homines,

Horror mihi occurrit, & tremor, & valde ossa mea concussit,

Et spiritus in faciem meam incurrit, horruerunt autem pili mihi, & carnes.

Surrexi, & non cognoui: vidi, & non erat figura ante oculos meos: sed auram & vocem audiebam:

Quid enim? nũquid homo coram Domino mundus erit, vel de operibus suis inculpabilis vir?

Si contra seruos suos non credit, & aduersus angelos suos prauum quid aduertit;

Habitantes autem domos luteas, ex quibus & ipsi de eodem luto sumus? Percussit illos tanquam tinea?

Et à mane vsque ad vesperam vltra non sunt: eo quod non possent sibi ipsis subuenire, perierunt.

Insufflauit enim eis, & exaruerunt: interierunt, quia non habebant sapientiam.

CAP. V.

INuoca autem, si quis tibi respondeat, vel si quem angelorum sanctorum aspicias:

Etenim stultum perimit ira: errantem autem occidit zelus:

Ego autem vidi stultos radicem mittentes; sed statim absumpta est illorum habitatio.

Longe fiant filij eorum à salute, & conterantur super ianuas minorum; & non erit qui eripiat.

Quæ enim illi congregauerunt; iusti comedent: ipsi vero de malis non liberabuntur: exhauriatur fortitudo eorum.

Non enim prodiet de terra labor, neque de montibus germinabit molestia.

Sed homo nascitur labori: pulli autem vulturis aptissime volitant.

Veruntamen ego deprecabor Dominum: Dominũ autem omnium horum dominatorẽ inuocabo,

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. IIII.

ET respondens Eliphaz Themanites ille dixit,

An si disceptemus tecum, ægre feres? attamen prohibere sermones quis poterit?

Ecce, erudisti multos, & manus lassas roborasti:

Cadentem erexerunt sermones tui, & genua curuata roborasti.

Nunc autem quum venit tibi, ægre tulisti: venit vsq; ad te, & territus es.

Nonne timor tuus fuit spes tua, & perfectio viarum tuarum, expectatio tua?

Recordare obsecro quis fuerit innocens qui perierit: & vbinam recti succisi fuerint:

Quemadmodum vidi, quod arantes iniquitatem & seminantes peruersitatem, metunt illam,

Flatu Dei pereunt, & spiritu furoris eius deficiunt.

Rugitus leonis, & vox leonis, & dentes leunculorum excutiuntur.

Leo maior perit, quod non sit ei præda, & filij leonis dispergũtur.

Me quoque hæc res latebat: verum accepit auris mea pusillum ex ea.

In cogitationibus visionum nocturnarum, quando irruit sopor super homines,

Pauor accidit mihi, ac tremor, qui multitudinem ossium meorum terrefecit.

Et spiritus coram me transiuit, inhorruit pilus carnis meæ.

Tum substitit, cuius vultum non agnoui: imago coram oculis meis erat, silentium & vocem audiui.

Nunquid homo Deo iustior erit, num factore suo mundior erit vir?

Ecce in seruis suis non posuit stabilitatem, nec in Angelis suis posuit lumen:

Quanto magis in iis qui habitant domos luteas, quorum est in terra fundamentum, & quos conterent donec fuerit Arcturus.

A mane vsque ad vesperam conteruntur, eo quod non sit qui apponat cor, in seculum peribunt.

Nonne translata est dignitas eorum quæ in ipsis? moriuntur, & non in sapientia?

CAP. V.

CLama nunc & vide an sit qui respondeat tibi, & ad quem sanctorum vertes te?

Profecto stultum interficit iracundia, & ardelionem perimit inuidia.

Vidi stultum radicantem, & maledixi habitaculo eius statim.

Elongabuntur filij eius à salute, & conterentur, in porta, nec erit eruens.

Diuitiæ eorum eius erant cuius messem famelicus comedet, & de spinis tollet eam, atque inhiabit præda.

Etenim non egreditur è puluere iniquitas, nec de terra oritur peruersitas:

Tametsi homo ad molestiam natus sit, quemadmodum scintillæ attollunt sese ad volandum:

Certe ego requirerem Deum, & ad Deum ponerem eloquium meum:

Vulgat. Editio.

Qui facit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero:
Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis vniuerſa:
Qui ponit humiles in ſublime, & mærentes erigit ſoſpitate.
Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cæperant:
* Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum,& conſilium prauorum diſſipat:
Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie.
Porro ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum,& de manu violenti pauperem.
Et erit egeno ſpes, iniquitas autem contrahet os ſuum,
Beatus homo, qui corripitur à Deo increpationem ergo Domini ne reprobes:
Quia ipſe vulnerat,& medetur:percutit, & manus eius ſanabunt.
In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.
In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.
A flagello linguæ abſconderis & non timebis calamitatem cum venerit.
In vaſtitate, & fame ridebis, & beſtias terræ non formidabis.
Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi.

Et ſcies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam,non peccabis.
Scies quoque quoniam multiplex erit ſemen tuum,& progenies tua quaſi herba terræ.
Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo.

Ecce, hoc, vt inueſtigauimus,ita eſt:quod auditum,mente pertracta.

* 1. Cor. 3. 19.

CAP. VI.

REſpondens autem Iob,dixit:
Vtinam appenderentur peccata mea,quibus iram metui, & calamitas quam patior, in ſtatera.
Quaſi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore ſunt plena:
Quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me,
Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præſepe plenum ſteterit.
Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?
Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia,cibi mei ſunt.
Quis det vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?
Et qui cæpit, ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam,& ſuccidat me?
Et hæc mihi ſit conſolatio vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti.
Quæ eſt enim fortitudo mea, vt ſuſtineam? aut quis finis meus,vt patienter agam?
Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

9 *Qui facit magna, & non eſt inueſtigatio, mirabilia abſque numero.*
10 *Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & mittit aquas ſuper faciem platearum.*
11 *Vt ponat humiles in excelſo, & pullati eleuati ſunt in ſalutem.*
12 *Qui diſſipat cogitationes callidorum, & non facient manus eorum quicquam.*
13 *Qui apprehendit ſapientes in calliditate eorum, & conſilium prauorum infatuatum eſt.*
14 *Per diem occurrent tenebræ, & veluti in nocte palpabunt in meridie.*
15 *Et ſeruauit humiles à gladio, & ab ore eorum, & de manu forti pauperem.*
16 *Et fuit pauperi ſpes, & iniquitas clauſit os ſuum.*

17 *Ecce beatus homo quem increpaucrit Deus, & correctionem omnipotentis, ne ſpernas:*
18 *Quia ipſe dolere faciet, & alligabit, percutiet, & manus eius ſanabunt.*
19 *Sex anguſtiis eruet te, & in ſeptima non tanget te malum.*
20 *In fame redimet te à morte, & in bello è manibus gladij:*
21 *A flagello linguæ abſcondes te, & non timebis à vaſtitate cum venerit.*
22 *In vaſtitate, & fame ridebis, & à beſtia terræ non timebis.*
23 *Quia eris ac ſi pepigiſſes cum lapidibus agri pactum tuum, ne pedes tuos læderent, & beſtia agri pacifica erit tibi.*
24 *Et ſcies quod pacificum erit tabernaculum tuum, & viſitabis habitaculū tuū, & non pœnis afficieris pro pctō.*
25 *Et ſcies quod multum erit ſemen tuum, & filij tui ſicut herba terræ.*
26 *Ingredieris in ſenectute ſepulchrum ſicut aſcendit aceruus in aream in tempore ſuo.*

27 *Ecce hoc inueſtigauimus, & ſic eſt: audi, & tu nota tibi.*

CAP. VI.

1 *ET reſpondit Iob, & dixit.*
2 *Vtinam appendendo appenderetur ira mea, & contritionem meam in ſtatera eleuarent pariter:*
3 *Quia nunc arena martum grauior eſſet: ideo verba mea abſorpta ſunt.*
4 *Quia ſagittæ fortes mecum ſunt quarum venenum bibit ſpiritus meus, terrores fortes ordinauerunt ſe contra me.*
5 *Nunquid rudet onager iuxta germen? num mugiet bos iuxta pabulum ſuum?*
6 *Nunquid comedetur inſipidum quod eſt abſque ſale? num eſt ſapor in albumine vitelli?*
7 *Quæ renuit tangere anima mea, illa ſunt veluti agritudines carnis meæ.*
8 *Quis det vt veniat petitio mea, & expectationem meam det Deus?*
9 *Et velit Deus, & conterat me, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me.*
10 *Et ſic adhuc conſolatio mea, & calefaciam me dolore, non parcat, quia non abſcondi eloquia Sancti.*
11 *Quæ eſt fortitudo mea, ſi ſperauero, & quis finis meus, ſi prolongauero vitam meam?*
12 *Numquid fortitudo lapidum fortitudo mea? numquid caro mea ænea eſt?*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Qui facit magna, & non veſtigabilia, glorioſaque,& magnifica,quorum non eſt numerus,	9	*Qui facit maxima, & non eſt inueſtigatio: ac mirabilia abſque numero.*
Qui dat pluuiam ſuper terram, qui mittit aquam ſuper eam,quæ ſub cælo,	10	*Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & mittit aquas ſuper faciem platearum.*
Qui facit humiles in altitudinem, & ſuſcitat eos qui perierant.	11	*Vt ponat humiles in excelſo, & pullati exaltentur ſalute,*
Qui auertit conſilia verſutorum, & non facient manus eorum veritatem:	12	*Diſſipat cogitationes callidorum, & non facient manus eorum quod decreuerant.*
Qui capit ſapientes in prudentia: conſilium autem aſtutorum diſiecit:	13	*Et apprehendit ſapientes in calliditate eorum, & conſilium prauorum infatuatum eſt.*
In die occurrent eis tenebræ: in meridie autem palpent tanquam in nocte,	14	*Interdiu incurrunt in tenebras, & quaſi in nocte palpant in meridie.*
Et pereant in bello: infirmus autem egrediatur de manu potentis.	15	*Et ſeruat humiles à gladio, ab ore eorum, & à manu fortis pauperem.*
Sit autem infirmo ſpes, iniuſti autem os obſtruatur.	16	*Eſtque pauperi ſpes: iniquitas autem clauſit os ſuum.*
Beatus autem homo, quem arguit Dominus: monitionem vero omnipotentis ne renuas.	17	*Profecto beatus eſt homo quem increpauerit Deus: proinde correctionem Omnipotentis ne ſpernas:*
Ipſe enim dolere facit, & rurſus reſtituit: percuſſit, & manus eius ſanauerunt:	18	*Quia ipſe dolore afficit, & medetur: percutit, & manus eius ſanant.*
Sexies de neceſſitatibus te eruet, & in ſeptimo non te tanget malum.	19	*In ſex anguſtiis eruet te, & in ſeptima non tanget te malum.*
In fame te liberabit à morte, in prælio vero de manu ferri ſoluet te:	20	*In fame redimet te à morte, & in bello, à manibus gladij:*
A flagello linguæ abſcondet te, & non timebis à malis venientibus:	21	*A flagello linguæ abſconderis, neque timebis à vaſtitate quum venerit:*
Iniuſtos, & iniquos deridebis: & feroces beſtias non timebis.	22	*Vaſtitatem & famem ridebis, & à beſtia terræ non timebis.*
Beſtiæ enim feræ pacatæ erunt tibi:	23	*Quin & cum lapidibus agri erit pactum tibi, & beſtia agri pacifica erit tibi.*
Deinde ſcies quod in pace erit domus tua: habitatio autem tabernaculi non peccabit:	24	*Et ſcies quod pax erit in tabernaculo tuo, viſitabiſque habitaculum tuum, & non peccabis.*
Scies autem quod multum ſemen tuum, & filij tui erunt, quaſi omnis herba campi,	25	*Scies inquam quod multum erit ſemen tuum, & propagines tuæ velut herba terræ.*
Et venies in ſepulchrum, tanquam frumentum maturum, quod in tempore meſſuerunt, vel ſicut aceruus areæ in tempore comportatus.	26	*Ingredieris in ſenectute ſepulchrum, ſicut aſcendit aceruus in aream tempore ſuo.*
Ecce hæc ita exquiſiuimus: hæc ſunt quæ audiuimus: Tu vero ſcito tibi ipſi, ſi quid egeris.	27	*Ecce, hoc inueſtigauimus, & ſic eſt: audi illud, & tu ſcito tibi.*
CAP. VI.		CAP. VI.
REſpondens autem Iob dicit:	1	*REſpondens autem Iob, dixit,*
Si vero quis appendens, appenderet iram meam, & dolores meos tolleret in ſtatera pariter;	2	*Vtinam appendendo appenderetur querela mea, & contritionem meam in ſtatera eleuarent pariter:*
Et vtique arena maris grauior erit. Sed vt videtur, verba mea ſunt mala:	3	*Nunc enim arena maris grauior eſſet: ideo verba mea abſorpta ſunt.*
Sagittæ enim Domini in corpore meo ſunt; quarum furor earum bibit ſanguinem meum: cum incœpero loqui; ſtimulant me.	4	*Quia ſagittæ Omnipotentis apud me ſunt, quare venenum ebibit ſpiritus meus, terrores Dei oppugnant me.*
Quid enim? numquid fruſtra onager clamabit, niſi eſcas requirens? nunquid & erumpet vocem bos, cum habeat in præſepe cibos:	5	*Nunquid rudit onager iuxta herbam? an mugit bos iuxta pabulum ſuum?*
Nunquid poteſt ſine ſale edi panis, aut eſt ſapor in ſermonibus vanis:	6	*Nunquid comeditur inſipidum abſque ſale? num eſt ſapor in albumine vitelli?*
Non poteſt enim ceſſare ira mea: fætorem enim video eſcas meas, ſicut eſt odor leonis.	7	*Quæ renuebat tangere anima mea, ipſa ſunt velut ægritudines carnis meæ.*
Si enim det, & veniat poſtulatio mea, & ſpem me det Dominus:	8	*Quis det vt veniat poſtulatio mea, & expectationem meam det Deus?*
Qui cœpit Dominus, vulneret me: in finem autem ne me tollat:	9	*Velit & Deus, & conterat me: ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me.*
Sit autem mea ciuitas ſepulchrum, ſuper cuius muros ſaltabam ſuper eam: non parcam: non enim mentitus ſum verba ſancta Dei mei.	10	*Et erit adhuc conſolatio mea (& vror dolore, nec parcit) quod non ſuppreſſerim eloquia Sancti.*
Quæ enim virtus mea, vt ſufferam? aut quod tempus meum, vt ſuſtineat anima mea?	11	*Verum quid fortitudo mea, quod ſperem? & quid finis meus, quod prolongem vitam meam?*
Numquid virtus lapidum virtus mea, aut carnes meæ ſunt æneæ? aut non in ipſo confidebam?	12	*An fortitudo lapidum, fortitudo mea? an caro mea ænea eſt?*

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct.Pagn.
Ecce,non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me.	13	*Nonne auxilium meum eſt in me, & lex tua expulſa eſt à me?*
Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam,timorem Domini derelinquit.	14	*Viro flagellis diſſoluto, ab amico ſuo conſentaneum eſt vt impendatur miſericordia, alioqui timorem omnipotentis derelinquit.*
Fratres mei prætierierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in conuallibus.	15	*Fratres mei præuaricati ſunt contra me ſicut torrens, ſicut aqua cum impetu fluens tranſierunt.*
Qui timent pruinam,irruet ſuper eos nix.	16	*Qui torrentes denigrantur propter glaciem,in eis occultatur nix.*
Tempore,quo fuerint diſſipati,peribunt:& vt incaluerit,ſoluentur de loco ſuo.	17	*Tempore quo effluxerint,excidentur:cum incaluerint extinguentur de loco ſuo.*
Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum:ambulabunt in vacuum,& peribunt.	18	*Declinabunt ad alia loca ſemitæ viæ eorum : aſcendent in vacuum,& peribunt.*
Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba, & expectate pauliſper.	19	*Reſpicite ſemitas Temanitarum,itinera Sebæorum expectate aquas.*
Confuſi ſunt, quia ſperaui : venerunt quoque vſque ad me,& pudore cooperti ſunt.	20	*Pudore affecti ſunt, quoniam ſperauerunt : venerunt vſque ad eas,& pudore affecti ſunt.*
Nunc veniſtis :& modo videntes plagam meam timetis.	21	*Quia nunc eſtis ſimiles torrenti prædicto videtis fractionem,& timetis.*
Numquid dixi: Afferte mihi, & de ſubſtantia veſtra donate mihi?	22	*Num dixi: Afferte mihi, & de fructu veſtro donate mihi?*
Vel,Liberate me de manu hoſtis,& de manu robuſtorum eruite me?	23	*Et liberate me è manu hoſtis, & è manu robuſtorum redimite me.*
Docete me,& ego tacebo:& ſi quid forte ignorani,inſtruite me.	24	*Docete me, & tacebo: & in quo erraui intelligere facite me.*
Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cum è vobis nullus ſit qui poſſit arguere me?	25	*Quam roborata ſunt eloquia recta? & quid increpabit increpans ex vobis?*
Ad increpandum tantum eloquia concinnatis,& in ventum verba profertis.	26	*Nonne ad increpandum ſermones cogitaſtis, & in ventum eloquia mei deſperati?*
Super pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum.	27	*Etiam ſuper pupillum proijcitis laqueos, & foditis mendacia contra amicum veſtrum.*
Verumtamen quod cœpiſtis explete:præbete aurem,& videte an mentiar.	28	*Et nunc velitis reſpicere ad me: & loqui, an contra faciem veſtram mentiar.*
Reſpondete obſecro abſque contentione : & loquentes id quod iuſtum eſt,iudicate.	29	*Conuertimini nunc, ne ſit iniquitas, & reuertimini adhuc vt iuſtificetis me ab ea.*
Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit.	30	*Numquid eſt in lingua mea iniquitas,nunquid palatum meum non intelliget contritiones?*
CAP. VII.		CAP. VII.
Militia eſt vita hominis ſuper terram : & ſicut dies mercenarij, dies eius.	1	*Nonne eſt tempus determinatum homini ſuper terram,& ſicut dies mercenarij ſunt dies eius?*
Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui:	2	*Sicut ceruus reſpicit vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur mercedem operis ſui.*
Sic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.	3	*Sic hæreditatè accepi mihi menſes mendaces, & noctes laborioſas conſtituerunt mihi.*
Si dormiero dicam:Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras.	4	*Si dormiero dicam, quando ſurgam, & cor meum menſus eſt veſperam, & ſaturatus ſum euagationibus, vſque ad crepuſculum.*
Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris,cutis mea aruit, & contracta eſt.	5	*Induta eſt caro mea vermibus, & gleba pulueris. Cutis mea ſcidit ſe, & diſſoluit ſe,*
Dies mei velocius tranſierunt quam à texente tela ſuccidatur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe.	6	*Dies mei velociores fuerunt radio textoris, & defecerunt abſque ſpe.*
Memento quia ventus eſt vita mea,& non reuertetur oculus meus vt videat bona.	7	*Memento quod ſicut ventus eſt vita mea : non reuertetur oculus meus,vt videat bonum.*
Nec aſpiciet me viſus hominis:oculi tui in me,& non ſubſiſtam.	8	*Non aſpiciet me oculus videntis me,oculi tui in me & non ero.*
Sicut conſumitur nubes, & pertranſit:ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet.	9	*Sicut deficit nubes,& ambulat,ſic deſcendens ad infernum,non aſcendet.*
Nec reuertetur vltra in domum ſuam, neq; cognoſcet eum amplius locus eius.	10	*Non reuertetur vltra ad domum ſuam, & non cognoſcet eum amplius locus eius.*
Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei : confabulabor cum amaritudine animæ meæ.	11	*Etiam ego non prohibebo os meum, loquar in anguſtia ſpiritus mei,confabulabor in amaritudine animæ meæ.*
Nunquid mare ego ſum,aut cetus, quia circumdediſti me carcere?	12	*Numquid mare ego ſum aut cœtus,quia poſuiſti ſuper me cuſtodiam?*

Transl. ex Septuag.

Sed adiutorium à me recessit: negauit me misericordia, & visitatio Domini me
Despexit: propinqui mei non respexerunt me:

Tanquam torrens deficiens, aut sicut fluctus, transierunt me:
Qui verebantur me, nunc irruerunt super me: sicut nix aut gelu concretum,
Quemadmodum quod liquefactum est calore exorto, non cognitum est quod erat;
Ita & ego derelictus sum ab omnibus. Perij autem & exul de domo mea factus sum:
Vias Themanorum videte, semitas Sabæorum intuentes:
Et confusionem debebunt, qui in ciuitatibus, & pecuniis confiderunt.
Nunc autem, & vos insurrexistis in me sine misericordia. Itaque videntes vulnus meum timete.
Quid enim? nunquid aliquid vos petij, aut fortitudine vestra indigeo?
Vt saluetis me de inimicis, vel de manu potentium liberetis me?
Docete me, & ego obmutescam: si quid erraui, dicite mihi:
Sed vt videtur, vilia veracis verba: non enim à vobis fortitudinem peto, neque correptio vestra verbis me sedabit:
Neque enim loquutionem sermonis vestri sustinebo:
Verumtamen super pupillum irruitis, & insultatis super amicum vestrum.
Nunc autem inspiciens in facies vestras, non mentiar.
Sedete obsecro, & non sit iniustum, & rursus iusto adestote.
Non est enim in lingua mea iniquitas, aut fauces meæ nonne intellectum meditantur?

CAP. VII.

NVnquid non tentatio est vita hominis super terrâ: & sicut quotidiani mercenarii vita eius?
Aut tanquam seruus metuens dominum suum, & consequutus vmbram? aut tanquam mercenarius expectans mercedem suam?
Sic & ego expectaui menses vanos: & noctes dolorum datæ sunt mihi:
Si dormiero: dico, quando dies: & si surrexero; rursus, quando vesper? repleor autem doloribus à vespera vsque ad mane,
Et conspergitur corpus meum in putredine vermium: infundo autem glebas terræ à sanie radens
Et vita mea exilior est, quam loquela: periit autem in vana spe.
Recordare ergo, quia spiritus est vita mea: & non reuertetur vltra oculus meus ad cernendum bonum:
Non circumspiciet me oculus videntis me: oculi tui in me, & non vltra sum,
Tanquam nubes expurgata de cœlo. Si enim homo descenderit ad infernum, vltra non ascendet:
Et non reuertetur amplius in domum suam, neque cognoscet amplius eum locus eius.
Propterea itaque & ego non parcam ori meo: loquar, cum in necessitate sim: apponam amaritudinem animæ meæ compressus.
Vtrumne mare sum ego, aut draco, quia statuisti super me custodiam?

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Annon auxilium meum fuit in me, & lex expulsa est à me?
An dissoluto, à sodali suo conuitium? & quod timorem omnipotentis deseruerit?

Fratres mei præuaricati sunt in me sicut torrens, sicut inundatio torrentium qui prætereunt,
Qui obscuri sunt pra glacie, & in quibus occultatur nix.
Tempore autem quo effluxerint, extidentur: dum enim incalescit, extinguuntur è loco suo:
Vel declinant alio semitæ itineris eorum, & ascendunt in vacuum, ac pereunt.
Considerauerant semitæ Themanitarum, itinera Seba expectauerant sibi.
Pudore affecti sunt, quoniam sperauerant: deuenerunt vsque ad illum locum, & erubuerunt.
Certè nunc estis similes illi, vuisti fractionem, & timuistis.
Num dixi, Afferte mihi, & de fructu vestro date munera pro me?
Et liberate me è manu hostis, & de manu robustorum redimite me?
Docete me, & ego tacebo: & in quo errauerim, intelligere facite me.
Quam fortia sunt eloquia recta? & quid disceptando conficiet disceptatio vestra?

An disceptando verba reputare debetis, & ventum eloquia desperati?
Iram in pupillum cadere faceretis, quum fodiatis aliquid aduersus amicum vestrum.
Nunc itaque velitis respicere ad me, & videte an in conspectu vestro mentiar.
Conuertimini nunc, & ne sit iniquitas: conuertimini, inquam, & adhuc iustitia mea in ea.
An est in lingua mea iniquitas? an palatum meum non intelligeret contritiones?

CAP. VII.

NOnne tempus determinatum est homini super terram, & sicut dies mercenarij dies eius?
Sicut seruus aspirat ad vmbram, & sicut mercenarius præstolatur mercedem operis sui:

Sic ceu iure hæreditario traditus sum mihi mensibus vanis, & noctes laboriosas parue runt mihi.
Si iacui, tum dixi, Quando surgam? & cor meum mensum est vesperam, saturatusque sum euagationibus vsque ad crepusculum.
Induta est caro mea vermibus, & ramento puluueris: cutis mea rupit sese, & dissoluit se.

Dies mei velociores fuerunt radio textoris, & defecerunt absque spe.
Memento quod sicut ventus est vita mea: & quod non reuertetur oculus meus vt videat bonum.

Non aspiciet me oculus videntis me: oculi tui in me, & non ero.
Vt deficit nubes, & abit, sic descendens ad infernum, non ascendet:
Non reuertetur vltra ad domum suam, nec agnoscet eum vltra locus.
Propterea ego non coercebo os meum, sed loquar de anguistia spiritus mei, commentabor de amaritudine animæ meæ.
Nunquid mare ego sum, num cetus, quod ponas mihi custodiam?

Vulgat. Editio.

Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in strato meo:
Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.
Quam ob rem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.
Desperaui, qui nequaquam vltra iam viuam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.
Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?
Visitas eum diluculo, & subito probas illum:

Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?
Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?
Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in puluere dormiam: & si mane me quæsieris, non subsistam.

CAP. VIII.

REspondens autem Baldad Suhites, dixit:
Vsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex, sermones oris tui?
Numquid Deus supplantat iudicium? aut Omnipotens subuertit quod iustum est?
Etiam si filii tui peccauerunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ:
Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus:
Si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ:

In tantum, vt si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.
Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam:
*Psal. 143. 4. Inf. 14. 2. * (Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.)
Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.
Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?
Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit:
Sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit:
Non ei placebit vecordia sua; & sicut tela aranearum fiducia eius.
Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget:
Humectus videtur antequam veniat Sol, & in ortu suo germen eius egredietur.
Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur.
Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non noui te:
Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursum de terra alii germinentur.
Deus non proijciet simplicem, nec porriget manum malignis:
Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.
Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

13 *Si dixero consolabitur me lectus meus, comburetur eloquio meo cubile meum.*
14 *Et conteres me per somnia, & visionibus terrebis me.*
15 *Et elegit suspendium anima mea, mortem potius quam esse cum ossibus meis.*
16 *Tædio affectus sum, non in sæculum victurus sum: cessa quia vanitas sunt dies mei.*
17 *Quid est homo quod magnifices eum, & quod ponas super eum cor tuum?*
18 *Et visites eum in matutinis? Ad momenta probabis me.*
19 *Quousque non recedes à me, non dimittes me, donec glutiam saliuam meam?*
20 *Peccaui, quid operabor tibi custos hominum? Vt quid posuisti me in occursum tibi, & fui mihi oneri?*
21 *Et cur non parces prauaricationi meæ, transire facies iniquitatem meam? nunc enim in puluere accumbam, & quæres me, & non ero.*

CAP. VIII.

1 ET respondit Bildad Suchites, & dixit.
2 *Vsquequo loqueris hæc, & spiritus fortis erunt sermones oris tui?*
3 *Nunquid Deus peruertet iudicium? & num Omnipotens peruertet iustitiam?*
4 *Si filij tui peccauerunt ei, expulit eos è mundo propter prauaricationem eorum.*
5 *Si mane quæsieris Deum, & omnipotentem deprecatus fueris.*
6 *Si mundus, & rectus fueris, quia nunc suscitabit super te bonum, & pacificum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.*
7 *Et erit principium tuum paruum, & nouissimum tuum crescet valde.*
8 *Interroga enim obsecro generationem pristinam, & præpara te ad inuestigationem patrum eorum.*
9 *Quia heri fuimus, & nescimus quia velut vmbra sunt dies nostri super terram.*
10 *Nonne ipsi docebunt te, dicent tibi, & è corde suo proferent eloquia?*
11 *Nunquid crescet iuncus absque luto, crescet gramen absque aqua?*
12 *Adhuc eo existente in virore suo non succidetur, & ante omnem herbam arescet.*
13 *Sic semitæ omnium obliuiscentium Dei, & spes impij peribit.*
14 *Cuius succidetur spes, & domus aranea est fiducia eius.*
15 *Innitetur domui suæ, & non stabit, fulciet eam & non permanebit.*
16 *Viridis est ante solem, & in horto suo ramus eius tener egredetur.*
17 *Iuxta fontem radices eius complicabuntur, iuxta domum lapideam complicabitur.*
18 *Si eradicauerit eum è loco suo, negabit eum dicens. Non vidi te.*
19 *Ecce illud est gaudium viæ eius, & de terra alia germinabunt.*
20 *Ecce Deus non reprobabit perfectum, nec apprehendet manu malignos.*
21 *Donec impleat risu os tuum, & labia tua iubilatione.*
22 *Odio habentes te induentur pudore, & tabernaculum impiorum non erit.*

Transl. ex Septuag.

Dixi quia consolabitur me lectus meus, & referam ad meipsum priuatim sermonem thoro meo. 13
Exterres me per somnia, & per visiones me obstupefacis: 14
Absolues à spiritu meo animam meam: & à morte ossa mea. 15
Non enim in sempiternum viuam, vt longanimiter agam: discede à me: vana est enim vita mea. 16
Quid enim est homo, quod magnificasti eum? aut quod adhibes mentem erga eum: 17
Num visitationem eius facies vsque mane? & in requie iudicabis eum? 18
Vsquequo non finis me, neque dimittis me donec deglutiam saliuam meam? 19
Si ego peccaui; quid potero facere? qui scis mentem hominum; quare constituisti me, vt loquerer aduersus te; sum autem super te onus? 20
Quare non fecisti iniquitatis meæ obliuionem, & purgationem peccati mei? Nunc autem in terram abibo: mane autem surgens vltra non ero. 21

CAP. VIII.

RE spondens autem Baldath Sauchites ait: 1
Vsquequo loqueris hæc, spiritus multiloquus oris tui? 2
Numquid Dominus iniuste aget iudicans? aut qui omnia fecit; turbabit iustitiam? 3
Si filij tui peccauerunt coram eo, misit in manu iniquitates eorum. 4
Tu autem diluculo surge ad Dominum Omnipotentem deprecans: 5
Si mundus es, & verax; deprecationem exaudiet tuam: restituet autem tibi habitaculum iustitiæ: 6

Et erunt priora quidem tua pauca, nouissima autem tua inenarrabilia. 7
Interroga enim generationem primam, & inuestiga per genus patrum: 8
Hesterni enim sumus, & nescimus: vmbra enim est nostra super terram vita? 9
Aut nunquid non hi docebunt te, & referent, & è corde proferent verba? 10
Nunquid viret scirpus sine aqua? aut exaltabitur pratum sine potu: 11
Adhuc in sua radice consistit, & non metetur: antequam saliat omnis herba; nonne arescit? 12
Sic igitur erunt nouissima omnium, qui obliuiscuntur Domini: spes enim impij peribit: 13
Inhabitabilis enim eius erit domus: aranea autem euadet eius tabernaculum: 14
Si suffulserit domum suam; non stabit: & cum cœperit; non permanebit: 15
Humidus enim est sub cælo, & de putredine eius germen eius ascendet: 16
In congregatione lapidum dormit, in medio autem silicum viuet. 17
Si absorbuerit; locus mentietur eum. 18

Non vidisti talia, quoniam subuersio impij talis, de terra autem alterum germinabit. 19
Dominus enim non improbabit innocentem, nec vllum munus impij accipiet: 20
Veracium autem os implebit risu; labia autem confessione. 21
Inimici autem eorum induentur confusionem, & tabernaculum impij non erit. 22

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Quum dixi, Consolabitur me lectus meus, auferet lamentationem meam cubile meum. 13
Tunc terruisti me somniis, & visionibus stupefeceisti me. 14
Et elegit strangulationem anima mea: & mortem potius quam ossa mea. 15
Tædio affectus sum, non in seculum victurus: recede à me, quia vanitas sunt dies mei. 16
Quid est homo quod magnifices eum, & quod ponas super eum cor tuum? 17
Et visites eum singulis matutinis? & momentis singulis probes eum? 18
Quousque non recedes à me, nec sines me, donec glutiam saliuam meam? 19
Peccaui, quid feci tibi ô custos hominum? quare posuisti me in offendiculum tibi, & sum mihi oneri? 20

Et cur non pareas præuaricationi meæ, & dimittes iniquitatem meam? nunc enim in puluere dormiam & si quæsieris me, non ero. 21

CAP. VIII.

RE spondit autem Bildad Suhites, & dixit. 1
Quousque tandem loqueris hæc, & velut ventus fortis erunt sermones oris tui? 2
An Deus peruertet iudicium? & an Omnipotens peruertet iustitiam. 3
Si filij tui peccauerunt ei, & expulit eos propter præuaricationem eorum. 4
Si tu mane quæsieris Deum, & Omnipotentem deprecatus fueris: 5
Si purus & rectus fueris, certè nunc suscitabit super te bonum, & pacificum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. 6
Eritq; principium tuum paruum, nouissimum vero tuum crescet valde. 7
Interroga enim obsecro ætatem priorem, & præpara te inquisitioni patrum eorum. 8
(Quia ab heri sumus, nec scimus: quum velut vmbra sint dies nostri super terram) 9
Nonne ipsi docebunt te, ac dicent tibi, & è corde suo proferent eloquia? 10
Nunquid crescet iuncus absque cœno, crescet gramen absque aqua? 11
Quum adhuc est in virore suo, non decerpitur, & ante omnem herbam arescit: 12
Sic semitæ omnium qui obliuiscuntur Dei, & spes impij perit. 13
Cuius succiditur spes, & velut domus aranea est fiducia eius. 14
Innitetur domui suæ, & non consistet: fulciet se super eam, neque consistet. 15
Viridis est ante solem, & supra hortum suum ramus eius tener egredi tur. 16
Iuxta fontem radices eius intricantur, & sicut domus lapidum implicatur. 17
Si absorbeat eam è loco suo, & inficiando dicat de eo, Non vidi te. 18
En id erit gaudium viæ eius, & de terra alia germinabunt. 19
Ecce, Deus non spernit perfectum, nec apprehendit manum malignorum. 20
Adhuc implebit risu os tuum, & labia tua iubilatione. 21
Odio habentes te induentur pudore, & tabernaculum impiorum non erit. 22

Vulgat. Editio.

CAP. IX.

ET respondens Iob, ait: 1
Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. 2
Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. 3

Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? 4
Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo. 5
Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. 6
Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo. 7
Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris. 8
Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri. 9
Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. 10
Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. 11
Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis? 12
Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. 13
Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? 14
Qui etiam si habuero quippiam iustum non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. 15
Et cum inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. 16
In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. 17
Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus. 18
Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. 19
Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. 20
Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tedebit me vitæ meæ. 21
Vnum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit. 22
Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat. 23
Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit. quod si non ille est, quis ergo est? 24

Dies mei velociores fuerunt cursore: fugierunt, & non viderunt bonum. 25
Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam. 26
Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor. 27
Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. 28
Si autem & sic impius sum, quare frustra laboraui? 29
Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: 30
Tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. 31

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. IX.

ET respondit Iob, & dixit. 1
Vere noui quod ita est, & quomodo iustificabit se homo cum Deo? 2
Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei vnum ex mille. 3

Sapiens corde est, & fortis robore, quis indurauit cor suum ei, & pacem habuit? 4
Qui transfert montes, & non cognouerunt homines, qui subuertit eos furore suo. 5
Qui commouet terram, & columnæ eius contremiscent. 6
Qui dicit Soli vt non oriatur, & non orietur, & adhuc stellas, ne luceant signabit. 7
Qui extendit cœlos suos, & ambulat super excelsa maris. 8
Qui facit Arcturum Oriona, & Hyadas, & plagas Australes. 9
Qui facit magna absque inuestigatione, & mirabilia absque numero. 10
Ecce transibit super me, & non videbo, & transibit, & non intelligam eum. 11
Si rapuerit, quis restituere faciet eum? Quis dicet ei, quid facis? 12
Deus non reuocabit furorem suum, sub eo incuruauerunt se freti superbia. 13
Quanto magis respondebo ei, eligam verba mea cum eo? 14
Qui si iustus fuero, non respondebo, eum qui me iudicare facit, orabo. 15
Si inuocauero, & responderit mihi, non credam quod auscultauerit vocem meam. 16
Qui turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea gratis. 17
Non sinet me vt requiescat Spiritus meus, sed saturabit me amaritudinibus. 18
Si ad potentiam venero robustus ecce est, & si ad iudicium, quis dabit mihi tempus? 19
Si iustificauero me, os meum condemnabit me: si perfectus fuero peruersum iudicabit me. 20
Perfectus sum, nescio tamen animam meam, ideo reprobabo vitam meam. 21
Vnum est perfecto & impio, ideo dixi perfectum, & impium ipse consumit. 22
Si flagellum est ab eo occidat subito impium qui pœnas innocentium subsannat. 23
Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operiet: si non est sic vbi est qui mentiri me cogat, & quis est? 24
Et dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, non viderunt bonum. 25
Transiernnt cum nauibus fluminis rapidissimi Ebeh, sicut aquila quæ festinat ad escam. 26
Si dixero obliniscar eloquij mei: relinquam iram meam, & confortabo cor meum. 27
Timui omnes dolores meos, noui quod non innocentem iudicabis me. 28
Et si impius sum, vt quid iam vane laborabo? 29
Si lauero me aquis niualibus, & mundauero pure manus meas. 30
Tunc in foueam demerges me, & abominabuntur me vestimenta mea. 31

Transl. ex Septuag.

CAP. IX.

REspondens autem Iob ait:
Vere scio, quia ita est. Quomodo enim erit iustus homo apud Dominum?
Si enim voluerit iudicari cum eo; non obaudiet ei: vt non contradicat ad vnum sermonem eius de mille:
Sapiens est enim mente, robustusque & magnus. Quis durus factus ante eum permansit?
Qui in vestutatem perducit montes, & nesciunt: qui vertit nos in ira:
Qui commouet eam, quæ sub cælo, à fundamentis, & columnæ eius quatiuntur:
Qui dicit Soli, & non oritur: contra sydera autem signaculum ponit:
Qui extendit cælum solus, & ambulat super mare, tanquam super pauimentum.
Qui facit Pleiada, & Hesperum, & Arcturum, & penetralia Austri.
Qui facit magna & non vestigabilia, glorioſaque, & mirabilia, quorum non est numerus.
Si transgressus me fuerit, non videbo: si præterierit me, neque sic noui:
Si remouerit, quis restituet? aut quis dicet ei, quid fecisti?
Ipse enim auertit à se iram, incuruati sunt cœti, qui sub cælo:
Si vero me audierit, vel dijudicat verba mea:

Quod si etiam fuero iustus, non exaudiet me, iudicium eius rogabo:
Si vero inuocauero, & non exaudierit, non credam, quod exaudiuerit vocem meam,
Ne caligine me conterat: multas autem tribulationes meas fecit in vanum:
Non enim finit me respirare: impleuit autem me amaritudine,
Quoniam scilicet valet potentia. Quis igitur iudicio eius resistet?

Quod si etiam fuero iustus, os meum impia loquetur; siue fuero sine crimine, prauus euadam:

Si enim impie egi; non noui animo: veruntamen aufertur vita mea.
Quapropter dixi, magnum, & potentem disperdit ira.
Quia nequam homines in magna morte erunt, sed iusti deridentur,
Traditi enim sunt in manus impij: facies iudicium eius operit. Quod si non ipse est, quis est?

Vita autem mea leuior est cursore: aufugerunt, & non viderunt.
Nunquid & est nauibus vestigium viæ, aut aquilæ volantis quærentis escam?
Quod etsi locutus fuero, obliuiscar: dum loquor, declinans in faciem ingemiscam:
Commoueor omnibus membris: scio enim, quod non insontem me fines:
Et quia sum iniquus; quare non sum mortuus?

Nam si lotus fuero niue, & mundatus fuero mundis manibus;
Satis in sorde me traxisti; & execratum est vestimentum.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. IX.

ET respondit Iob, ac dixit,
Vere noui quod ita est, & quomodo iustificabit se homo cum Deo?
Si velit contendere cum eo, non respõdebit ei ad vnum ex mille.
Sapiens corde est, & fortis robore, quis dura loquetur ei, & in pace erit?
Qui transfert montes, & non agnoscunt quis subuerterit eos furore suo.
Qui dimouet terram de loco suo, & columnæ eius contremiscunt.
Qui dicit soli, & non oritur, stellas quoque signat.
Qui extendit cœlos solus, & ambulat super excelsa maris.
Qui facit Arcturum, Oriona, & Pleiadas, & penetralia Austri.
Qui facit magna, eaq; inperuestigabilia, & mirabilia absque numero.
Ecce transit ante me, & non video: & præterit, nec intelligo eum.
Certe rapiet, quis restituere faciet eum, quis dicet ei, Quid facis?
Deus non reuocat iram suam: sub eo incuruantur adiutores superbiæ.
Quanto minus respondebo ei, eligam verba mea cum eo?
Cui etiam si iustus fuero, non respondebo, iudicantem me deprecabor?
Si inuocauero, & responderit mihi, non credam quod auscultauerit vocem meam:
Qui turbine contriuit me, & multiplicauit vulnera mea gratis,
Non dedit mihi attrahere spiritum meum, sed saturauit me amaritudinibus.
Si de potentia, robustus profecto est: si vero de iudicio, quis conuenire faciet me?
Si iustus fuero, os meum condemnabit me: si perfectus fuero, peruersum me reddet.
Consumptus sum, non noui animam meam, propterea sperno vitam meam.
Vnum est, propterea dico, perfectum & impium ipse consumit.
Si flagellum occidat subito, tentationem innocentum subsannabit.
Terra data est in manu impij qui vultum iudicum eius operit. si non, vbinam est, & quisnam est?
Præterea diès mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, nec viderunt bonum.
Præterierunt cum nauibus Ebeh, sicut aquila quæ volat ad escam.
Si contigit dicere me, Obliuiscar querimoniæ meæ, relinquam iram meam, & confirmabo cor meum:
Tunc timui ab omnibus doloribus meis, noui quod non emundabis me.
Si ego sum impius, quare in vanum laborabo?
Etiamsi lauero me aquis niualibus, & mundauero in puritate manus meas:
Tunc in foueam demerges me, & abominabuntur me vestimenta mea.

Vulgat. Editio.

Neque enim viro qui ſimilis mei eſt, reſpondebo : nec qui mecum in iudicio ex æquo poſſit audiri. 32

Non eſt qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus. 33

Auferat à me virgam ſuam, & pauor eius non me terreat. 34

Loquar, & non timebo eum : neque enim poſſum metuens reſpondere. 35

CAP. X.

TÆdet animam meam vitæ meæ, dimittam aduerſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. 1

Dicam Deo : Noli me condemnare : indica mihi cur me ita iudices. 2

Numquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adiuues? 3

Nunquid oculi carnei tibi ſunt : aut ſicut videt homo, & tu videbis? 4

Nunquid ſicut dies hominis dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora, 5

Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris? 6

Et ſcias quia nihil impium fecerim, cum ſit nemo qui de manu tua poſſit eruere. 7

Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: & ſic repente præcipitas me? 8

Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. 9

Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? 10

Pelle & carnibus veſtiſti me: oſſibus & neruis compegiſti me: 11

Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tuo cuſtodiuit ſpiritum meum. 12

Licet hæc celes in corde tuo, tamen ſcio quia vniuerſorum memineris. 13

Si peccaui, & ad horam peperciſti mihi : cur ab iniquitate mea mundum me eſſe non pateris? 14

Et ſi impius fuero, væ mihi eſt : & ſi iuſtus, non leuabo caput, ſaturatus afflictione, & miſeria. 15

Et propter ſuperbiam quaſi leænam capies me reuerſuſque mirabiliter me crucias. 16

Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ militant in me. 17

Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem ne oculus me videret. 18

Fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. 19

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum: 20

Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: 21

Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. 22

CAP. XI.

REſpondens autem Sophar Naamathites, dixit: 1
Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verboſus iuſtificabitur? 2

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Quia non eſt Deus vir ſicut ego vt poſſem reſpondere ei, vt intremus ſimul in iudicium. 32

Non eſt inter nos qui increpet, qui ponat manum ſuam ſuper ambos nos. 33

Remoueat à me virgam ſuam, & terror eius non terreat me. 34

Loquar, & non timebo eum, quia non ſic impius ſum apud me vt putas. 35

CAP. X.

EXciſa eſt anima mea in vita mea, relinquam aduerſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. 1

Dicam Deo, ne condemnes me : fac me ſcire propter quid iudices me. 2

Nunquid bonum eſt tibi, quod vim inferas, quod reprobes laborem manuum tuarum, & conſilium impiorum illuſtres? 3

Nunquid oculi carnis tibi ſunt? num ſecundum videre hominis videbis? 4

Nunquid ſicut dies hominis dies tui? nunquid anni tui ſicut dies viri? 5

Quod quæras iniquitatem meam, & peccatum meum inquiras? 6

Tu ſcis quod non impie egi, & tamen non eſt qui de manu tua eruat. 7

Manus tuæ figurauerunt me, & diſpoſuerunt me pariter per circuitum, & diſperdes me? 8

Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem redire facies me. 9

Nonne ſicut lac fudiſti me, & ſicut caſeum coagulaſti me? 10

Pelle, & carne veſtiſti me: oſſibus & neruis cooperuiſti me. 11

Vitam & miſericordiam feciſti mecum, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. 12

Et hæc abſcondiſti in corde tuo, noui quod hoc tecum ſit. 13

Si peccaui in cuſtodiam ponas me, ab iniquitate mea non mundes me. 14

Si impie egero væ mihi, & ſi iuſtus fuero, non eleuabo caput meum. Saturus ignominia, & videre afflictionem meam. 15

Et multiplicetur ſicut leo veneris me, & reuertaris, & mirabilis ſis in me. 16

Renoues plagas tuas coram me, & multiplicet ſe ira tua mecum, ſucciſiones, & multiplicatio mecum ſunt. 17

Et vt quid de vulua eduxiſti me? moriar, & oculus non videat me. 18

Quemadmodum non fuiſſem ero, ab vtero ad ſepulchrum deferar. 19

Nonne pauci ſunt dies mei? ceſſa à me, & dimitte me, & confortabo cor meum paululum. 20

Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrarum & vmbræ mortis. 21

Terram obſcuritatis ſicut caligo vmbræ mortis, & non ſunt in ea ordines, & tenebreſcet ſicut caligo. 22

CAP. XI.

ET reſpondit Sophar Nahamatites, & dixit. 1
Nunquid verboſo non reſpondebitur, & num vir linguoſus iuſtificabitur? 2

Transl. ex Septuag.

Non es enim homo,ſicut ego,cui contradicam,vt veniamus pariter in iudicium. 32

Vtinam eſſet nobis meditans,& arguens, & diſceptans inter vtrumque: 33
Auertat à me virgam:timor autem eius non me tranſuerſum agat: 34
Et non timebo,ſed loquar:non enim ſic conſcius ſum. 35

CAP. X.

LAborans anima mea, gemens dimittam ſuper me verba mea: loquar amaritudine animæ meæ compreſſus: 1
Et dicam ad Dominum:Noli me docere impium eſſe,& cur me ita iudicaſti? 2
Aut bonum eſt tibi,ſi inique egero?quia deſpexiſti opera manuum tuarum,& ad conſilium impiorum animaduertiſti? 3
Aut ſicut mortalis videt, deſpectas? aut ſicut homo videt perſpicies? 4
Aut humana eſt vita tua,aut anni tui ſunt viri? 5

Quoniam inquiſiuiſti iniquitatem meam,& peccata mea inueſtigaſti. 6
Scis enim me non egiſſe impie:ſed quis eſt,qui de manibus tuis eripiat? 7
Manus tuæ plaſmauerunt me, & fecerunt me: poſtea mutans percuſſiſti me. 8
Memor eſto,quod lutum finxiſti me,& in terram me iterum conuertes. 9
Nonne tanquam lac mulſiſti me, & coagulaſti me æque,ac caſeum? 10
Pelle autem, & carne veſtiſti me, oſſibuſque, & neruis conſeruiſti me: 11
Vitam autem, & miſericordiam poſuiſti apud me:& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum? 12
Hæc cum habeas in te ipſo, ſcio quod omnia potes:& nihil tibi euadit impoſſibile. 13
Quod ſi & peccauero, cuſtodis me :ab iniquitate autem non inſontem me feciſti. 14

Siue enim impie egero,væ mihi:& ſi iuſtus fuero, non poſſum ſuſcipere: plenus enim ſum opprobrio: 15

Et capior ſicut leo ad occiſionem. Iterum enim commutans ſæpe me perdis, 16
Inſtaurans in me inquiſitionem meam:ira autem magna mihi vſus es:& induxiſti ſuper me tentationes tuas. 17
18 Quare ergo de ventre eduxiſti me,& non ſum mortuus? oculus autem non vidiſſet me, 18
Et eſſem,tanquam non fuiſſem? Cur enim de vtero in monumentum non ſum tranſlatus? 19
Aut nunquid non eſt parua vita temporis mei? Patere me requieſcere puſillum: 20

Antequam eam,vnde non reuertar, ad terram tenebroſam,& caliginoſam, 21
Ad terram tenebrarum æternarum, vbi non eſt lux,neque eſt videre vitam hominum. 22

CAP. XI.

REſpondens autem Sophar Minæus ait: 1
Qui multa dicit,& viciſſim audiet:aut etiam eloquens putat ſe eſſe iuſtum? 2

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Quia non eſt homo ſicut ego vt reſpondeam ei, & veniamus ſimul in iudicium: 32

Non eſt inter nos redarguens qui ponat manum ſuam ſuper nos ambos. 33
Auferat à me virgam ſuam, & terror eius ne perterreat me: 34
Tunc loquar, neque timebo illum, quia non ſic ſum apud me. 35

CAP. X.

EXciſa eſt anima mea in vita mea, propterea relinquam ſuper me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. 1
Dicam Deo, Ne condemnes me, indica mihi quamobrem contendas mecum. 2
Nunquid bonum tibi, quod opprimas, quod reprobes laborem manuum tuarum, & conſilium impiorum illuſtres? 3
Nunquid oculi carnis tibi ſunt? an vt videt homo, vides? 4
Nunquid ſicut dies hominis dies tui? & nunquid anni tui ſicut dies hominis? 5

Quod diſquiras iniquitatem meam, et peccatum meum inquiras? 6
Tu ſcis quod non impie egi, & tamen non eſt qui de manu tua eruat. 7
Manus tuæ finxerunt me, ac fecerunt me ſimul per circuitum, & diſperdes me? 8
Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me? 9
Nonne ſicut lac liquefeciſti me, & tanquam caſeum coagulaſti me? 10
Cute & carne veſtiſti me: atque oſſibus & neruis cooperuiſti me. 11
Vitam & miſericordiam feciſti mecum, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. 12
Et iſta abſcondiſti in corde tuo, & noui quod hoc eſt apud te. 13
Si peccaui, & cuſtodies me? & ab iniquitate mea non emundabis me. 14

Si impie egi, væ mihi: ſi vero iuſtus ſim, non eleuabo caput meum, ſaturatus ignominia, & videns afflictionem meam. 15

Vtinam multiplicetur & vt leo venêris me: at reuerteris, & mirificaberis in me. 16
Renouas enim plagas tuas contra me, & multiplicas iram tuam mecum: mutationes & exercitus mecum ſunt. 17
Et quare de vulua eduxiſti me? vtinam interiiſſem, & oculus non vidiſſet me, 18
Et fuiſſem tanquam non fuiſſem: ab vtero ad ſepulchrum elatus fuiſſem. 19
Nonne pauci ſunt dies mei? ceſſa ergo à me, & dimitte me, & confortabo cor meum paululum, 20

Antequam abeam, & non reuertar ad terram tenebrarum & vmbræ mortis. 21
Terram inquam obſcuritatis ſicut caligo vmbræ mortis, & non ſunt in ea ordines, ac tenebreſcit ſicut caligo. 22

CAP. XI.

ET reſpondit Sophar Naamathites, ac dixit, 1
An multitudo verborum carebit reſponſione? & an vir labiorum iuſtificabitur? 2

Vulgat. Editio.

Tibi ſoli tacebunt homines? & cum ceteros irriſeris, à nullo confutaberis?

Dixiſti enim: Purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo.

Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi:

Vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex eſſet lex eius, & intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem reperies?

Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?

Longior terra menſura eius, & latior mari.

Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?

Ipſe enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne conſiderat?

Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.

Tu autem firmaſti cor tuum, & expandiſti ad eum manus tuas.

Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia:

Tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.

Miſeriæ quoque obliuiſceris, & quaſi aquarum quæ præterierunt recordaberis.

Et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam: & cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.

Et habebis fiduciam, propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies.

Requieſces, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi.

* Leu. 26. 5. * Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ.

CAP. XII.

REſpondens autem Iob, dixit:

Ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia?

* Inf. 20. 2. * Pro. 14. 2. * Et mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum: quis enim hæc quæ noſtis, ignorat?

* Qui deridetur ab amico ſuo, ſicut ego, inuocabit Deum & exaudiet eum: deridetur enim iuſti ſimplicitas.

Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.

Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum.

Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi.

Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris.

Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?

In cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.

* Inf. 34. 3. * Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis ſaporem?

In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Mendacia tua homines tacere faciunt, & ſubſannaſti alios, & non fuit qui pudore te afficeret:*

4 *Dixiſti Deo: Pura eſt doctrina mea, & mundus ſum in oculis tuis.*

5 *Et vere vtinam Deus loqueretur, & aperiret labia ſua tecum.*

6 *Et nunciaret tibi occulta ſapientiæ, quia meruiſti duplicia ſecundum legem, quia oblitus eſt tui Deus propter iniquitatem tuam.*

7 *Num inueſtigatione Deum inuenies? Num vſque ad perfectionem Omnipotentem inuenies?*

8 *In altis cœlis, quid operaberis? Profundiorem inferno nunquid cognoſces?*

9 *Longior eſt terra menſura eius, & latitudo latior mari.*

10 *Si ſucciderit, & claudere fecerit, & congregare feceris, quis reſpondebit ei?*

11 *Quia ipſe nouit homines mendaces, & vidit iniquitatem, & eum qui non intelligit.*

12 *Et vir vacuus intelliget, & vt pullus onagri homo naſcitur.*

13 *Si tu præparaueris cor tuum, & extenderis ad eum manus tuas.*

14 *Si iniquitas eſt in manu tua, elonga eam, & ne habitare facias in tabernaculis tuis iniquitatem.*

15 *Quia tunc eleuabis faciem tuam à macula, & eris fortis, & non timebis.*

16 *Quia laboris obliuiſceris ſicut aquæ quæ tranſierunt recordaberis illius.*

17 *Et clarius pluſquam meridies ſurget tempus, illuſtraberis, ſicut mane eris.*

18 *Et confides, quia eſt ſpes, & fodies, conſidenter dormies.*

19 *Et cubabis, non erit qui terreat te, & deprecabuntur faciem tuam multi.*

20 *Et oculi impiorum deficient, & refugium peribit ab eis, & ſpes eorum erit dolor animæ.*

CAP. XII.

1 ET reſpondit Iiob, & dixit.

2 *Vere video quod eſtis populares, & vobiſcum mortua eſt ſapientia.*

3 *Etiam mihi eſt cor ſicut vobis, non ſum inferior vobis ſapientia: & cum quo non ſunt ſicut hæc?*

4 *Sicut vir qui eſt irriſio amico ſuo, ſic ſum? clamat ad Deum qui proſperatur, & reſpondet illi: irriſio eſt iuſtus perfectus.*

5 *Vt lampas contempta eſt cogitationi, qui etiam paratus ad nutationem pedis.*

6 *Proſperabuntur tabernacula prædonum, & confidentiæ erunt prouocantibus Deum, ei qui adduxit Deum manu ſua.*

7 *Et vere interroga iumenta, & docebunt te, & volatile cœli, & indicabit tibi.*

8 *Vel virgultum terræ, & docebit te: & narrabunt tibi piſces maris.*

9 *Quis non nouit ſecundum omnia hæc, quod manus domini fecit hoc?*

10 *Cuius in manu eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus omnis carnis viri.*

11 *Nonne auris ſermones probat, & palato eſca ſapit?*

12 *In decrepitis eſt ſapientia, & in longitudine dierum intelligentia.*

Transl. ex Septuag.

Benedictus natus mulieris breuis vitæ: ne multus sis in verbis, cum nemo sit, qui contradicat tibi.

Noli enim dicere, quia mundus sum operibus, & irreprehensibilis ante eum:
Sed quomodo Dominus loquetur ad te, & aperiet labia sua tecum?
Deinde annunciabit tibi virtutem sapientiæ, quia duplex erit ad ea, quæ circa te: & tunc scies, quia digna eueniunt tibi à Domino, quæ peccasti.

Aut vestigium Domini inuenies? aut ad vltima peruenisti, quæ fecit Omnipotens?
Sublime est cælum, & quid facies? profundiora autem iis, quæ in inferno; quid nosti?
Nonne longiora, quam mensura terræ, vel latitudo maris?
Si autem subuerterit omnia, quis dicet illi, quid fecisti?
Ipse enim noscit opera iniquorum: videns autem absurda non despiciet.
Homo vero aliter natat sermonibus: & vir natus mulieris tanquam onager solitarius.
Nam si tu mundum posuisti cor tuum, & extendis manum ad eum;
Si iniquum quid est in manu tua, longe facito illud à te, & iniquitas in domo tua non maneat:

Sic enim fulgebit facies tua tanquam aqua pura: exues autem sordem, & non timebis:
Et laborem obliuisceris tanquam fluctum qui præterit, & non terreberis:
Et oratio tua tanquam Lucifer erit: de meridie autem orietur tibi vita:

Confidensque eris, quia est tibi spes: & de cura, ac solicitudine apparebit tibi pax.
Quiescens enim, & non erit qui oppugnet te: transmutati autem multi rogabant te;
Salus autem eos deseret: spes etiam eorum perditio, & oculi impiorum tabescent.

CAP. XII.

REspondens autem Iob ait:
Itaque vos estis homines; aut vobiscum morietur sapientia?
Et mihi quidem cor iuxta vos est:

Sed iustus vir, & sine crimine venit in derisum: in tempus autem statutum paratus fuerat, vt caderet ab aliis; & domus eius vt deuastarentur ab iniquis: verumtamen nemo confidat, cum malignus sit, futurum se insontem, quicumque irritant Dominum, tanquam inquisitio in eos non sit futura:

Sed tamen interroga quadrupedia, si tibi respondeant; volatilia autem cæli, si tibi annuncient:
Enarra terræ, si tibi dicat: & exponent tibi pisces maris.
Quis igitur non cognouit in omnibus his, quod manus Domini fecit hæc?
Si non in manu eius est anima omnium viuentium, & spiritus omnis hominis?
Nam auris quidem dijudicat verba, fauces autem cibos gustant:
In multo tempore sapientia est, & in multa vita est scientia.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Nugæ tuæ homines tacere faciunt, & subsannas, nec est qui pudore te afficiat.

Et dicis, Pura est doctrina mea, & mundus sum in oculis tuis.
Veruntamen quis det Deum loqui, & aperiat labia sua tecum?
Et annuntiet tibi occulta sapientiæ: quia duplo maiora secundum legem: & scito quod oblitus est tui Deus propter iniquitatem tuam.

Num inuestigationem Dei inuenies? an vsque ad perfectionem Omnipotentem inuenies?
In altis cælis, quid facies? profundior est inferno, quomodo cognosces?
Longior est terra ipsa mensura eius, & latior mari.

Si succidat, & concludat, aut congreget, quis respondebit ei?
Nam ipse nouit homines vanitatis, videtq; homines iniquitatis, & eum qui non intelligit.
Homo vero vacuus efficitur cordatus, quamuis vt pullus onagri homo nascatur.
Si tu præparaueris cor tuum, & extenderis ad eum manus tuas:
Si qua iniquitas sit in manu tua, longe facito eam, neque habitare sinas in tabernaculis tuis iniquitatem.

Tunc enim eleuabis faciem tuam à macula, & eris fortis, neque timebis.
Profecto tu laboris obliuiscaris, & vt aquarum, quæ transierunt, recordaberis illius.
Et ipso meridie clarius surget tempus, illustraberis, sicut mane ipsum eris.

Et confides quod sit spes: & fodies, confidenter dormies.
Et accubabis, nec erit qui exterreat te: & deprecabuntur faciem tuam multi.
At oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, ac spes eorum erit dolor animæ.

CAP. XII.

ET respondit Iob, ac dixit,
Reuera putatis quod vos sitis populus, & quod vobiscum moritura sit sapientia.
Etiam mihi est cor vt vobis, non sum inferior vobis sapientia: & cum quo non sunt sicut hæc?
Derisio amico eius sum qui inuocat Deum, & respondit illi: irrisio est iustus perfectus.

Vt lampas contempta est cogitationi pacati, qui paratus est ad lapsus pedis.
Prospere agunt tabernacula prædonum, & secura sunt prouocantibus Deum, & ei qui producit Deum manu sua.
Veruntamen interroga nunc iumenta & docebunt te: & volatile cæli, & indicabit te.
Aut alloquere terram, & docebit te, & narrabunt tibi pisces maris.
Quis non nouit de omnibus istis, quod manus Iehouæ fecit istud?
In cuius manu est anima omnis viuentis, & spiritus omnis carnis hominis?
Nonne auris sermones probat, & palatum escam gustat sibi?
In decrepitis est sapientia, & in longitudine dierum intelligentia.

Vulgat. Editio.

Apud ipſum eſt ſapientia,& fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam.

* Ifa. 22.22. Apo. 3. 7. * Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet:ſi incluſerit hominem,nullus eſt qui aperiat.

Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur:& ſi emiſerit eas,ſubuertent terram.

Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia: ipſe nouit & decipientem,& eum qui decipitur.

Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem.

Balteum regum diſſoluit,& præcingit funе renes eorum.

Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat:

Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens:

Effundit deſpectionem ſuper principes, eos qui opprem fuerant,releuans.

Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.

Qui multiplicat gentes & perdit eas,& ſubuerſas in integrum reſtituit.

Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos vt fruſtra incedant per inuium:

Palpabunt quaſi in tenebris,& non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios.

CAP. XIII.

ECce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea,& intellexi ſingula.

Secundum ſcientiam veſtram & ego noui: nec inferior veſtri ſum.

Sed tamen ad Omnipotentem loquar, & diſputare cum Deo cupio:

Prius vos ortendens fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum.

Atque vtinam taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes.

Audite ergo correptionem meam, & iudicium labiorum meorum attendite.

Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?

Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?

Aut placebit ei quem celare nihil poteſt? aut decipietur vt homo,veſtris fraudulentiis?

Ipſe vos arguet, quoniam in abſcondito faciem eius accipitis.

Statim vt ſe commouerit, turbabit vos,& terror eius irruet ſuper vos.

Memoria veſtra comparabitur cineri,& redigentur in lutum ceruices veſtræ.

Tacete pauliſper, vt loquar quodcumque mihi mens ſuggeſſerit.

Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?

Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo: veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam.

Et ipſe erit ſaluator meus: non enim veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.

Audite ſermonem meum, & ænigmata percipite auribus veſtris.

Si fuero iudicatus,ſcio quod iuſtus inueniar.

Quis eſt qui iudicetur mecum? veniat: quare tacens conſumor?

Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abſcondar:

Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

Cum ipſo eſt ſapientia,& fortitudo,ei eſt conſilium,& intelligentia.

Ecce diruet,& non ædificabitur;claudet virum,& non aperietur ei.

Ecce prohibebit aquas, & areſcent, & emittet eas, & ſubuertent terram.

Cum illo eſt fortitudo, & ſapientia: ei eſt errans, & errare faciens.

Ambulare facit conſiliarios ſpoliatos, & iudices inſanire facit.

Vinculum regum ſoluit,& ligauit cingulum in renibus orum.

Ambulare fecit principes ſpoliatos, & fortes ſubuertet.

Remouet labium veracibus, & conſilium ſenum tollet.

Effundit deſpectionem ſuper principes,& fortitudinem fortium debilitat.

Qui reuelat profunda de tenebris & educit ad lucem vmbram mortis.

Qui multiplicat gentes,& perdit eas, expandit locum in gentibus, & ducit eas.

Qui remouet cor capitum populi terra,& errare facit eos in ſolitud ne abſque via.

Palpabunt tenebras,& non lucem, & errare fecit eos ſicut ebrius.

CAP. XIII.

ECce omnia vidit oculus meus, audiuit auris mea, & intellexit ſibi.

Sicut noſtis vos,noui etiam ego:non inferior ſum vobis.

Attamen ad Omnipotentem loquar, & diſputare cum Deo vellem.

Et vere vos adhæretis mendacio,medici vani eſtis omnes vos.

Vtinam tacendo taceretis, & eſſet vobis ad ſapientiam.

Audite quæſo diſputationem meam, & iudicijs labiorum meorum attendite.

Nunquid propter Deum loquemini iniquitatem, & pro eo loquemini dolum?

Nunquid faciem eius accipietis?Nunquid pro Deo iudicabitis.

Nonne bonum eſſet quod inquireret vos?An quemadmodum illuditis homini illudetis ei?

Arguendo arguet vos,ſi in abſcondito faciem acceperitis.

Nonne excellentia eius terrebit vos, & pauor eius cadet ſuper vos?

Memoria veſtra inſtar cineris, corporibus luteis aſſimilantur corpora veſtra.

Tacete de me,& loquar, & tranſeat ſuper me quicquid voluerit tranſire.

Propter quid tollo carnem meam dentibus meis, & animam meam pono in manibus meis?

Ecce occide me,non ſperabo: veruntamen vias meas in conſpectu eius arguam.

Etiam ipſe erit mihi in ſalutem: quia non in conſpectum eius impius intrabit.

Audite audiendo ſermonem meum, & narrationem meam auribus veſtris.

Ecce nunc diſpoſui iudicium, noui quod ego iuſtificabo me.

Quis eſt qui diſceptet mecum? quia nunc ſi tacuero moriar.

Veruntamen duo ne facias mecum, & tunc à facie tua non abſcondam me.

Transl. ex Septuag.

Apud eum sapientia, & virtus;ipsi est consilium, & intellectus:
Si destruxerit: quis ædificabit? si clauserit contra homines,quis aperiet?
Si prohibuerit aquam:siccabit terram. Quod etsi emiserit:perdidit euertens eam.
Apud ipsum potentia,& fortitudo: ipsi scientia, & intellectus.
Qui ducit consultores captiuos: iudices autem terræ,in pauorem misit.
Qui collocat reges super sedes, & circundedit baltheo lumbos eorum.
Qui emittit sacerdotes captiuos: dynastas autem terræ euertit.
Qui permutat labia fidelium, & intelligentiam autem senum cognouit,
Qui effundit ignominiam: humiles autem sanauit,
Qui reuelat profunda de tenebris, & produxit in lucem vmbram mortis.
23 Decipiens gentes,& perdes eas: sternens gentes,& in viam ducens eas.
Permutans corda principum terræ: errare fecit eos in via,quam non nouerant:
Palpent tenebras, & non lucem: errent autem, tanquam ebrius.

CAP. XIII.

ECce hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea,
Et noui, quæcumque & vos scitis, & non sum minus intelligens,quam vos.
Veruntamen ego ad Dominum loquar, & arguam in conspectu eius,si voluerit.
Vos autem estis medici iniusti, & curatores malorum omnes?
Sit autem vobis obmutescere & euadet vobis sapientia.
Audite ergo increpationem oris mei,& iudicium labiorum meorum animaduertite.
Numquid non coram Domino loquimini,& ante conspectum eius profertis dolum?
An subtrahetis vos? vos autem ipsi iudices sitis:

Bonum enim si inuestiget vos: si enim omnia facientes adijciemini ei;nihilominus arguet vos.
Quod & si occultas personas mirati fueritis;

Nonne commotio eius versabit vos? Timor autem ab eo cadet super vos:
Euadet autem elatio vestra, tanquam cinis,corpus autem luteum.
Obmutescite vt loquar,

Et requiescam ab ira, apprehendens meas carnes dentibus meis,& animam meam ponam in manu.
Licet opprimat me, quis potens est, quoniam & cœpit;tamen loquar,& coram eo arguam,
Et hoc mihi euadet in salutem:non enim coram eo dolus ingredietur.
Audite, audite verba mea: narrabo enim vobis audientibus:
Ecce ego appropinquo iudicio meo: noui ego, quod iustus apparebo.
Quis est enim, qui iudicium sit facturus mihi, quia nunc obmutescam,& deficiam?
Duo autem mihi præbeas: tunc à facie tua non abscondar:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Cum ipso est sapientia,& fortitudo:eius est consilium & intelligentia.
En diruet,nec ædificabitur:concludet virum, nec aperietur ei.
Vtique continebit aquas,& arescent:& emittet eas,& subuertent terram.
Cum illo est fortitudo & sapientia eius est errans, & errare faciens.
Ducit consiliarios spoliatos, & iudices insanire facit.
Vinculum regum soluit,& ligat cingulum in renibus eorum.
Ducit principes spoliatos,& fortes subuertit.

Aufert labium veracibus,& consilium senum tollit.

Effundit contemptum super principes, & robur fortium debilitat.
Qui reuelat profunda è tenebris, & educit in lucem vmbram mortis.
Qui multiplicat gentes,& perdit eas,expandit locum gentibus,& reducit eas.
Qui aufert cor capitum populi terræ, & errare facit eos in solitudine absque via.
Palpant tenebras, & non lucem: & errare fecit eos instar ebrij.

CAP. XIII.

ECce omnia ista vidit oculus meus, audiuit auris mea,& intellexit sibi.
Sicut nostis vos illa,noui etiam ego, non sum inferior vobis.
Sane ego cum Omnipotente loquar, & disputare cum Deo opto.
Atqui vos estis concinnatores falsitatis, medici vani omnes vos.
Vtinam tacendo taceretis,& esset vobis in sapientiam.
Audite quæso disputationem meam, & contentionibus labiorum meorum attendite.
Nunquid pro Deo loquemini iniquitatem, & pro eo loquemini dolum?
An faciem eius accipietis?nunquid pro Deo contendetis?
An bonum fuerit quod inuestiget vos? an sicut mentitur de homine,mentiemini de eo?
Arguendo arguet vos, si in abscondito faciem acceperitis.
Nonne excellentia eius terrere debeat vos, & pauor eius cadere debeat super vos?
Memoriæ vestræ sermones cineris, corporibus luteis corpora vestra.
Tacete à me,& loquar ego,& transeat super me quidquis.
Cur aufero carnem meam dentibus meis, & animam meam ponam in manibus meis?
En occidet me,non expectabo: veruntamen vias meas in conspectu eius castigabo.
Ipse quoque erit mihi in salutem:non enim in conspectum eius impius intrabit.
Audite audiendo sermonem meum, & annuntiatio mea sit in auribus vestris.
Ecce nunc si disposuero iudicium, noui quod ego iustificabor.
Quis est qui contendat mecum? nunc enim si tacuero, emoriar.
Verum duo ne facias mecum,& tunc à facie tua non abscondam me:

Vulgat. Editio.

Manum tuam longe fac à me,& formido tua non me terreat.

Voca me, & ego reſpondebo tibi: aut certe loquar, & tu reſponde mihi.

Quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera mea & delicta oſtende mihi.

Cur faciem tuam abſcondis,& arbitraris me inimicum tuum?

Contra folium,quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam,& ſtipulam ſiccam perſequeris:

Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.

Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas: & veſtigia pedum meorum conſideraſti:

Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum,quod comeditur à tinea.

CAP. XIV.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.

* Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra,& nũquam in eodem ſtatu permanet.

Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos,& adducere eum tecum in iudicium?

* Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?

Breues dies hominis ſunt, nũmerus menſium eius apud te eſt:conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Recede paululum ab eo,vt quieſcat,donec optata veniat,ſicut mercenarij dies eius.

Lignum habet ſpem:ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit,& rami eius pullulant.

Si ſenuerit in terra radix eius,& in puluere emortuus fuerit truncus illius,

Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cum primum plantatum eſt.

Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus,vbi quæſo eſt?

Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus areſcat:

Sic homo cum dormierit non reſurget; donec atteratur cælum, non euigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.

Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me,& abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus,in quo recorderis mei?

Putaſne mortuus homo rurſum viuat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.

Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

* Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.

Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam.

Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo.

Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra conſumitur: & hominem ergo ſimiliter perdes.

Roboraſti eum paululum vt in perpetuum tranſiret:immutabis faciem eius,& emittes eum.

Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget.

Attamen caro eius dum viuet dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.

Tranſl.ex Heb.Sanct.Pagn.

Manum tuam à me elonga, & terror tuus ne terreat me.

Et voca, & ego reſpondebo: vel loquar, & reſponde mihi.

Quot ſunt mihi iniquitates, & peccata? prauaricationem meam, & peccatum meum fac me cognoſcere.

Vt quid faciem tuam abſcondis, & reputas me pro inimico tibi?

Nonne folium propulſatum conteris, & ſtipulam ſiccam perſequeris:

Scribis contra me amaritudines, & depauperare facis me propter iniquitates pueritiæ meæ.

Et ponis in compede pedes meos, & cuſtodes omnes ſemitas meas: ſuper talos pedum meorum imprimetur compes.

Et ipſe homo in compedibus poſitus, vt lignum putridum veteraſcet, vt veſtimentum quod comedit tinea.

CAP. XIV.

HOmo natus è muliere, breues habens dies, & ſaturus ira.

Sicut flos egreſſus eſt, & ſucciſus eſt, & fugit velut vmbra, & non ſtabit.

Etiam ſuper hunc aperuiſti oculos tuos, & me adduces in iudicium tecum.

Quis dabit mundum ex immundo? nec vnus quidem dabitur.

Si definiti ſunt dies eius, numerus menſium eius tecum eſt, terminos eius feciſti, & non præteribit.

Recede ab eo, & deſinet à malo ſuo, donec proſiciat, ſicut mercenarius diem ſuum.

Quia eſt arbori ſpes: ſi præciſa fuerit, & adhuc expullulabit, & tener ramus eius non deſinet,

Si ſenuerit in terra radix eius. Et ſi in terra mortuus fuerit ramus eius,

Propter odorem aquæ germinabit, & faciet ramum, ſicut plantatio.

Et vir morietur, & excidetur: & mortuus eſt homo, & vbi eſt?

Abierunt aquæ de mari, & fluuius exſiccabitur, & areſcet.

Et vir dormiuit, & ſecundum naturam non reſurget; donec non erit cœlum non expergiſcentur, & non ſuſcitabuntur à ſomno ſuo.

Vtinam in ſepulchro abſcondas me, abſcondas me donec quieſcat furor tuus, ponas mihi præceptum, & recorderis mei.

Si mortuus fuerit vir, nunquid viuet? cunctis diebus temporis mei expectabo, donec veniat mutatio mei

Vocabis, & ego reſpondebo tibi: num opus manuum tuarum perdere deſiderabis?

Quia nunc greſſus meos numeraſti, non differas punitionem meam.

Signata eſt ligamine forti pœna prauaricationis meæ, & addidiſti pœnam pœnæ.

Et vere mons cadens defluet, & ſaxum transferetur è loco ſuo.

Lapides contuderunt aquæ, diluent germina eius vſque ad puluerem terræ: & expectationem hominis perdidiſti,

Fortior eo fuiſti in perpetuum, & ibit: mutas faciem eius, & emittis eum.

Et ſi diuites erunt filij eius & neſciet quicquam. *Et ſi pauperes erunt & non intelliget eos.*

Veruntamen caro eius in eo dolebit, & anima eius in ſemetipſa lugebit.

Quæ hic & infra leges in ipſo textu caractere diuerſo; ea deeſſe ab Hebræo ſcias, addita vero ab ipſo Sanct. Pagnino ad ipſius textus declarationem.

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Manum aufer à me, & timor tuus non me terreat.	21	*Manum tuam à me longe facito, & terror tuus ne exterreat me.*
Deinde vocabis, ego autem tibi obediam: aut loqueris, ego autem tibi dabo responsum.	22	*Et voca, & ego respondebo: aut loquar, & responde mihi.*
Quot sunt peccata mea, & iniquitates meæ? doce me quænam sunt?	23	*Quot sunt mihi iniquitates, & peccata? prauaricationes meas & peccata mea fac me cognoscere.*
Cur absconderis à me, & putas me esse contrarium tibi.	24	*Quare faciem tuam abscondis, & reputas me pro inimico tibi?*
Nunquid quasi folium, quod mouetur à vento, vereberis? aut quasi fœno, quod fertur à spiritu, opposuisti te mihi?	25	*An folium quod agitatur, conteres, & stipulam aridam persequeris?*
Quoniam scripsisti contra me mala, & imposuisti mihi peccata iuuentutis,	26	*Scribis enim contra me amaritudines, & possidere me facis iniquitates pueritiæ meæ.*
Et posuisti in impedimento pedem meum, & obseruasti omnia opera mea: & ad radices pedum meorum peruenisti,	27	*Et ponis in compede pedes meos, & seruas omnes semitas meas: super radices pedum meorum impressus est:*
Qui veterascit sicut vter, aut velut vestimentum, quod à tinea comestum est.	28	*Et est sicut putredo quæ veteratscet, & vt vestimentum quod comedit tinea.*

CAP. XIV.

CAP. XIV.

HOmo enim natus ex muliere breui viuens tempore, & plenus iracundiæ,	1	*HOmo natus è muliere, breuis est diebus, & satur ira.*
Aut tanquam flos efflorescens decidit, aufugit autem velut vmbra, & non stabit.	2	*Sicut flos egreditur & exciditur: qui & fugit velut vmbra, & non permanet.*
Numquid & huius rationem fecisti, & hunc fecisti venire in iudicium coram te?	3	*Etiam super hunc aperis oculos tuos, & me adducis in iudicium tecum.*
Quis enim mundus erit à sorde? at nemo, & si vnus dies sit vita eius super terram:	4	*Quis dabit mundum ex immundo? ne vnus quidem.*
Dinumerati enim sunt menses eius ab eo: ad tempus posuisti, & non transgredietur.	5	*Si definiti sunt dies eius, & si numerus mensium eius tecum est, statuta eius feceris, & non præteribit:*
Discede ab eo, vt requiescat, & bene velit vitam, sicut mercenarius.	6	*Recede ab eo, & cesset afflictio, donec exoptet sicut mercenarius diem suum.*
Est enim arbori spes: si enim excisa fuerit, adhuc pullulabit, & germen eius non deficiet:	7	*Est enim de arbore spes, si præcisa fuerit, & adhuc pullulabit, & propago eius non deficiet.*
Si enim senuerit in terra radix eius, & in petra autem interierit, truncus eius	8	*Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus eius,*
Ab odore aquæ germinabit, & faciet messem, sicut nouella plantatio.	9	*Ab odore aquæ germinabit, & faciet messem sicut planta nouella.*
Vir vero cum mortuus fuerit, abiit: & mortalis, cum ceciderit, non vltra est.	10	*At homo moritur, & exciditur, ac interit homo, & vbi est?*
Tempore enim rarefit mare, & fluuius desolatus exaruit.	11	*Vt abeunt aquæ à mari, & flumen exiccatur, & arescit:*
Homo autem cum dormierit, non vtique resurget: quo adusque cælum non sit consutum: & non excitabuntur de somno suo.	12	*Sic homo obdormit, nec resurget: nam donec non fuerint cœli, non euigilabunt, nec expergiscentur à somno suo.*
Itaque vtinam apud inferos me custodisses, & abscondisses me donec requiescerèt ira tua, & constituas mihi tempus, in quo memoriam mei facias:	13	*Vtinam in sepulchro abscondas me, & abdas me, donec quiescat furor tuus, & ponas mihi præceptum, & recorderis mei.*
Si enim mortuus fuerit homo; viuet consummatis diebus vitæ suæ: sustinebo donec rursus fiam:	14	*Si moriatur homo, nunquid viuet? si sic, cunctis diebus temporis mei expectarem donec veniret immutatio mei.*
Deinde vocabis, & ego obediam tibi: sed opera manuum tuarum ne repellas,	15	*Vocabis, & ego respondebo tibi: num opus manuum tuarum perdere desiderabis?*
Numerasti autem adinuentiones meas, & non præteribit te vllum peccatorum meorum:	16	*Nunc enim gressus meos dinumerasti, nec differs peccatum meum.*
Signasti autem in sacculo iniquitates meas, & annotasti, si quid inuitus erraui:	17	*Obsignata est velut in fasciculo prauaricatio mea, & assuis iniquitati meæ,*
Et quidem mons cadens decidet, & petra veterascet de loco suo:	18	*Et sane vt mons cadens marcescet, & rupes quæ transferetur è loco suo:*
Lapides leuigauerunt aquæ, & demerserunt aquæ supina cumuli terræ: & patientiam hominis perdidisti:	19	*Vt lapides comminuuntur aqua, & impetus aquæ inundat, quæ sponte fundit puluis terræ: sic spem hominis perdis.*
Impulisti eum in finem, & abiit: adiecisti ei faciem, & dimisisti:	20	*Fortior eo eris in perpetuum, & abibit mutans faciem suam, & ejicies eum.*
Et cum multi fuerunt filij eius, nescit: sin autem pauci fuerint, ignorat:	21	*Glorificabuntur filij eius, & nesciet: aut affligentur, & non aduertet ad eos.*
Sed carnes eius doluerunt, & anima eius luxit.	22	*Verum caro eius super eum, dolebit: & anima eius in eo lugebit.*

Vulgat. Editio.

CAP. XV.

REſpondens autem Eliphaz Themanites, dixit:
Numquid ſapiens reſpondebit quaſi in ventum loquens, & implebit ardore ſtomachum ſuum?
Arguis verbis eum, qui non eſt æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.
Quantum in te eſt, euacuaſti timorem, & tuliſti preces coram Deo.
Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium.
Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua reſpondebunt tibi.
Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?
Numquid conſilium Dei audiſti, & inferior te erit eius ſapientia?

Quid noſti quod ignoremus? quid intelligis quod neſciamus?
* Et ſenes; & antiqui ſunt in nobis multo vetuſtiores quam patres tui.
Numquid grande eſt vt conſoletur te Deus? ſed verba tua praua hoc prohibent.
Quid te eleuat cor tuum, & quaſi magna cogitans, attonitos habes oculos?
Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuſcemodi ſermones?
Quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere?
* Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius.
Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?
Oſtendam tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi:

Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos.
Quibus ſolis data eſt terra, & non trauſiuit alienus per eos.
Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius.
Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.
Non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium.
Cum ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies.
Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut regem, qui præparatur ad prælium.
Tetendit enim aduerſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt.
Cucurrit aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.
Operuit faciem eius craſſitudo, & de lateribus eius aruina dependet.
Habitauit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redactæ.
Non ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terra radicem ſuam.

Non recedet de tenebris: ramos eius arefaciet flamma, & auferetur ſpiritu oris ſui.
Non credet fruſtra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus ſit.
Antequam dies eius impleantur, peribit: & manus eius arefcent.
Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proïjciens florem ſuum.

* Eccli. 18. 8.
* Sup. 4. 18.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XV.

ET reſpondit Eliphaz Temanites, & dixit.
Nunquid ſapiens reſpondebit ſcientiam ventoſam, & implebit eurо ventrem ſuum?
Num ſapientis eſt diſputare verbo quod non proderit, & ſermonibus in quibus non erit vtilitas?
Etiam detruſiſti timorem, & prohibuiſti orationem coram Deo.
Quia docuit iniquitas tua os tuum, & elegiſti linguam verſutorum.
Impium facit te os tuum, & non ego: & labia tua teſtantur contra te.
Nunquid ante primum hominem natus es, & ante colles formatus es?
Nunquid in ſecreto Dei audiſti, & diminuta eſt tibi ſapientia?

Quid noſti, quod non ſciamus? Quid intellexiſti, & non nobiſcum eſt?
Etiam canus, etiam decrepitus inter nos eſt: maior patre tuo diebus inter nos eſt.
Nonne parum à te diſtant conſolationes Dei; & verbum abſconditum eſt tecum.
Quid extollit te cor tuum, & quid innuunt oculi tui?

Quia reſpondit Deo ſpiritus tuus, & protuliſti ex ore tuo ſermones.
Quid eſt homo quod mundus ſit, & quod iuſtificet ſe natus è muliere?
Ecce ſanctis ſuis non credet, & cœli non ſunt mundi in oculis eius:
Quanto magis abominabilis, & contemptibilis, vir bibens ſicut aquam iniquitatem?
Narrabo tibi audi me: & hoc quod vidi narrabo.

Quod ſapientes narrauerunt, & non abſconderunt à patribus ſuis.
Eis ſolis data eſt terra, & non tranſiuit alienus per medium eorum.
Cunctis diebus impij ipſe impius dolet vt parturiens, & numerus annorum abſconditus eſt forti.
Sonitus timorum in auribus eius, in pace vaſtator veniet ei.
Non credet redire à tenebris, & ſpeculatur gladium.

Vagatur ipſe pro pane vbique, nouit quod paratus eſt in manu ſua dies tenebrarum.
Terrebit eum tribulatio, & anguſtia. Roborabitur contra eum ſicut rex paratus ad prælium.
Quia extendit contra Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roborauit ſe.
Deus curret contra eum vt percutiat ipſum in collo, in denſitate corporis ſcutorum eius.
Quia operuit impius faciem ſuam adipe ſuo, & fecit lumbricos in iliis.
Et inhabitauit ciuitates deſolatas domos, inquibus non habitabant, quæ paratæ ſunt, vt ſint tumuli.
Non ditabitur, & non ſtabit ſubſtantia eius, non creſcet in terra perfectio eorum.

Non recedet è tenebris; ramum tenerum eius ſiccabit flamma, & recedet ſpiritu oris eius.
Non credet verbo æquo, & recto qui errat, ſed mendacium erit loco eius.
In non die ſuo ſuccidetur, & ramus eius non viruit.

Perdet Deus ſicut vitis vuam acerbam eius, & proïjciet tanquam olea florem eius.

Transl. ex Septuag.

CAP. XV.

REspondens autem Eliphaz Themanites,ait: 1
Numquid sapiens responsionem dabit scientiæ spiritus:& impleuit dolorem ventris, 2
Arguens in verbis,quibus non oportet, & in sermonibus,quibus nulla vtilitas; 3
Nonne & tu repulisti timorem,consummasti autem verba talia coram Domino? 4
Reus es verbis oris tui, neque diiudicasti verba potentum: 5
Arguat te os tuum,& non ego: & labia tua testificabuntur contra te. 6
Quid enim? nunquid primus homo natus es? aut ante colles concretus es? 7
Aut constitutionem Domini audisti? aut consiliario te vsus est Deus, & in te peruenit sapientia? 8
Quid enim nosti,quod non nouimus?
Aut quid intelligis tu,quod non & nos? 9
Sed & senex, & antiquus in nobis est patre tuo grauior diebus: 10
Pauca præ iis,quæ peccasti,accepisti verbera: valde supra modum locutus es. 11
Quid ausum fuit cor tuum? aut quid sustinuerunt oculi tui, 12
Quod furorem erupisti ante Dominum, protulisti autem ex ore verba talia? 13
Quis enim cum homo sit, quia erit sine crimine? aut tanquam futurus iustus natus de muliere? 14
Si in sanctis non credit, & cælum non est mundum ante eum? 15
Sine vero, abominatus & immundus vir bibens iniustitias quasi potionem? 16
Annuntiabo autem tibi, audi me, quæ vtique vidi, 17
Annuntiabo tibi, quæ sapientes dicent,& non celauerunt parentes eorum: 18
Ipsis solis data est terra:nec superuenit illis extraneus: 19
Omnis vita impij in solicitudine:anni autem numerati potenti diu sunt; 20
Timor autem ipsius in auribus ipsius: cum putauerit se esse iam in pace,veniet eius subuersio: 21
Non credat conuerti à tenebris:decretus enim est iam in manus ferri & dispositus in escas vulturum. 22
Nouit autem in seipso, quod manet in ruinam: dies autem tenebrosa ipsum versabit; 23
Angustia autem,& tribulatio ipsum comprimet, sicut dux in prima acie decidens: 24
Quia eleuauit manus contra Deum, & contra Dominum Omnipotentem indurauit ceruicem, 25
Cucurrit autem contra eum iniuria in crassitudine dorsi scuti sui: 26
Quia operuit faciem eius in adipe suo,& fecit peristomium super fœmora: 27
Habitet autem ciuitates desertas, & ingrediatur in domos non habitatas: 28
Quæ autem illi parauerunt, alij auferent: & non ditabitur, nec permanebit substantia eius: non immittet super terram vmbram, 29
Neque effugiet tenebras: flirpem eius arefaciet ventus,& decidat flos eius: 30
Non credat,quia sustinebit:vana enim euadent ei: 31
Præcisio eius ante horam corrumpetur,& ramus eius non condensabitur: 32
Vindemietur, sicut acresta ante horam, & decidat tanquam flos oliuæ. 33

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XV.

ET respondit Eliphaz Themanites, ac dixit,
Nunquid sapiens respondebit scientiam ventosam, & replebit Euro ventrem suum.
Disputare verbo quod non proderit, & sermonibus in quibus non erit vtilitas?
Etiam tu dissipas timorem, & diminuis orationem coram Deo.
Certe docebit iniquitatem tuam os tuum, quum eligas linguam versutorum.
Condemnat te os tuum, & non ego: & labia tua testantur contra te.
Nunquid ante primum hominem natus es, & ante colles formatus es?
Nunquid secretum Dei audisti, & prohibes apud te sapientiam?
Quid nosti quod nesciamus? quid intelligis,& non nobiscum est?
Etiam canus, etiam decrepitus inter nos est, & prouectior patre tuo diebus.
An parum tibi consolationes istorum? & an aliquid absconditum est apud te?
Quid cepit te cor tuum,& quid innuunt oculi tui,
Quod respondeas Deo spiritum tuum, & proferas ex ore tuo sermones?
Quid est homo, vt mundus sit, & vt iustificetur natus è muliere?
Ecce in sanctis suis non posuit stabilitatem, & cœli non sunt mundi in oculis eius:
Quanto magis abominabilis & contemptibilis homo libens sicut aquam iniquitatem?
Indicabo tibi,proinde audi me, & hoc quod vidi narrabo:
Quod sapientes renuntiauerunt à patribus suis, neq; absconderunt:
Quibus solis data est terra,nec transiuit alienus per medium eorum.
Cunctis diebus impij ipse dolore afficitur, & numero annorum qui absconditi sunt forti,
Strepitus terrorum in auribus ipsius, in pace vastator veniet ei.
Non credet reuerti è tenebris,ideo aspicitur à gladio.
Vagatur ipse ad panem, vbinam sit, tunc sciet quod paratus sit in manu eius dies tenebrarum.
Terrebit eum tribulatio & angustia: roborabitur contra eum sicut rex paratus ad prælium.
Quia extendit contra Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.
Incurret in eum in collum, in crassitiem corporum scutorum eius.
Quia operuit faciem suam adipe suo, & fecit rugas super ilia.
Et inhabitauit vrbes desolatas, domos in quibus non habitabant, quæ paratæ erant in aceruos lapidum.
Non ditescet, nec stabilis erit potentia eius, neque extendet terræ perfectionem eorum.
Non recedet è tenebris; ramum eius tenerum arefaciet flamma, & recedet in flatu oris eius.
Non credet qui vanitate errat, quod vanitas futura sit permutatio eius.
In non die suo succidetur, & ramificatio eius non vireſcet.
Perdet sicut vitis vuam suam acerbam, & proijciet tanquam olea florem suum.

Vulgat. Editio.

Congregatio enim hypocritæ ſterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.

*Iſa. 59 4. Pſal. 7. 15. * Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius præparat dolos.

CAP. XVI.

REſpondens autem Iob, dixit:
Audiui frequenter talia, conſolatores onerоſi omnes vos eſtis.
Numquid habebunt finem verba ventoſa? aut aliquid tibi moleſtum eſt ſi loquaris?
Poteram & ego ſimilia veſtri loqui: atque vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea:
Conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos:
Roborarem vos ore meo: & mouerem labia mea, quaſi parcens vobis.
Sed quid agam? Si locutus fuero, non quieſcet dolor meus: & ſi tacuero, non recedet à me.
Nunc autem oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei.
Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me, & ſuſcitatur falſiloquus aduerſus faciem meam contradicens mihi.
Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus ſuis: hoſtis meus terribilibus oculis me intuitus eſt.
Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.
Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.
Ego ille quondam opulentus repente contritus ſum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum.
Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viſcera mea.
Concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas.
Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam.
Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.
Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.
Terra ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.
Ecce enim in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.
Verboſi amici mei: ad Deum ſtillat oculus meus.
Atque vtinam ſic iudicaretur vir cum Deo quomodo iudicatur filius hominis cum collega ſuo.
Ecce enim breues anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non reuertar, ambulo.

CAP. XVII.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.
Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.

Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.
Cor eorum longe feciſti à diſciplina, propterea non exaltabuntur.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

34 *Congregatio enim impij erit deſolata, & ignis deuorauit tabernacula è muneribus conſtructa.*

35 *Concipere peruerſitatem, & parere mendacium, & venter eorum parabit fraudem.*

CAP. XVI.

1 ET reſpondit Iob, & dixit.
2 *Audiui ſicut hæc multoties, conſolatores laborioſi eſtis omnes vos.*
3 *Nunquid erit finis verbis ventoſis? aut quid roborabit te ſi reſponderis?*
4 *Etiam ego ſicut vos loquerer, vtinam eſſet anima veſtra loco animæ meæ.*
5 *Cumularem ſuper vos ſermones, & mouerem ſuper vos caput meum.*
6 *Roborarem vos ore meo: & narratio labiorum meorum prohiberet dolorem veſtrum.*
7 *Si locutus fuerit non prohibebitur dolor meus, & ſi deſiero quid à me abibit?*
8 *Veruntamen nunc laborare fecit me Deus, deſolaſti omnem congregationem meam.*
9 *Et rugare feciſti me, in teſtem fuit, & ſurrexit contra me, macies mea in facie mea reſpondebit.*

10 *Furor eius rapuit me, & odio habuit me, frenduit aduerſum me dentibus ſuis. Hoſtis meus acuit oculos ſuos contra me.*
11 *Aperuerunt aduerſum me os ſuum, opprobrio percuſſerunt maxillas meas, ſimul aduerſum me congregati ſunt.*
12 *Tradidit me Deus mendaci, & per manus impiorum diuertere fecit me è via.*
13 *Quietus eram, & contriuit me, & tenuit ceruicem meam, & confregit me, & ſtatuit me ſibi in ſcopum.*

14 *Circuierunt aduerſum me iaculatores eius, diuiſit renes meos, & non pepercit, effudit in terram fel meum.*

15 *Dirupit me diruptione ſuper diruptionem, cucurrit aduerſum me ſicut potens.*
16 *Saccum conſui ſuper cutem meam, & inuolui in puluere caput meum.*
17 *Facies mea fœdata eſt luto propter fletum, & in palpebris meis apparuit vmbra mortis.*
18 *Et hæc vſu venerunt mihi eo quod non fuit iniquitas in manibus eius, & oratio mea fuit munda.*
19 *Et ſi verum eſt quod dicitis: terra ne operias ſanguinem meum, & ne ſit locus clamori meo.*
20 *Etiam nunc ecce in cœlis eſt teſtis meus, & teſtis meus in excelſis,*
21 *Rhetores amici mei ſunt: ad Deum ſtillauit oculus meus.*
22 *Et vtinam diſputare poſſet vir cum Deo, vt filius hominis cum amico ſuo.*
23 *Quia anni numerabiles venient, & per ſemitam, vnde non reuertar ambulabo.*

CAP. XVII.

1 *SPiritus meus corruptus eſt, dies mei ſucciſi ſunt, ſepulchra parata ſunt mihi.*
2 Nec cum Deo diſputare optarem *niſi illuſores mecum eſſent, & in irritationibus eorum moraretur oculus meus.*
3 *Pone quæſo pignus* fideiuſſorem *da mihi tecum, quis eſt qui manum meam tangens polliceatur?*
4 *Quia cor eorum abſcondiſti ab intelligentia propterea non exaltabis eum.*

Transl. ex Septuag.

Testimonium enim impij mors: & ignis comburet domos eorum; qui munera accipiunt:

Concipiet & in ventre gemitus: euadent autem ei vana, & venter eius sustinebit dolum.

CAP. XVI.

REspondens autem Iob ait:
Audiui talia multa: consolatores malorum omnes.
Quid ergo? nunquid ordo est sermonibus spiritus? aut quid molestum tibi erit, quod respondeas?
Et ego secundum vos loquar. Si subiecta esset anima vestra pro mea;

Deinde insultabo in vos verbis, & mouebo contra vos caput.
Sit autem fortitudo in ore meo: motui autem labiorum non parcam.
Si enim loquar; non dolebo vulnus. Quod etsi tacebo, quid minus vulnerabor?
Nunc autem lassatum me fecit stultum, putrem:

Et apprehendisti me, & in testimonium fuit, & surrexit super me mendacium meum: contra faciem meam respondit:
Iracundia vsus deiecit me: fremuit super me dentibus: sagittæ piratarum eius super me deciderunt: acie oculorum irruit,
Mucrone percussit me in genibus: & simul concurrerunt in me:
Tradidit enim me Dominus in manus iniustorum, & super impios proiecit me:

In pace cum essem, discerpsit me, tenens me coma diuulsit: statuit me sicut signum:

Circundederunt me lanceis emittentes in renes meos: non parcentes effuderunt in terrã fel meum:
Deiecerunt me ruinam super ruinam: cucurrerunt erga me potentes:
Cilicium assuerunt corio meo: robur autem meum in terra extinctum est:
Venter meus combustus est à fletu, & super palpebras meas vmbra.
Iniustum autem nihil fuit in manu mea: deprecatio autem mea munda.
Terra ne operias super sanguinem carnis meæ, nec sit locus clamori meo:
Et ecce nunc in cælis est testis meus, & conscius meus in excelsis.
Perueniat oratio mea ad Dominum: & coram eo stillet oculus meus:
Sit autem redargutio viro coram Domino, & filij hominis ad proximum suum.
Anni enim dinumerati venerunt, & via, per quam non reuertar ambulabo.

CAP. XVII.

PEreo spiritu agitatus: oro autem sepulchrum, & non contingit mihi: preces adhibeo cum labore;
Et quid feci? & furati sunt extranei bona mea.

Quis est iste, manu mea ligetur:

Quia cor eorum abscondisti à prudentia: propter hoc ne exaltaueris eos:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Congregatio enim impij erit desolata, & ignis deuorabit tabernacula muneris.

Nam conceperunt afflictionem, & pepererunt iniquitatem, atque venter eorum præparat fraudem.

CAP. XVI.

ET respondit Iob, ac dixit,
Audiui his similia multoties: consolatores laborioſi estis vos omnes.
Nunquid erit finis verbis ventosis? aut quid corroborabit te, si loquaris?
Etiam ego sicut vos loquerer: vtinam esset anima vestra loco animæ meæ, societatem inirem vobiscum sermonibus, & mouerem super vos caput meum:
Roborarem vos ore meo, & consolatio labiorum meorum prohiberet.
Si locutus fuero, non prohibebitur dolor meus: si vero desiero, quid à me recedet?
Verum nunc fatigauit me, desolasti omnem congregationem meam.
Et corrugasti me, in testem fuit, & surrexit in me macies mea, in facie mea testificabitur:
Furor eius rapuit me, & odio prosequutus est me, frenduit aduersum me dentibus suis: hostis meus acuit oculos suos contra me.
Aperuerunt aduersum me os suum, cum opprobrio percusserunt maxillas meas, simul aduersum me congregati sunt.
Tradidit me Deus mendaci, & per manus impiorum diuertere fecit me è via.
Quietus eram, & contriuit me: arripuitq; ceruicem meam, & dissipauit me, & statuit me sibi in scopum.
Circundederunt me iaculatores eius, dissecuit renes meos, & non pepercit, effudit in terram fel meum.

Confregit me confractione super confractionem, cucurrit aduersum me sicut potens.
Saccum consui super cutem meam, & oneraui puluere cornu meum.
Facies mea fœdata est ceu luto præ fletu, & in palpebris meis vmbra mortis:
Ob nullam iniuriam in manibus meis, & oratio mea munda.
O terra, ne tegas sanguinem meum, neque sit locus clamori meo.
Etiam nunc, ecce in cœlis est testis meus, & testis meus in excelsis.
Colloquutores mei amici mei, ad Deum stillat oculus meus.
Vtinam disputare posset vir cum Deo, sicut filius hominis cum amico suo.
Quia anni numeri aduenient, & semitam, qua non reuertar, ambulabo.

CAP. XVII.

SPiritus meus corruptus est, dies mei succisi sunt, proinde sepulchra mihi.
Istud non dicerem, nisi illusores mecum essent, & in irritationibus eorum commoratur oculus meus.

Appone quæso, fideiussorem da mihi tecum, quis est qui manum meam tangat?
Quia cor eorum abscondisti ab intellectu, propterea non exaltabis.

Vulgat. Editio.

Prædam pollicetur ſociis, & oculi filiorum eius deficient.

Poſuit me quaſi in prouerbium vulgi, & exemplum ſum coram eis.

Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt.

Stupebunt iuſti ſuper hoc, & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur.

Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.

Igitur omnes vos conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum ſapientem.

Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum:

Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lucem.

Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum.

Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & ſoror mea, vermibus.

Vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientiam meam quis conſiderat?

In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea: putaſne ſaltem ibi erit requies mihi?

CAP. XVIII.

REſpondens autem Baldad Suhites, dixit:

Vſque ad quem finem verba iactatis? intelligite prius, & ſic loquamur.

Quare reputati ſumus vt iumenta, & ſorduimus coram vobis?

Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco ſuo?

Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius?

Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur.

Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum.

Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat.

Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.

Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam.

Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius.

Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat coſtas illius.

Deuoret pulchritudinem cutis eius, conſumat brachia illius primogenita mors.

Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius, & calcet ſuper eum, quaſi rex, interitus.

Habitent in tabernaculo illius ſocij eius, qui non eſt, aſpergatur in tabernaculo eius ſulphur.

Deorſum radices eius ſiccentur, ſurſum autem atteratur meſſis eius.

* Prou. 2.22. * Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.

Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.

Non erit ſemen eius, neque progenies in populo ſuo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius.

In die eius ſtupebunt nouiſſimi, & primos inuadet horror.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Qui blanda annunciauerit amicis: ſed oculi filiorum eius conſumentur.*

6 *Et ſtatuit me in parabolam populorum, & in igne gehennæ antea ero.*

7 *Et caligauit propter dolorem oculus meus, & cogitationes meæ ſunt ſicut vmbra vniuerſæ.*

8 *Stupebunt recti ſuper hoc, & innocens contra impium ſuſcitabitur.*

9 *Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundus manibus addet fortitudinem.*

10 *Sed vos omnes reuertimini, & venite quæſo, & non inueniam inter vos ſapientem.*

11 *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ euulſæ ſunt, cogitationes cordis mei.*

12 *Noctem in diem poſuerunt, lucem propinquam à facie tenebrarum.*

13 *Si expectauero ſepulchrum quod eſt domus mea, in tenebris ſtrani lectum meum.*

14 *Foueam vocaui, & dixi, pater meus es tu, matrem meam & ſororem meam vocaui, vermen.*

15 *Et vbi nunc eſt præſtolatio mea? & præſtolationem meam quis videbit?*

16 *In ſepulchrum deſcendent: num pariter in puluere erit requies?*

CAP. XVIII.

1 *ET reſpondit Bildad Suchites, & dixit.*

2 *Vſquequo ponetis fines ſermonibus, intelligatis, poſtea loquemur.*

3 *Cur reputamur vt iumentum, ſorduimus in oculis veſtris?*

4 Tu qui es vt vir *qui rapit animam ſuam furore ſuo. Nunquid propter te derelinquetur terra, & transferetur ſaxum è loco ſuo?*

5 *Etiam lux impiorum extinguetur, & non ſplendebit ſcintilla ignis eius.*

6 *Lux obſcurabitur in tabernaculo eius, & lucerna eius ſuper eum extinguetur.*

7 *Arctabuntur greſſus potentia, & proijciet eum conſilium ſuum.*

8 *Quia miſſum eſt rete in pedibus eius, & ſuper rete ambulabit.*

9 *Apprehendet calcaneum laqueus, roborabit Deus contra eum ſitientes rapere.*

10 *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula eius ſuper ſemitam.*

11 *Vndique terrebunt eum terrores, & diſpergent eum fugientem huc, & illuc pedibus eius.*

12 *Erit famelicum ſemen eius, & euentus malus parabitur lateri eius.*

13 *Comedet membra cutis eius, comedet membra eius primogenitus mortis.*

14 *Euelletur è tabernaculo eius fiducia eius, & incedere faciet eum eius conſilium ad regem terrorum.*

15 *Habitabit habitatrix in tabernaculo eius in exiſtente in eo: ſpargetur ſuper habitaculum eius ſulphur.*

16 *Deorſum radices eius ſiccabuntur, & ſurſum excidetur ramus eius.*

17 *Memoria illius peribit è terra, & non erit nomen ei in platea.*

18 *Expellent eum de luce ad tenebras, & de orbe proijcient eum,*

19 *Non erit filius, & non erit nepos in populo eius, & non erit ſuperſtes in habitationibus eius.*

20 *Super diem eius obſtupeſcent nouiſſimi, & antiquos apprehendit pauor.*

Transl. ex Septuag.

Parti nunciabit mala: & oculi super filios tabuerunt:
Posuisti autem me fabulam in nationibus, & risus illis deueni:
Cæcati enim sunt ab ira oculi mei: expugnatus sum valde ab omnibus:
Admiratio tenuit veraces super hoc: iustus autem super inimicum consurgat:
Teneat autem fidelis viam suam: & purus manibus sumat audaciam.
Verumtamen omnes incumbite,& venite,quæso: non enim inuenio in vobis veritatem.
Dies mei transierunt in strepitu, & rupti sunt articuli cordis mei:
Noctem in diem posui:lumen prope à facie tenebrarum.
Nam si sustinuero;inferi domus mea erunt: & in caligine stratum est stratum meum.
Interitum appellaui patrem meum esse, matrem autem meam,& sororem tabem.
Vbi igitur est mea iam spes? aut bona mea videbo?
Aut mecum ad inferos descendent? aut pariter super puluerem descendemus?

CAP. XVIII.

REspondens autem Baldad Sauchites ait:
Quousque non cessabis? cohibe te, vt & ipsi loquamur:
Et cur tanquam quadrupedia tacuimus coram te?
Vsa est te ira? Quid enim? si tu mortuus fueris;inhabitabilis erit ea, quæ sub cælo? aut subuertentur montes à fundamentis?
Et lumen impiorum extinguetur, & non procedet lumen eorum.
Lux eius tenebræ in domo, & lucerna super eum extinguetur.
Venentur infirmi substantiam eius: erret autem eius consilium:
Et immissus est pes eius in laqueum: rete inuoluatur;
Veniant autem super eum laquei:confortabit super eum sitientes:
Absconditus est in terra funiculus eius, & captio eius in semita,
Per circuitum perdant eum dolores:

Et multi circa pedes eius venient in angustia famis:ruina autem parata est in insignis:
Comedantur rami pedum eius, & mors deuoret speciosa eius:
Rumpatur autem de habitaculo eius sanitas: & teneat eum necessitas causa regali:

Habitet in tabernaculo eius, in nocte eius. Aspergentur speciosa eius sulphure.

De subtus radices eius siccabuntur, & de sursum decidet messio eius.
Memoriale eius pereat de terra, & erit nomen ei super faciem extra:
Expellat eum de luce in tenebras:

Non erit cognominatus in populo suo,neque domus eius saluata in ea, quæ sub cælo: sed in rebus eius viuent alij:
Super eum gemuerunt vltimi: primos autem tenuit admiratio.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Eum qui blandiendi causa renuntiabit cogitatus suos, sed oculi filiorum eius consumentur.
Profecto statuit me in parabolam populorum, & in gehenna antea sum.
Et caligauit præ indignatione oculus meus, & cogitationes meæ vniuersæ sunt sicut vmbra.
Stupebunt recti super hoc, & innocens contra impium commouebitur.
Retinuit tamen iustus viam suam, & mundus manibus addidit robur.
At vero omnes reuertimini, & venite quæso, & non inueniam inter vos sapientem.
Dies mei transierunt, cogitationes meæ euulsæ sunt, cogitationes cordis mei.
Noctem in diem posuerunt, lucem propinquam à facie tenebrarum.
Si expectauero quod sepulchrum sit domus mea, & in tenebris sternam lectum meum:
Ac foueæ dicam, Pater meus es tu, & vermi, Mater mea, & soror mea es:
Vbinam nunc erit expectatio mea? & expectationem meam quis videbit?
Ad fulcra inferni descendent si simul in puluere quies.

CAP. XVIII.

ET respondit Bildad Suhites, ac dixit,
Quousque ponetis fines sermonibus? instruatis, & postea loquemur.
Cur reputamur vt iumentum, sordiuimus in oculis vestris?
Qui laniat animam suam furore suo, nunquid propter te derelinquetur terra, & transferetur rupes è loco suo?
Etiam lux impiorum extinguetur, nec splendebit scintilla ignis eius.
Lux obscurabitur in tabernaculo eius, & lucerna eius super eum extinguetur.
Arctabuntur gressus potentiæ eius, & proijciet eum consilium suum:
Quia proijcietur in rete pedibus suis, & super rete ambulabit.
Apprehendet calcaneum laqueus, præualebit aduersus eum prædo.
Absconditus est in terra pedica eius, & decipula eius super semitam.
Vndique terrebunt eum terrores, & dispergent eum pedibus suis.
Erit famelicum semen eius, & euentus malus parabitur lateri eius.
Deuorabit ramos cutis eius, & deuorabit membra eius primogenitus mortis.
Abrumpetur è tabernaculo eius fiducia eius, & incedere faciet eum ad regem terrorum.

Habitabit in tabernaculo eius, eo quod non sit ipsius, spargetur super habitaculum eius sulphur.

Deorsum radices eius arescent, & sursum excindetur ramus eius.
Memoria illius peribit è terra, neque erit nomen illi in platea.
Propellent eum è luce ad tenebras, & de orbe ejcient eum.
Non erit filius illi, neque nepos in populo suo, & nullus superstes in habitationibus eius.

Super die eius obtupescent posteri, & maiores apprehendent pauorem.

Vulgat. Editio.

Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus eius, qui ignorat Deum. 21

CAP. XIX.

RESpondens autem Iob, dixit: 1
Vſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus? 2
En, decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me. 3

Nempe, etſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea. 4
At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. 5

Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit. 6
Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non eſt qui iudicet. 7
Semitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum, & in calle meo tenebras poſuit. 8
Spoliauit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo. 9
Deſtruxit me vndique & pereo, & quaſi euulſæ arbori abſtulit ſpem meam. 10
Iratus eſt contra me furor eius, & ſic me habuit quaſi hoſtem ſuum. 11
Simul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum. 12
Fratres meos longe fecit à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt à me. 13
Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerant, obliti ſunt mei. 14
Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum. 15
Seruum meum vocaui, & non reſpondit, ore proprio deprecabar illum. 16
Halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei. 17
Stulti quoque deſpiciebant me, & cum ab eis receſſiſſem, detrahebant mihi. 18
Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei: & quem maxime diligebam, auerſatus eſt me. 19
Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. 20
Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. 21
Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini: 22
Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro, 23
Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? 24
Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: 25
Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. 26
Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. 27

Quare ergo nunc dicitis: Perſequamur eum, & radicem verbi inueniamus contra eum? 28
Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt: & ſcitote eſſe iudicium. 29

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Veruntamen hæc ſunt habitacula iniqui, & iſte locus eius qui non nouit Deum. 21

CAP. XIX.

ET reſpondit Iob, & dixit. 1
Vſquequo dolore afficietis animam meam, & atteritis me ſermonibus? 2
Iam decem vicibus pudore affeciſtis me, non erubeſcitis ſubſannare me. 3

Et eſto quod vere errauerim mecum errabitur error meus. 4
Si vero aduerſum me magnificaueritis linguam veſtram, *& argueritis me* eſſe impium propter *opprobrium meum* quod ſuperuenit mihi. 5
Scitote nunc, quod Deus perdidit me, & rete ſuum aduerſum me circuire fecit. 6
Si clamauero ad Deum propter iniquitatem, *non exaudiar: ſi vociferauero non erit iudicium.* 7
Semitam meam ſepſit, & non tranſibo, & in ſemitis meis tenebras poſuit. 8
Opibus meis me ſpoliare fecit, & remouit coronam capitis mei. 9
Deſtruxit me vndique & iui, & recedere fecit à me ſicut ab arbore, eradicata, & ſiccata, *ſpem meam.* 10
Et iraſci fecit contra me furorem ſuum, & reputauit me ſibi ac ſi eſſem vnus ex hoſtibus eius. 11
Simul venerunt exercitus eius, & eleuauerunt ſuper me viam ſuam, & caſtrametati ſunt in circuitu tabernaculi mei. 12
Fratres meos à me elongare fecit, & noti mei veruntamen alienati ſunt à me. 13
Deſierunt viſitare me propinqui mei: & noti mei obliti ſunt mei. 14
Inquilini domus mea, & ancille mee, vt alienum reputabant me, vt extraneus fui in oculis eorum. 15

Seruum meum vocaui, & non reſpondit, ore meo deprecabar illum. 16
Halitus meus alienus erat vxori meæ, & deprecabar illam propter *filios vteri mei.* 17
Etiam iniqui deſpexerunt me: aſſurgebam eis, & loquebantur contra me. 18
Abominati ſunt me omnes viri conſiliarij mei: & hi quos diligebam, verſi ſunt contra me. 19
Pelli mea & carni mea adhæſit os meum, & euaſi cum pelle dentium meorum. 20

Miſeremini mei, miſeremini mei vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. 21
Vt quid perſequimini me ſicut Deus, & carne mea non ſaturabimini? 22
Vtinam nunc ſcriberentur ſermones mei: vtinam in libro imprimerentur: 23
In ſtilo ferreo, & plumbeo, vt ſint in perpetuum, in petra ſculperentur. 24
Et ego noui redemptorem meum viuum, & nouiſſimo ſuper terram ſaturum. 25
Et poſtquam pellem meam contriuerint hanc: & de carne mea videbo Deum. 26
Quem ego viſurus ſum mihi, & oculi mei videbunt, & non alienus. Defecerunt renes mei in ſinu meo. 27

Quia veſtra intererat, *vt diceretis: cur perſequimur eum, & quæ radix rei* iniquæ *inuenta eſt in me?* 28
Timete vobis à facie gladij, quoniam ira qua iraſci facitis mē eſt ex *iniquitatibus*, quæ dignæ ſunt, *vt gladio* vlciſcantur, *vt ſciatis quod eſt iudicium.* 29

Transl. ex Septuag.

Hæ sunt domus impiorum:& hic est locus eorum, qui non nouerunt Dominum. 21

CAP. XIX.

REspondens autem Iob,ait: 1
Vsquequo molestiam facietis animæ meæ,& destruetis me verbis? 2
Scitote tantum, quia Dominus fecit me sic: loquimini contra me: non reueriti me infesti estis mihi: 3
Esto vtique in veritate ego erraui, & apud me moratur error, 4
Loqui verba, quæ non oportebat, & verba mea errant,& non in tempore;sine vero, quoniam super me magnificamini:& insultatis mihi opprobrio. 5
Scitote igitur quia Dominus est,qui turbauit, & vallum suum super me exaltauit. 6
Ecce rideo opprobrio, non loquar: clamabo, & nusquam iudicium: 7
In circuitu circum ædificatus sum,& non transibo:in vultu meo tenebras posuit: 8
Et gloriam meam à me exuit,& abstulit coronam de capite meo: 9
Dirupit me vndique,& abij: & excidit tanquam arborem spem meam: 10
Grauiter autem mihi ira vsus est:& arbitratus est me tanquam inimicum: 11
Vnanimiter autem venerunt tentationes eius super me: viis meis in circuitu insederunt insidiatores: 12
A me fratres mei recesserunt, nouerunt alienos, quam me, & amici mei immisericordes facti sunt; 13
Non adhæserunt mihi proximi mei: & scientes nomen meum obliti sunt mei: 14
Vicini domus, & ancillæ meæ; alienigena fui coram eis: 15
Seruum meum vocaui,& non obediuit:os autem meum deprecabatur, 16
Et rogabam vxorem meam: & inuocabam blanditiis filios concubinarum mearum: 17
Illi vero in sæculum me auersati sunt:cum exurrexero;contra me loquuntur: 18
Abominati sunt me,qui me videbant, & quos dilexeram,consurrexeunt in me. 19
In cute mea computruerunt carnes meæ, & ossa mea in dentibus hærent: 20
Miseremini mei, miseremini mei,ô amici:manus enim Domini est,quæ tetigit me: 21
Quare me persequimini,sicut & Dominus, & de carnibus meis non satiamini? 22
Quis enim vtique det, vt scripta sint verba mea, & ipsa posita in libro in sæculum, 23
Et in stylo ferreo,& plumbo,aut in petris insculpta? 24
Scio enim quia æternus est, qui me resoluturus est super terram. 25
Ad resuscitandam cutem meam, quæ perpetitur hæc. 26
A Domino enim hæc mihi consummata sunt, quorum ego mihi conscius sum, quæ oculus meus vidit,& non alius:& omnia mihi consummata sunt in sinu. 27
Quod si & dixeritis,quid dicemus contra eum,& radicem sermonis inueniemus in eo? 28
Cauete vtique, & vos à tegmine. Ira enim super iniquos veniet, & tunc cognoscent; vbi est eorum materia. 29

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Sane hæc sunt habitacula iniqui, & iste locus eius qui non nouit Deum.

CAP. XIX.

ET respondit Iob, ac dixit,
Quousque tandem dolore afficietis animam meam, & conteretis me sermonibus?
Iam decem vicibus pudore affecistis me, non erubescitis, perfricuistis frontem mihi.
Sed esto saue errauerim, mecum moretur error meus.
Si vero sane aduersum me magnificaueritis, & arguendo adducatis aduersum me opprobrium meum:
Scitote nunc quod Deus peruertit me, qui rete suum aduersum me circunduxit.
Et clamabo iniuriam, & non exaudiar: vociferabor, & non erit iudicium,
Semitam meam circumsepsit, & non transibo, & super semitas meas posuit tenebras.
Gloriam meam mihi detraxit, & abstulit coronam capitis mei.
Destruxit me in circuitu, & abij, recederegq; fecit sicut arboris, spem meam.
Et ardere fecit contra me furorem suum, & reputauit me sibi quasi vnum ex hostibus suis.
Simul venerunt exercitus eius, & attriuerunt super me viam suam, & castrametati sunt in circuitu tentorij mei.
Fratres meos à me abduxit, & noti mei sane alienati sunt à me.
Desierunt propinqui mei, & noti mei obliti sunt mei.
Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ alienum reputauerunt me, alienus fui in oculis eorum.
Seruum meum vocaui, & non respondit, ore meo deprecabar illum.
Spiritus meus alienus factus est vxori meæ, & deprecabar illam propter filios vteri mei.
Etiam iniqui despexerunt me: si exurgam, statim loquuntur contra me.
Abominati sunt me omnes viri secreti mei: & quos dilexi, versi sunt in me.
Cuti meæ & carni meæ adhæret os meum, & seruatus sum in cute dentium meorum.
Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei, quia manus Dei tetigit me.
Quare persequimini me sicut Deus, & carne mea non saturamini?
Vtinam nunc scriberentur sermones mei, vtinam in libro describerentur:
Vtinam inquam stylo ferreo, aut in plumbo, aut certe in perpetuum, in saxo sculperentur.
Ego quoque noui redemptorem meum esse viuentem, & nouissimum qui super terram surget.
Ac post pellem meam contriuerunt istud, & ex carne mea videbo Deum.
Quem ego visurus sum mihi, & oculi mei conspecturi sunt, & non alienus: defecerunt renes mei in sinu meo.
Quin dicitis, Quare persequemur eum, quum radix rei inuenta sit in me?
Timete vobis à facie gladij, quoniam ira ex iniquitatibus gladij, vt sciatis fore iudicium.

Vulgat. Editio.

CAP. XX.

REspondens autem Sophar Naamathites, dixit:
Idcirco cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſa rapitur.
Doctrinam, qua me arguis, audiam, & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi.
Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram,
Quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.
Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit:
Quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Vbi eſt?

Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.
Oculus qui eum viderat, non videbit, neque vltra intuebitur eum locus ſuus.
Filij eius atterentur egeſtate, & manus illius reddent ei dolorem ſuum.
Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.
Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.
Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.
Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.
Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.
Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.
(Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.)
Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit.
Quoniam confringens nudauit pauperes: domum rapuit, & non ædificauit eam.
* Eccl. 5.9. * Nec eſt ſatiatus venter eius: & cum habuerit quæ concupierat, poſſidere non poterit.

Non remanſit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.
Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.
Vtinam impleatur venter eius, vt emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum.
Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

Eductus, & egrediens de vagina ſua, & fulgurans in amaritudine ſua: vadent, & venient ſuper eum horribiles.
Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius: deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur: affligetur relictus in tabernaculo ſuo.
Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum.
Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.
Hæc eſt pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XX.

ET reſpondit Sophar Nahamatithes, & dixit.
Idcirco cogitationes meæ reſpondere faciunt me, & quia ſenſus meus eſt in me.
Num correctionem ignominiæ meæ audiam? Et ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi quid tibi reſpõdeã.
Nonne hoc noſti à ſæculo, ex eo tempore quo poſitus eſt homo ſuper terram?
Videlicet quod laus impiorum eſt de propinquo, & lætitia impij ad momentum erit.
Si aſcenderit in cælum ſublimitas eius, & caput eius nubem attigerit,
Veluti ſterquilinium in ſempiternum peribit, videntes eum dicent. Vbi eſt?

Sicut ſomnium volabit, & non inueniet eum, & vagabitur ſicut viſio nocturna.
Oculus qui vidit eum non addet, nec vltra intuebitur eum locus eius.
Filij eius cogentur placare pauperes, & manus eius reddent quod rapuit.
Oſſa eius repleta ſunt peccatis adoleſcentiæ eius & cum eo peccatum ſuper terram requieſcet.
Quando dulceſcebat in ore eius malum, abſcondebat illud ſub lingua ſua.
Parcebat illi, & non relinquebat illud, & prohibebat illud ne manifeſtaretur aliis in medio palati ſui.
Panis eius quem comedit in viſceribus eius vertet in eſcam malam. Fel aſpidum in interioribus eius.
Subſtantiam quam deglutiuit, euomet, de ventre eius expellet eam Deus.
Venenum aſpidum ſuget, occidet eum lingua vipere.

Non videbit riuulos, flumina, torrentes, mellis & butyri.
Reſtituet laborem aliorum, & non deglutiet, in ſubſtantia permutationis eius non exultabit.

Quia confregit homines dimiſit eos pauperes, domum rapuit, & non ædificabit eam.
Quia non nouit, qui proſperatur eos qui egreſſi ſunt de ventre ſuo, ſecundum deſiderium eius non euadet quiſquam.
Non erit ei ſuperſtes ad comedendum eum propterea multiplicabitur bonum eius.
Cum repletus fuerit ad ſufficientiam ſuam, anguſtia erit ei, omnis manus eius qui laborauit veniet ei.
Quum fuerit ei ad replendum ventrem ſuum, mittet in eum Deus iram furoris ſui, & pluere faciet ægritudines malas ſuper eum in carne eius.
Fugiet ab armis ferreis, pertranſibit eum ſagitta arcus ærei.
Eduxit iaculator ſagittam, & exiuit de corpore eius, & ferrum inſtar fulguris de felle eius exiuit: ibunt ſuper eum terrores.
Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius: deuorabit eum ignis inextinguibilis: affligetur ſuperſtes in tabernaculo eius.
Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra odio habebit eum.
Migrabitur è loco ſuo fructus domus eius, & erit vt aqua fluens in die furoris eius.
Hæc eſt pars hominis impij à Deo, & hæreditas eloquij eius à Deo.

Transl. ex Septuag.

CAP. XX.

REspondens autem Sophar Minæus ait:
Non sic putabam contradicere te his: & non intelligitis magis, quam & ego:
Eruditionem confusionis meæ audiam; & spiritus ex intelligentia respondet mihi.
Nonne hæc nosti ab eo, quod olim, ex quo positus est homo super terram?
Lætitia autem impiorum ruina insignis: gaudium vero iniquorum est perditio,
Si ascenderint in cælum dona eius, & sacrificium eius tetigerit nubes.
Nam cum visus fuerit iam firmatus esse; tunc in finem peribit: qui autem nouerant eum; dicent vbi est?
Tanquam somnium quod auolauit; non inuenietur: volauit autem, sicut visio nocturna:
Oculus vidit, & non adijciet: & non vltra animaduertet eum locus suus.
Filios eius disperdant minores: & ipsæ manus eius succendant dolores:
Ossa eius impleta sunt iuuentute eius, & cum eo super puluerem dormient.
Si dulcuerit in ore eius malignitas; abscondet eam sub lingua sua:
Non parcet ei, & non relinquet eam: & colliget eam in medio gutture suo: & non poterit subuenire sibi.
Fel aspidis in ventre eius:
Diuitiæ inique congregatæ euomentur de domo eius: extrahet eum angelus.
Et furorem draconum fugat: & interficiat illum lingua colubri:
Non videat mulctram pecorum, neque pabula mellis, & butyri:
In vanum, & frustra laborauit: diuitias, ex quibus non gustabit: tanquam durum quid, quod mandi non potest, nec glutiri:
Multorum enim potentum domos fregit, & habitaculum diripuit, & non statuit:
Non est eius salus facultatibus: in desiderio suo non saluabitur:
Non sunt reliquiæ cibis eius: propter hoc non florebunt eius bona:
Et cum putauerit se iam repletum esse; coarctabitur:
Omnis autem necessitas in eum superueniet, si quo modo sit implere ventrem suum: immittat in eum furorem iræ, lauet super eum dolores,
Et non saluetur de manu ferri: vulneret eum sagitta ærea:
Pertranseat per corpus eius iaculum: sydera autem in tabernaculis eius obambulent: super eum timores,
Omnes autem tenebræ ei permaneant: comedet eum ignis, qui non accenditur: lædat aduena domum eius,
Et detegat cælum iniquitates eius, & terra insurgat aduersus eum:
Trahat domum eius perditio in finem: dies iræ superueniat ei.
Hæc est pars hominis impij à Domino, & possessio bonorum eius à superintendente.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XX.

REspondit autem Sophar Naamathites, ac dixit,
Profecto cogitationes meæ respondere faciunt me, & quod sentiam in me
Correctionem ignominiæ meæ quam audiui, & spiritus intelligentiæ meæ respondere me facit.
Nonne hoc nosti quod à sæculo est, & ex eo tempore quo posuit Deus hominem super terram?
Videlicet exultatio impiorum est de propinquo, & lætitia hypocritæ ad momentum.
Si ascenderit vsque in cœlum sublimitas eius, & caput eius nubem attigerit:
Attamen instar stercoris sui in sempiternum peribit, videntes eum dicent, Vbinam est?
Instar somnij auolabit, & non inuenient eum, & recedet sicut visio nocturna.
Oculus videbit eum, & non addet, nec vltra intuebitur eum locus eius.
Filij eius placabunt pauperes, & manus eius reddent quod rapuit.
Ossa eius repleta sunt occultis eius, & cum eo super terram requiescet.
Si dulcescet in ore eius malum, & absconderit illud sub lingua sua.
Et pepercit illi, neque dereliquerit illud, sed retinuerit illud in medio palati sui:
Panis eius in visceribus eius immutabit sese, fel aspidum in interioribus eius.
Substantiam quam deglutiuit, emouet, de ventre eius expellet eam Deus.
Venenum aspidum suget, aut occidet eum lingua viperæ.
Non videbit riuulos & flumina torrentium, mellis & butyri.
Restituet laborem, & non deglutiet iuxta substantiam permutationis suæ, neque exultabit.
Quia attriuit, reliquit pauperes: domum rapuit, & non ædificauit illam.
Certe non agnoscet quietum in ventre suo, de desiderabili suo non seruabit.
Non est quod reliquum sit ad comedendum illud, propterea non multiplicabitur bonum eius.
Quum replebitur sufficientia eius, angustia erit illi, omnis manus iniqui inuadet eum.
Quum fuerit ei ad replendum ventrem suum, immittet in eum Deus iram furoris sui, & pluet super eum, etiam in carnem eius.
Quum fugerit ab armis ferreis, exterminabit illum arcus æreus.
Educet, & exibit è pharetra, & resplendebit felle illius: venient super eum terrores.
Omnes tenebræ absconditæ sunt occultis illius, deuorabit eum ignis non sufflatus: conteretur superstes in tabernaculo eius.
Detegent cœli iniquitatem eius, & terra stabit contra illum.
Demigrabit germen domus illius, instar fluuiorum effusorum in die furoris eius.
Hæc est portio hominis impij à Deo, & hæreditas sermonis eius de Deo.

Vulgat. Editio.

CAP. XXI.

REspondens autem Iob, dixit:
Audite, quæso sermones meos, & agite pœnitentiam.
Sustinete me, & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ridete.
Numquid contra hominem disputatio mea est, vt merito non debeam contristari?

Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro:
Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.
★ Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis?
Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum.
Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.
Bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.
Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.
Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.
Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.
Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.
★ Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus illum?
Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit à me.
Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui?

Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit.
Deus seruabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet.
Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet.
Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? & si numerus mensium eius dimidietur?
Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat?
Iste moritur robustus & sanus, diues & felix.

Viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur:
Alius vero moritur in amaritudine animæ absque vllis opibus:
Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.
Certe noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.
Dicitis enim, vbi est domus principis? & vbi tabernacula impiorum?
Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.

Quia in diem perditionis seruatur malum, & ad diem furoris ducetur.

Quis arguet coram eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?
Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.

★ Ier. 12. 1. Abac. 1. 3.

★ Mala. 3. 14.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XXI.

ET respondit Iiob, & dixit.
Audite audiendo sermonem meum, & sit hoc pro consolationibus vestris.
Ferte me, & ego loquar, & postquam locutus fuero subsannes.
Num ego ad hominem tantum sermonem meum dirigo? Et cum videam plagas meas *cur non angustiis afficietur spiritus meus?*
Respicite ad me, & obstupescite, & ponite manum super os.
Et quando recordor, terreor, & apprehendit carnem meam tremor.
Cur impij vixerunt, senuerunt, etiam roborati sunt substantia?
Semen eorum stabile fuit coram eis cum eis, & germina eorum in oculis eorum.
Domus eorum fuerunt in pace à timore, & non est virga Dei super eis.
Bos grauidauit, & non proiecit semen: peperit vacca eius, & non abortiuit.
Emiserunt veluti pecudes paruulos suos, & nati eorum saltauerunt.
Eleuabunt vocem in tympano, & cythara, & lætabuntur ad sonum organi.
Consument in bono dies suos, & quiete ad sepulchrum descendent.
Et dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.
Quid est Omnipotens quod seruiamus ei, & quid prodest quod oremus eum?
En non est in manu eorum bonum eorum, consilium impiorum longe fuit à me.
Quoties lucerna impiorum extinguetur, & veniet super eos contritio eorum, dolores diuidet eis Deus in furore suo.
Erunt sicut palea coram vento, & sicut gluma quam furata est turbo.
Deus reseruabit filiis eius dolorem eius: reddet ei & sciet.
Videbunt oculis eius contritionem suam, & de furore Omnipotentis bibet.
Quid enim complacentia erit ei in domo sua post se? & numerus mensium eius dimidiatus est.
Nunquid Deum docebit scientiam, qui excelsos iudicabit?
Iste morietur in fortitudine perfectionis suæ, ac si esset totus quietus, & pacificus.
Vbera eius plena sunt lacte, & medulla ossa eius irrigabuntur.
Et iste morietur animo amaro, & non comedit bonum.

Pariter super terram iacebunt, & vermis operiet eos.

En noui cogitationes vestras, & cogitationes quas aduersum me inique cogitatis.
Quia dicitis, vbi est domus principis? & vbi tabernaculum habitaculorum impiorum?
Nunquid non interrogastis de me transeuntes per viam? Et signa eorum qui dixerunt vobis de iustitia mea *non negabitis.*
Quia in die contritionis prohibebitur malus, ne attingat eum contritio *in die irarum ad quem ducentur* alij, ipse prohibebitur.
Quis nunciabit coram eo viam eius malam? *Et ipse fecit* mala, *& quis reddet ei* secundum opera eius?
Et ipse ad vnum è sepulchris ducetur, & in tumulo iugiter manebit.

Quæ hic alio caractere notantur desunt ab Hebræo textu quę habemus, & videtur addita à Pagnino ad declarationem ipsius textus.

Quæ hic & infra diuerso caractere notantur desunt in textu Hebræo & videntur addita à Pagnino ad declarationem.

Transl. ex Septuag.

CAP. XXI.

REspondens autem Iob ait:
Audite, audite sermones meos, vt non sit mihi à vobis hæc consolatio:
Sustinete me, ego autem loquar: deinde non irridebitis me.
Quid enim? nunquid hominis est castigatio mea? aut quare non irascar?

Inspicientes in me admirabimini, manum ponentes super maxillam.
Si etenim recordatus fuero: solicitus fui, & tenentur carnes meæ doloribus.
Quare impij viuunt, senuerunt autem & in diuitiis?
Semen eorum secundum animam, & filij eorum in oculis:
Domus eorum abundant: timor autem nusquam, & flagellum à Domino non est super eos:
Bos eorum non fœtum immaturum peperit: & salua euasit eorum prægnans, & non frustrata est:
Et permanent, sicut oues æternæ, & paruuli eorum ludunt,
Sumentes psalterium, & citharam: & lætantur voce psalmi:
Consummauerunt autem in bonis vitam suam & in requie inferni dormierunt.
Dicit autem Domino: recede à me, vias tuas scire nolo.
Quid est Omnipotens, quia seruiemus ei? & quæ vtilitas, quoniam obuiam ibimus ei?
Erant enim in manibus eorum bona: opera autem impiorum non inspicit.
Immo vero, & impiorum lucerna extinguetur, & superueniet eis subuersio: dolores autem habebunt eos ab ira:
Erant autem tanquam paleæ sub vento, aut tanquam puluis, quem abstulit turbo.
Deficiant filios bona eius: retribuet ad eum, & cognoscet.
Videant oculi eius necem suam, & à Domino non saluetur:
Quia voluntas eius in domo eius cum eo, & numeri mensium eius diuisi sunt.
Nunquid non Dominus est, qui docet intellectum, & scientiam? ipse autem homicidia dijudicat.
Hic morietur in robore simplicitatis suæ, totus autem bene affectus, & prospere agens:
Et intestina eius plena sunt adipe, & medulla eius diffunditur.
Ille vero moritur ab amaritudine animæ suæ, cum non comederit vllum bonum:
Simul autem super terram dormiunt, & putredo eos operuit.
Itaque scio vos audacter mihi insistere:

Quia dicetis, vbi est domus principis? & vbi est velamen in tabernaculis impiorum?
Interrogate eos, qui transeunt per viam, & signa eorum non alienabitis:

Quoniam in diem perditionis sublimatur malignus: in diem iræ eius abducentur.

Quis annunciabit in faciem eius viam eius, & ipse fecit? quis retribuet ei?
Et ipse in sepulchra deductus est, & ipse super aceruos vigilauit:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XXI.

REspondit autem Iob, & dixit,
Audite audiendo sermonem meum, & erit istud consolationes vestræ.
Ferte me, & ego loquar, & postquam loquutus fuero subsannes.
Nunquid ego ad hominem sermonem meum? quod si, quare non angustiis afficietur spiritus meus?

Respicite ad me & obstupescite, & ponite manum super os.
Si quando recordor, tunc terreor, & apprehendit carnem meam tremor.
Cur impij viuunt, senescunt, etiam pollent opibus?

Semen eorum stabile est in conspectu eorum cum ipsis, & germina eorum in oculis ipsorum.
In domibus eorum est pax à timore, nec est virga Dei super eos.
Bos eius grauidat, & non perdit semen: parit vacca eius, & non obortit.
Emittunt tanquam gregem paruulos suos, & nati eorum saltant.
Attollunt vocem quasi ad vocem tympani & citharæ, & exultant tanquam ad sonum organi.
Consumunt in bono dies suos, & in momento ad sepulchrum descendunt.
Et dicunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.
Quid est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid proficiemus si oremus illum?
En non est in manu ipsorum bonum eorum, propterea consilium impiorum procul est à me.
Quoties lucerna impiorum extinguetur, & veniet super eos contritio ipsorum, dolores distribuet in furore suo!
Erunt sicut palea coram vento, & sicut gluma quam suffuratur turbo.
Deus abscondet filiis eius robur ipsius, reddat illi, & cognoscat.
Videant oculi eius confractionem suam, & de furore Omnipotentis bibat.
Quia quæ erit complacentia eius erga domum suam post se, quum numerus mensium eius truncatus sit?
Numquid Deum docebit scientiam, & ipse excelsa iudicabit?
Iste morietur in fortitudine perfectionis suæ, totus quietus, & pacificus.
Vbera eius replebuntur lacte, & medulla ossa eius irrigantur.
Et ille morietur animo amaro, nec comedit in hilaritate.
Pariter autem super terram iacebunt, & vermis operiet eos.
En noui cogitationes vestras, & cogitationes quas aduersum me inique cogitatis.
Quia dicitis, Vbi est domus principis? & vbi tabernaculum habitaculorum impiorum?
Nonne interrogastis transeuntes per viam, & signa eorum non negastis?

Quia die contritionis prohibetur malus, & die quo furores inuehuntur.

Quis renuntiabit in facie eius viam eius: & quod ipse fecit, quis reddet ei?
Et ipse ad sepulchra ducetur, & in tumulo iugiter manebit.

Vulgat. Editio.

Dulcis fuit glareis Cocyti, & poſt ſe omnem hominem trahet, & ante ſe innumerabiles.

Quomodo igitur conſolamini me fruſtra, cum reſponſio veſtra repugnare oſtenſa ſit veritati?

CAP. XXII.

REſpondens autem Eliphaz Themanites dixit:
Numquid Deo poteſt comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit ſcientiæ?
Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers ſi immaculata fuerit via tua?

Numquid timens arguet te, & veniet tecum in iudicium:
Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?
Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine cauſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus.
Aquam laſſo non dediſti, & eſurienti ſubtraxiſti panem.
In fortitudine brachij tui poſſidebas terram, & potentiſſimus obtinebas eam.
Viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti.
Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido ſubita.
Et putabas te tenebras non viſurum, & impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri?
An non cogitas quod Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?
Et dicis: Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat.
Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.
Numquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcauerunt viri iniqui?
Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertit fundamentum eorum:
Qui dicebant Deo: Recede à nobis: & quaſi nihil poſſet facere Omnipotens, æſtimabant eum:
Cum ille impleſſet domos eorum bonis, quorum ſententia procul ſit à me.
*Pſ.10. 6.42. * Videbunt iuſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos.
Nonne ſucciſa eſt erectio eorum, & reliquias eorum deuorauit ignis?
Acquieſce igitur ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos.
Suſcipe ex ore illius legem, & pone ſermones eius in corde tuo.
Si reuerſus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, & longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo.

Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos.
Eritque Omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.

Tunc ſuper Omnipotentem deliciis affluës, & eleuabis ad Deum faciem tuam.
Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.

Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis ſplendebit lumen.
*Prou. 29.23. * Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos, ipſe ſaluabitur.
Saluabitur innocens, ſaluabitur autem in munditia manuum ſuarum.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

33 *Dulcuerunt ei valles torrentis* vt ibi ſepelirentur, *& poſt ſe omnes homines trahet* ad mortem, & eorum qui mortui ſunt *ante eum non eſt numerus.*
34 *Et quomodo conſolabim ni me in vanum, & reſponſiones veſtras, remanent mendacium.*

CAP. XXII.

1 *REſpondit autem Eliphaz Temanites, & dixit.*
2 *Nunquid Deo proderit vir? ſed proderit ſibiipſi intelligens.*
3 *Nunquid voluntas Omnipotentis eſt quod iuſtificeris? & nunquid vtilitas eſt ei quod perficias vias tuas?*

4 *Nunquid timore tui diſputabit tecum: veniet tecum in iudicium?*
5 *Nonne malitia tua magna eſt, & non eſt finis iniquitatibus tuis?*
6 *Pignus enim accepiſti à fratribus tuis gratis, & veſtes nudorum ſpoliare feciſti.*
7 *Non aquam laſſo propinare feciſti, & à famelico prohibuiſti panem.*
8 *Et viro brachij eſt terra, & acceptor perſonarum ſedebit in ea.*
9 *Viduas dimiſiſti vacuas, & brachia pupillorum contrita ſunt à te.*
10 *Propterea in circuitibus tuis ſunt laquei, & terruit te timor ſubito.*
11 *Vel tenebræ venerunt ſuper te vt non videas, & multitudo aquarum operuit te.*
12 *Nonne Deus ſublimior eſt cœlo? Vide ſummitatem ſtellarum, quia excelſæ ſunt.*
13 *Et dixiſti: Quid nouit Deus? nunquid per caliginem iudicabit?*
14 *Nunquid nubes ſunt abſconſio ei, vt non videat nos, & per lineam quæ circuit cœlum ambulat?*
15 *Nunquid ſemitam ſæculi obſeruaſti* in corde tuo, *quam calcauerunt viri iniqui?*
16 *Qui ſucciſi ſunt, & non erat tempus. Fluuius diffuſus eſt in fundamento eorum.*
17 *Qui dicunt Deo: Recede à nobis; & quid operabitur Omnipotens eis.*
18 *Et ipſe impleuit domos eorum bono, & conſilium impiorum longe factum eſt à me.*
19 *Videbunt iuſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos.*
20 *Quando non ſucciſa fuit ſubſtantia noſtra, reſiduum impiorum deuorauit ignis:*
21 *Aſſueſce quæſo cum eo, & pacem habeto: per ea veniet tibi bonum.*
22 *Accipe quæſo ex ore eius legem, & pone eloquia eius in corde tuo.*
23 *Si conuerſus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, elongabis iniquitatem à tabernaculo tuo.*

24 *Et pones ſuper terram munitionem, & inſtar petræ torrentium aurum Ophir.*
25 *Eritque Omnipotens munitio tua, & argentum erit in fortitudine tibi.*

26 *Quia tunc ſuper omnipotentem delectaberis, & eleuabis ad Deum faciem tuam.*
27 *Orabis ad eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.*

28 *Et decernes ſermonem & firmus erit tibi, & ſuper vias tuas ſplendeſcet lumen.*
29 *Cum humiliauerint ſe impij, dices excellens ſum, & humilem oculis ſaluabit Deus.*
30 *Liberabit habitatores inſulæ innocens, & liberabitur* habitator inſulæ *munditia manuum tuarum.*

Transl. ex Septuag.

Dulces fuerunt ei lapides torrentis; & post eum omnis homo abibit, & ante eum innumerabiles. 33

Quomodo autem consolamini me inaniter? & vt ego ex vobis requiescam, nihil est. 34

CAP. XXII.

REspondens autem Eliphaz Themanites ait: 1
Nonne Dominus est, qui docet intellectum, & scientiam? 2
Quid enim curæ est Domino, si tu fuisti operibus sine crimine? aut vtilitas, quod simplicem facies viam tuam? 3
Aut rationem tui habens, argues, & veniet tecum in iudicium? 4
Nonne malitia tua est multa, & innumerabilia sunt peccata? 5
In pignus autem accepisti fratres tuos in vanum? & amictum nudorum abstulisti: 6
Neque aqua sitientes potasti, sed esurientium subtraxisti panem: 7
Et admiratus es quorundam personam: habitare autem fecisti eos, qui super terram, 8
Et viduas dimisisti inanes, & pupillos afflixisti: 9
Igitur circundederunt te laquei, & solicitauit te bellum insigne: 10
Lumen tibi in tenebras conuersum est, & dormientem te aqua operuit. 11
Nonne is qui excelsa habitat, aspicit? eos autem qui contumelia efferuntur, humiliauit? 12
Et dixisti, quid nouit Fortis? an per caliginem diiudicat? 13
Nubes latibulum eius, & non videbitur, & ambitum cæli perambulat. 14
Nunquid semitam sæculi obseruabas, quam calcauerunt viri iusti, 15
Qui capti sunt immaturi? flumen decurrens, fundamenta eorum, 16
Qui dicunt, Dominus quid faciet nobis? aut quid inducet nobis Omnipotens. 17
Ille vero impleuit domos eorum bonis: & consilium impiorum longe est ab eo: 18
Videntes iusti riserunt, & inculpabilis subsannauit: 19
Si non deleta est substantia eorum & reliquias eorum comedet ignis. 20
Esto vtique durus: si sustinueris; deinde fructus tuus erit in bonis: 21
Excipe autem ex ore illius enunciationem, & assume verba eius in corde tuo: 22
Sin autem conuersus fueris, & humiliaueris te ipsum coram Domino; procul fecisti iniquitatem à tabernaculo tuo: 23
Poneris super aggerem in petra, & tanquam petra torrentis Sophir. 24
Erit igitur tuus Omnipotens adiutor ab inimicis, & purum reddet te, tanquam argentum examinatum igni. 25
Deinde fiducialiter ages coram Domino inspiciens cælum hilariter: 26
Et cum deprecatus fueris ad eum exaudiet te, & dabit tibi reddere vota: 27
Et restituet tibi tabernaculum iustitiæ, & super vias tuas erit lumen: 28
Quoniam humiliasti te ipsum, & dices, elatus est in superbiam, & demissum oculis saluabit. 29
Eruet innocentem; & saluaberis munditia manuum tuarum. 30

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Dulces illi sunt glebæ torrentis, & post illum omnem hominem trahet, vt ante eum quorum non est numerus. 33

Quomodo igitur consolamini me in vanum, quum responsiones vestræ relictæ sint mendacium? 34

CAP. XXII.

VNc cœpit loqui Eliphaz Themanites, ac dixit, 1
Nunquid Deo proderit vir, quum ipse vir sapiens proderit sibiipsi? 2
Nunquid voluntas Omnipotenti vt iustificeris? & an vtilitas erit illi quum perfectas reddideris vias tuas? 3
Nunquid timore tui arguet te, veniet tecum in iudicium? 4
Nonne malitia tua magna est? at non est finis iniquitatibus tuis. 5
Pignus enim accepisti à fratribus tuis gratis, & vestes nudorum exui fecisti. 6
Ne aquam quidem lasso propinare fecisti, & à famelico remouisti panem. 7
At viro brachij illi erat terra, & is cuius persona acceptatur, sedet in ea. 8
Viduas remisisti vacuas, & brachia pupillorum contrita sunt. 9
Propterea in circuitibus tuis sunt laquei, & terruit te timor subito: 10
Aut tenebræ, nec vides, & abundantia aquarum operuit te. 11
Nonne Deus in sublimitate cœli? & vide caput stellarum, quod excelsæ sint. 12
Dicesne propterea, Quid nouit Deus? nunquid per caliginem iudicabit? 13
Nubes sunt latibulum illi, & non videbit, & in ambitu cœli deambulat. 14
Nunquid semitam seculi seruabis, quam calcauerunt viri iniqui? 15
Qui succisi sunt, & nondum erat tempus: fluuius effusus fuit in fundamentum eorum. 16
Qui dicebant Deo, Recede à nobis: & quid faciat Omnipotens illis. 17
Et ipse impleuerat domos eorum bono: proinde consilium impiorum longe est à me. 18
Viderunt iusti, & lætati sunt, & innocens subsannauit eos. 19
Certe non succisa fuit substantia nostra, & residuum illorum deuorauit ignis. 20
Assuesce quæso cum eo, & pacem habeto, per ea eueniet tibi bonum. 21
Accipe quæso ex ore eius Legem, & pone eloquia eius in corde tuo. 22
Si reuerteris vsque ad Omnipotentem, ædificaberis: longe facito iniquitatem à tabernaculo tuo. 23
Et pone super terram aurum, & instar rupis torrentium, erit tibi aurum Ophir. 24
Eritque Omnipotens munitio tua, & argentum fortitudines tibi. 25
Tunc enim in Omnipotente delectaberis, & eleuabis ad Deum faciem tuam: 26
Deprecaberis illum, & exaudiet te, & vota tua reddes. 27
Et decernes verbum, & firmum erit tibi: & super vias tuas splendebit lumen. 28
Quum humiliabuntur, tunc dices, Exaltatio: nam humilem oculis saluat. 29
Liberat insulam innocens, & seruabitur in puritate manuum tuarum. 30

Vulgat. Editio.

CAP. XXIII.

REspondens autem Iob, ait:
Nunc quoq; in amaritudine eſt ſermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata eſt ſuper gemitum meum.
Quis mihi tribuat, vt cognoſcam & inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius?
Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.
Vt ſciam verba, quæ mihi reſpondeat, & intelligam quid loquatur mihi.
Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis ſuæ mole me premat:
Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.
Si ad Orientem iero, non apparet: ſi ad Occidentem, non intelligam eum.
Si ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum: ſi me vertam ad dexteram, non videbo illum.
Ipſe vero ſcit viam meam, & probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit:
Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & non declinaui ex ea.
A mandatis labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius.
Ipſe enim ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius: & anima eius quodcumque voluit, hoc fecit.
Cum expleuerit in me voluntatem ſuam, & alia multa ſimilia præſto ſunt ei.
Et idcirco à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſolicitor.
Deus molliuit cor meum, & Omnipotens conturbauit me.
Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

CAP. XXIV.

AB Omnipotente non ſunt abſcondita tempora: qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.
Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.
Aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bouem viduæ.
Subuerterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.
Alij quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.
Agrum non ſuum demetunt: & vineam eius, quem vi oppreſſerint, vindemiant.
Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore.
Quos imbres montium rigant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.
Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliauerunt.
Nudis & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas.
Inter aceruos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XXIII.

ET reſpondit Iob, & dixit.
Etiam hodie in amaritudine eſt eloquium meum, Plaga mea aggrauata eſt ſuper gemitum.
Vtinam ſcirem, & inuenirem eum, venirem vſque ad locum eius.
Diſponerem coram eo iudicium, & os meum replerem argumentis.
Scirem eloquia, quæ reſponderet mihi, & intelligerem quicquid diceret mihi.
Nunquid multa potentia diſceptabit mecum? Non. Veruntamen ipſe ponet in me vires vt ſtem coram eo.
Ibi rectus diſputat cum eo, & liberarer in perpetuum à iudicante me.
Si ad Orientem iero, non erit: & ſi ad Occidentem, non intelligam eum.
Si ad Aquilonem quando operatur ipſe, non videbo, abſcondet ſe in Meridie, & non videbo.
Quia nouit viam quæ eſt mecum: ſi probauerit me, ſicut aurum egrediar.
Greſſum eius apprehendit pes meus: Viam eius ſeruaui & non declinaui.
A præcepto labiorum eius, & non receſſi, more meo abſcondi eloquia oris eius.
Et ipſe vnus eſt, & quis redire faciet eum retrorſum, vt quod vult non perficiat & *voluntas eius deſiderauit, & fecit.*
Quia reddidit quod opus erat mihi, & ſimilia his multa ſunt cum eo.
Idcirco à facie eius terrebor, intelligam, & timebo ab eo.
Et Deus emolliuit cor meum, & Omnipotens terruit me.
Quoniam non ſum exciſus propter tenebras, & à facie mea operuit caliginem.

CAP. XXIV.

CVr ab Omnipotente non ſunt occultata tempora, & ſcientes eum non viderunt dies eius.
Terminos attinxerunt alienos, gregem rapuerunt, & pauerunt.
Aſinum pupillorum duxerunt in domum ſuam, *in pignus acceperunt bouem viduæ.*
Diuertere fecerunt pauperes de via, pariter latuerunt pauperes terræ.
Ecce vt onagri in deſerto egreſſi ſunt ad opus ſuum, mane ſurgentes ad rapinam, à deſerto eſt ſibi panis & filijs.
In agro ſegetes ſuas meſſuerunt: & vineam, impij tarde vindemiauerunt.
Nudum pernoctare fecerunt pauperem *abſque veſtimento, & non fuit operimentum in frigore.*
Ab inundatione montium madefacti ſunt pauperes, & abſque operimento amplexati ſunt petram.
Rapuerunt impij *ab vbere pupillum & ſuper pauperem pignus acceperunt.*
Nudum ambulare fecerunt abſque veſtimento, & famelici portauerunt manipulum.
Inter muros ſuos fecerunt oleum præ timore torcularia calcauerunt, & ſitiuerunt.

Transl. ex Septuag.

CAP. XXIII.

REſpondens autem Iob ait: 1
Et quidem ſcio, quia de manu mea eſt increpatio: & manus eius grauis facta eſt ſuper gemitum meum. 2
Quis igitur nouerit, quod inueniam eum, & dicam in finem? 3
Et dicam meum ipſius iudicium, os autem meum replere increpationibus. 4
Et cognoſcam ſanationes, quas loquetur mihi, & ſentiam quæ annunciabit mihi. 5
Et in multa virtute ſuperueniet mihi: deinde in minis me non vtetur: 6
Veritas enim, & increpatio eſt ab eo: educat autem in finem iudicium meum. 7
Nam ſi primus ambulauero, & non vltra ſum; quæ autem in nouiſſimis quid noui? 8
A læua ſi ipſe aget; & non apprehendi: circumteget dextra, & non videbo. 9
Scit enim iam viam meam: probauit autem me, ſicut aurum. 10
Egrediar autem in præceptis eius. Vias enim eius cuſtodiui, & non declino à præceptis eius, 11
Et non preteream: in ſinu autem meo abſcondi verba eius. 12
Si autem & ipſe iudicauit ſic; quis eſt qui contradicat ei? ipſe enim voluit & fecit. 13

Propterea ſuper ipſo trepidaui & commonitus ſollicitus fui de eo. 14
Idcirco à facie eius turbabor: conſiderabo, & timebo ab eo: 15
Et Dominus molliuit cor meum: & Omnipotens ſollicitauit me: 16
Non enim noueram; quod ſuperuenient mihi tenebræ: & ante faciem meam operuit caligo. 17

CAP. XXIV.

QVare autem Dominum latuerunt horæ? 1

Et impij terminum tranſgreſſi ſunt, gregem cum paſtore rapientes: 2
Subiugale pupillorum adduxerunt, & bouem viduæ pro pignore tulerunt: 3
Diuertere fecerunt impotentes à via iuſta: & ſimul abſconditi ſunt mites terræ, 4
Et euaſerunt tanquam aſini, in agro, ſuper me, egreſſi ſuum ipſorum ordinem: ſuauis factus eſt ei panis in adoleſcentes. 5
Agrum ante tempus non ſuum demeſſuerunt. Impotentes vineas impiorum ſine mercede, & ſine cibo operati ſunt: 6
Nudos multos dormire fecerunt ſine veſtimentis, & indumentum animæ eorum abſtulerunt. 7
De ſtillicidiis montium madeſcunt: eo quod ipſi non habeant operimentum; petram ſibi circumdederunt. 8
Rapuerunt ab vbere pupillum, & eum qui ceciderat, humiliauerunt: 9
Et nudos dormire fecerunt iniuſte, & eſurientium buccellam abſtulerunt: 10
In anguſtiis inſidiati ſunt inique, & viam iuſtam non nouerunt: 11

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XXIII.

ET reſpondit Iob, ac dixit. 1
Etiam hodie exacerbatio eſt eloquium meum, manus mea grauis eſt ſupra gemitum. 2
Vtinam ſcirem, & inuenirem eum, irem vſque ad ſedem eius. 3
Diſponerem coram eo iudicium, & os meum replerem argumentis. 4
Sciam ſermones quos reſpondebit mihi, & intelligam quid dicturus ſit mihi. 5
An cum multitudine roboris diſceptabit mecum? nequaquam: imo ipſe ponet in me. 6
Ibi rectus diſputabit cum eo, & liberabor in perpetuum à iudicante me. 7
En ad Orientem ibo, & non erit: & ad Occidentem, nec intelligam illam. 8
Aut ad Aquilonem dum operatur ipſe, & non videbo: abſcondet ſe in Meridie, nec videbo. 9
Quum cognoſcet viam apud me, & probet me, ſicut aurum egrediar. 10
Greſſum eius apprehendit pes meus: viam eius ſeruaui, nec declinaui. 11
A præcepto labiorum eius, neque receſſi, diligentius quam quod mihi neceſſarium eſt abſcõdi eloquia oris eius. 12
Quod ſi fuerit in vna ſententia, quis auertet eum? præterea anima eius deſiderauit, & fecit. 13

Quia ipſe perfecit quod neceſſarium erat mihi, & ſimilia his multa ſunt cum eo. 14
Idcirco à facie eius terrebor, conſiderabo, & timebo illum. 15
Et Deus emolliuit cor meum, & Omnipotens terruit me. 16
Quoniam non fui exciſus ante tenebras, & à facie mea non texit caliginem. 17

CAP. XXIV.

QVare ab Omnipotente non eſſent abſcondita tempora? & ſcientes eum non viderunt dies eius? 1

Terminos attingunt alienos: gregem rapiunt, & paſcunt. 2
Aſinum pupillorum abducunt: in pignus accipiunt bouem viduæ. 3
Diuertere faciunt pauperes de via, ſimul abſcondunt ſe pauperes terræ. 4
Ecce ſunt ſicut onagri in deſerto, egrediuntur tanquam ad opus ſuum, mane ſurgentes ad rapinam: deſertum eſt illi panis, & filijs. 5
In agro paculum eius demetunt: at vineam impij tarde vindemiant. 6

Nudum pernoctare faciunt abſque veſtimento, nec eſt operimentum in frigore. 7
Ab inundatione montium madefacti ſunt, & abſque operimento amplectuntur rupem. 8

Rapiunt ab vbere pupillum, & ſuper pauperem in pignus accipiunt. 9
Nudum ire faciunt abſque veſtimento: & famelicos, eos qui portauerunt manipulum. 10
Inter muros ſuos exprimunt oleum, torcularia calcant, & ſitiunt. 11

Vulgat. Editio.

De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit,& Deus inultum abire non patitur.

Ipſi fuerunt rebelles lumini,neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius.

Mane primo conſurgit homicida, interficit egenum & pauperem : per noctem vero erit quaſi fur.

Oculus adulteri obſeruat caliginem,dicens : Non me videbit oculus:& operiet vultum ſuum.

Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi,& ignorauerunt lucem.

Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis : & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.

Leuis eſt ſuper faciem aquæ : maledicta ſit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum.

Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius.

Obliuiſcatur eius miſericordia : dulcedo illius vermes:non ſit in recordatione,ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum.

Pauit enim ſterilem,quæ non parit,& viduæ bene non fecit.

Detraxit fortes in fortitudine ſua : & cum ſteterit,non credet vitæ ſuæ.

* Apo. 2. 21. * Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam : oculi autem eius ſunt in viis illius.

Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur, ſicut omnia,& auferentur,& ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.

Quod ſi non eſt ita, quis me poteſt arguere eſſe mentitum,& ponere ante Deum verba mea?

CAP. XXV.

REſpondens autem Baldad Suhites,dixit:

Poteſtas & terror apud eum eſt,qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.

Numquid eſt numerus militum eius? & ſuper quem non ſurget lumen illius.

Numquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo,aut apparere mundus natus de muliere?

Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius,

Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis.

CAP. XXVI.

REſpondens autem Iob,dixit:

Cuius adiutor es? nunquid imbecillis?& ſuſtentas brachium eius, qui non eſt fortis?

Cui dediſti conſilium ? forſitan illi, qui non habet ſapientiam,& prudentiam tuam oſtendiſti plurimam.

Quem docere voluiſti ? nonne eum, qui fecit ſpiramentum?

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.

Nudus eſt infernus coram illo,& nullum eſt operimentum perditioni,

Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.

Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

12 *De vrbe viri clamauerunt ad dominum, & anima eorum qui occidebantur clamauit, & Deus non prohibuit eorum opera.*

13 *Ipſi fuerunt inter rebelles luminis, non cognouerunt vias eius,nec ſteterunt in ſemitis eius.*

14 *In luce ſurget homicida,interficiet pauperem, & egenum:& in nocte erit tanquam fur.*

15 *Et oculus adulteri obſeruauit crepuſculum, dicendo: Non aſpiciet me oculus, & in abſcondito faciem ponet.*

16 *Foderunt in tenebris domos quas in die ſignauerunt ſibi, non cognouerunt lucem.*

17 *Quia pariter mane erit eis vt vmbra mortis. cum agnouerit* quilibet eorum *terrores vmbræ mortis erunt eis.*

18 *Leuis eſt*, vt quod natat *in ſuperficie aquarum, maledicetur pars eorum in terra, non reſpiciet viam vinearum.*

19 *Sicut æſtus etiam calor rapiunt aquas niuis,ſic ſepulchrum eos qui peccauerunt.*

20 *Obliuiſcetur eius amicus, dulcedinem ſentiet ex eo vermis:adhuc non memorabitur, & confringetur vt lignum iniquus,*

21 *Qui confregit vxorem ſterilem,ne pareret, & viduæ non bene fecit.*

22 *Et traxit fortes in potentia ſua, ſtetit aduerſum eos,& non credidit vitæ ſuæ* quiſpiam ex eis.

23 *Dabit ei* munera,*vt habitet confidenter,& innitetur* ei ne ſibi noceat,*&* tamen *oculi eius* erunt *ſuper vias eorum,*vt eis inſidientur.

24 *Receſſerunt paululum,& non fuerunt* coram eis,*& paupertate conficientur ſicut omnes claudentur, & ſicut ſummitas ſpicæ ſuccidentur.*

25 *Et ſi non eſt vt dico,nunc,quis mentiri faciet me, & ponet ad nihilum ſermonem meum?*

CAP. XXV.

1 *ET reſpondit Bildad Suchites, & dixit.*

2 *Dominium, & timor eſt cum eo, faciens pacem in excelſis ſuis.*

3 *Nunquid eſt numerus militibus eius ? Et ſuper quem non ſurget lux eius?*

4 *Et quomodo iuſtificabitur homo cum Deo? Et quomodo mundus erit natus ex muliere?*

5 *Ecce vſque ad lunam non illuminabit, & ſtellæ non ſunt mundæ in oculis eius.*

6 *Quanto magis homo vermis, & filius hominis vermis?*

CAP. XXVI.

1 *ET reſpondit Iiob, & dixit.*

2 *Quo auxiliatus es? Eo cui non eſt potentia. Saluaſti brachio,cui non eſt fortitudo.*

3 *Cui conſuluiſti? eine cui non eſt ſapientia. Et ſapientiam multipliciter ſcire feciſti.*

4 *Cui annunciaſti ſermones: & anima cuius exiuit à te?*

5 *Semina mortua formabuntur ſub aquis, & quæ manent in eis.*

6 *Nudus eſt infernus coram eo, & non eſt operimentum perditioni.*

7 *Extendens Aquilonem ſuper vacuum, ſuſpendens terram ſuper nihilum.*

8 *Ligans aquas in nubibus ſuis, & non eſt ſciſſa nubes ſub eis.*

Transl. ex Septuag.

Hi de ciuitate domibus propriis eiiciebantur, anima vero parvulorum in gemitu valde fuit. Ipse autem cur horum visitationem non fecit,

Cum super terram ipsi essent,& non agnouerunt, & viam iustitiæ non nouerunt neque semitas eorum ambulauerunt?

At qui nouit eorum opera, tradidit eos in tenebras,& noctu,erit vt fur.

Et oculus adulteri obseruauit tenebras, dicens: non considerabit me oculus,& operimentum faciei posuit:

Suffodit in tenebris domos:per diem obsignauerunt seipsos,non cognouerunt lucem,

Quia simul eis mane vmbra mortis,quia cognoscet tumultum vmbræ mortis.

Leuis est super faciem aquæ: maledicatur pars eorum super terram;& appareant plantæ eorum super terram aridæ: fasciculum enim pupillorum rapuerunt.

Deinde rememoratum est peccatum eius,

Et sicut nebula roris,factus est non apparens. Retribuantur autem ei, quæ fecit, & conteratur sicut lignum insanabile,omnis iniquus.

Sterili enim non fecit bene, & mulieris misertus non est:

Furore autem euertit impotentes. Consurgens ergo non credat contra vitam suam;

Cum infirmari cœperit;non speret sanitatem, sed cadet morbo:

Multis enim nocuit altitudo eius: emarcuit autem, sicut malua in æstu, aut sicut de stipula spica decidens sponte sua:

Alioquin quis est, qui loquatur mendacium me dicere,& ponet in nihilum verba mea?

CAP. XXV.

REspondens autem Baldad Sauchites,ait:

Quid enim exordium, quam timor ab eo; qui facit vniuersitatem in altissimo?

Nemo enim putet esse moram piratis:in quos autem non venient insidiæ ab eo?

Quomodo enim erit homo iustus coram Deo?vel quisnam mundauerit se natus ex muliere?

Si lunæ præcipit, & non lucet, nec stellæ sunt mundæ apud eum?

Sine vero homo putredo, & filius hominis vermis.

CAP. XXVI.

REspondens autem Iob,ait:

Cui ades,vel quē adiuturus es?nunquid non cui multa est fortitudo, & cui brachium potens est?

Cui consilium dedisti?nonne, cui omnis sapientia?quem insequeris?nonne,cui maxima est virtus?

Cui annunciasti verba? spiramen autem cuius est,quod exit ex te?

Nunquid gigantes formabuntur subter aquam, & vicinos eius?

Nudus est infernus coram eo:& non est velamen perditioni:

Extendens Aquilonem super nihilum: suspendens terram super nihilum:

Ligans aquam in nubibus eius: & non est scissa nubes sub eo;

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Ex vrbe homines clamant, & anima interfectorum vociferatur,& Deus non posuit prohibitionem.

Ipsi sunt qui rebelles sunt lumini, non cognouerunt vias eius,nec steterunt in semitis eius.

Sub lucem surget homicida, interfecit pauperem, & egenum,& est tanquam fur.

Oculus item adulteri obseruat crepusculum, dicendo, Non aspiciet me oculus: & absconsionem faciei ponet.

Fodit in tenebris domos quas in die obsignauerunt sibi: non agnoscunt lucem.

Nam simul mane est illis vt vmbra mortis: quum agnoscit, terrores vmbræ mortis sunt illis.

Leuis est super faciem aquarum, maledicta est portio eorum in terra, non recedit via vinearum.

Vt siccitas & etiam calor rapiunt aquas niuis,sic sepulchrum eos qui peccauerunt.

Obliuiscetur illius amicus, dulcedinem sentiet ex eo vermis:vltra non memorabitur, & confringetur vt arbor iniquus.

Qui confringit vxorem sterilem quæ non paritura est, & viduam cui non bene feciet.

Atque trahit fortes potentia sua: insurget, & non credet vitæ suæ.

Dabit illi ad confidentiam, & innitetur illi:attamen oculi eius super vias eorum.

Recesserunt paululum,& non fuerunt,& humiliantur sicut quilibet: obturantur ora, & sicut summitas spicæ succiduntur.

Quod si non,vbinam,& quis ostendet me mentiri, & rediget ad nihilum sermonem meum?

CAP. XXV.

ET respondit Bildad Suhites, ac dixit.

Dominium & timor, qui est apud illum,facit pacem in excelsis eius.

Num est numerus exercitibus eius? & super quem non stat lux eius?

Et quomodo iustificabitur homo cum Deo?& quomodo purus erit natus ex muliere?

En vsque ad lunam non lucebit, & stellæ non sunt mundæ in oculis eius:

Quanto magis homo vermis, & filius hominis vermis?

CAP. XXVI.

ET respondit Iob, & dixit,

Quanam re adiuuisti eum cui non est robur? saluasti brachium,cui non est fortitudo?

Cui consuluisti? ei cui non est sapientia? & sapientiam abunde indicasti.

Cui annuntiasti sermones? & anima cuius exiuit à te?

Mortua formantur sub aquis, & habitatoribus earum.

Nudus est infernus coram eo, & non est operimentum perditioni.

Extendit Aquilonem super vacuum: imo suspendit totam terram super nihilum.

Ligat aquas in nubibus suis, & non rumpitur nubes sub ipsis.

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam.	9	*Tenens vultum solj, expandit super illud nubem suam.*
Terminum circumdedit aquis, vsque dum finiantur lux & tenebræ.	10	*Terminum circundedit superficiei aquarum, vsque ad perfectionem lucis cum tenebris.*
Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.	11	*Columnæ cœli contremiscent, & admirabuntur ab increpatione eius.*
In fortitudine illius repente maria congregata sunt, & prudentia eius percussit superbum.	12	*Potentia eius diuisum est mare, & intelligentia sua, percussit fortitudinem eius.*
Spiritus eius ornauit cælos: & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.	13	*Spiritus eius cœlos decorauit, creauit manus eius serpentem vectem.*
Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum eius: & cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?	14	*Ecce hæc partes sunt viarum eius: & quam pusillum est quod audiuimus de eo, & tonitruum fortitudinum eius à quo intelligetur.*
CAP. XXVII.		CAP. XXVII.
ADdidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit:	1	ET *addidit Iob assumere parabolam suam, & dixit.*
Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.	2	*Viuit Deus qui remouere fecit iudicium meum, & Omnipotens qui amaritudine affecit animam meam.*
Quia donec supereſt halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,	3	*Quia omni tempore quo fuerit anima mea in me, & spiritus Dei in naribus meis.*
Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.	4	*Si loquentur labia mea iniquitatem, & lingua mea si locuta fuerit dolum.*
Absit à me vt iustos vos esse iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.	5	*Absit mihi vt iustificem vos quousque obiero, non remouebo perfectionem meam.*
Iustificationem meam, quam cæpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.	6	*Iustitiam meam tenui, & non dimittam eam, non probris afficiet me cor meum à diebus meis.*
Sit vt impius, inimicus meus: & aduersarius meus, quasi iniquus.	7	*Erit vt impius inimicus meus & hostis meus, vt iniquus.*
Quæ est enim spes hypocritæ si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius?	8	*Quæ enim spes impij si reconderit, si requieſcere fecerit Deus animam eius.*
Nunquid Deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia?	9	*Nunquid clamorem eius audiet Deus, cum venerit super eum tribulatio?*
Aut poterit in Omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore?	10	*Nunquid super Omnipotente delectabitur? Inuocabit Deum omni tempore?*
Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.	11	*Docebo vos quæ sunt in manu Dei, & quod est cum Omnipotente non abscondam.*
Ecce, vos omnes nostis: & quid sine causa vana loquimini?	12	*Ecce vos omnes vidistis: & propter quid vanitate vanescitis?*
Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.	13	*Hæc est pars hominis impij cum Deo, & hæreditas fortium quam ab Omnipotente accipient.*
Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane.	14	*Si multiplicati fuerint filij eius in gladium erunt, & liberi eius non saturabuntur pane.*
Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.	15	*Superstites eius in morte sepelietur, & viduæ eius non flebunt.*
Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta:	16	*Si coaceruauerit vt terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimentum.*
Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet.	17	*Præparabit, & iustus induet se illo, & argentum innocens diuidet.*
Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum,	18	*Ædificauit sicut tinea domum suam, & sicut vmbraculum quod fecit custos.*
*Ps.48. 18. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.	19	*Diues dormiet & non congregabitur, oculos suos aperuit & non est.*
Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.	20	*Apprehendent eum sicut aqua terrores, sicut nox furatus est eum turbo.*
Tollet eum ventus vrens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.	21	*Tollet eum eurus, & ibit, & turbine commouebit eum de loco suo.*
Et mittet super eum, & non parcet; de manu eius fugiens fugiet.	22	*Et proiciet super eum plagas, & non parcet à plaga eius, fugiendo fugiet.*
Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum eius.	23	*Plaudebit qui viderit super eum manibus suis, & sibilabit super eum de loco suo.*

Transl. ex Septuag.

Qui tenet faciem throni, extendens super eum nubem suam:

Præceptum circundedit super faciem aquæ vsque ad consummationem lucis cum tenebris.

Columnæ cæli expansæ sunt, & obstupuerunt ab increpatione eius:

Virtute sedauit mare; & scientia stratus est cœtus:

Et clauſtra cæli metuunt eum: præcepto autem peremit draconem desertorem.

Ecce hæ partes viæ eius:& super stillam verbi audiemus in eo: virtutem autem tonitrui eius quis sciuit quando faciet?

CAP. XXVII.

ADhuc autem adijciens Iob dixit proæmio:

Viuit Deus,qui sic me iudicauit, & Omnipotens, qui affecit amaritudine animam meam.

Siquidem adhuc halitu meo immanente,& spiritus diuinus,qui circa me est in naribus,

Labia mea non loquentur iniqua, neque anima mea meditabitur iniusta.

Absit à me iustos vos pronunciare,donec moriar: non enim separabo à me innocentiam meam.

Iustitiæ autem inhærens,non deseram: nec enim conscius sum mihi commissse absurda.

Veruntamen sint inimici mei, & qui super me insurgunt,sicut perditio impiorum.

Etenim quæ spes est impio,quia expectat? considensne super Dominum saluabitur?

Aut deprecationem illius exaudiet Deus? aut si euenerit ei necessitas;

Habetne fiduciam coram eo? aut tanquam si inuocauerit eum,exaudiet eum?

Quapropter annunciabo vobis, quid sit in manu Domini, quæ sint apud Omnipotentem: non mentiar:

Ecce omnes nostis quia vana vanis adiicitis.

Hæc est pars hominis impij à Domino: possessio vero potentium veniet ab Omnipotente super eos:

Quod si multi fuerint filij eorum; in occisionem erunt:si autem & viri facti fuerint;mendicabunt:

Et qui circa eum sunt in morte morientur, & viduis eorum nemo miserebitur:

Si collegerit,vt terram, argentum, & æque ac lutum,parauerit aurum;

Hæc omnia iusti vendicabunt, & pecunias eius veraces obtinebunt:

Euadet autem domus eius, sicut tinea, & sicut aranea.

Diues dormiet; & non adiiciet: oculos suos aperiet;& non est:

Occurrerunt ei, sicut aqua dolores: nocte autem sustulit eum caligo:

Tollet autem eum æstus, & abibit, & ventilabit eum de loco suo,

Et proijciet super eum, & non parcet: de manu eius fuga fugiet:

Plaudet super eos manibus suis, & exsibilabit eum de loco suo.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

9 *Constringit faciem solij, & expandit super eum nubem suam.*

10 *Terminum circundedit superficiei aquarum, vsque ad perfectionem lucis cum tenebris.*

11 *Columnæ cæli contremiscunt, & commouentur ab increpatione eius.*

12 *Potentia eius quiescit mare, & intelligentia sua, percutit elationem eius.*

13 *Spiritus eius cœlos ornauit, creauit manus eius serpentem mobilem.*

14 *En istæ sunt partes viarum eius: sed quam pusillum est quod audiuimus de eo, & tumultum fortitudinum eius quis intelliget?*

CAP. XXVII.

1 *ADdidit autem Iob assumere parabolam suam, ac dixit,*

2 *Viuit Deus qui abstulit iudicium meum, & Omnipotens qui amaritudine affecit animam meam:*

3 *Quod omni tempore quo fuerit anima mea in me, & spiritus Dei in naribus meis,*

4 *Non loquentur labia mea iniquitatem, & lingua mea si loquetur dolum.*

5 *Absit à me vt iustificem vos,donec deficiam, non auferam perfectionem meam à me.*

6 *Iustitiam meam fortificabo,nec deseram eam, non deflectet cor meum à diebus meis.*

7 *Sit vt impius, inimicus meus, & aduersarius meus, vt iniquus.*

8 *Quæ enim spes impij, quum furatus fuerit, quum pacatam reddiderit Deus animam eius?*

9 *Nunquid clamorem eius audiet Deus, quum venerit super eum tribulatio?*

10 *Nunquid super Omnipotente delectabitur? inuocabit Deum omni tempore?*

11 *Docebo vos quæ sunt in manu Dei, & quod est cum Omnipotente non abscondam.*

12 *Ecce vos ipsi omnes vidistis,curnam ergo vanitate vanescitis?*

13 *Ista est portio hominis impij cum Deo, & hæreditas violentorum quam ab Omnipotente acceptur sunt.*

14 *Si multiplicati fuerint filij eius, erunt in gladium,& liberi eius non saturabuntur pane.*

15 *Superstites eius in morte sepelientur,& viduæ eius non flebunt.*

16 *Si coaceruauerit tanquam puluerem argentum, & sicut lutum parauerit vestimentum:*

17 *Præparabit quidem,sed iustus induet se,& argentum innocens distribuet.*

18 *Ædificat sicut tinea domum suam, & sicut vmbraculum quod facit custos.*

19 *Diues dormiet,& non congregabitur:oculos suos aperuit,& non est.*

20 *Apprehendent eum sicut aquæ terrores, noctu furatus est cum turbo.*

21 *Tollet eum Eurus, & abibit, & turbine commouebit eum de loco suo.*

22 *Et immittet in eum,nec parcet à manu eius,fugiendo fugiet.*

23 *Plaudet super illum manibus suis, & sibilabit super illum è loco suo.*

Vulgat. Editio.

CAP. XXVIII.

HAbet argentum, venarum suarum principia: & auro locus est, in quo conflatur.
Ferrum de terra tollitur & lapis solutus calore, in æs vertitur.
Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat lapidem quoq; caliginis, & vmbram mortis.
Diuidit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios.
Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est.
Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.
Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis.
Non calcauerunt eam filij insitorum, nec pertransiuit per eam leæna.
Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes.
In petris riuos excidit, & omne pretiosum vidit oculus eius.
Profunda quoque fluuiorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.
Sapientia vero vbi inuenitur & quis est locus intelligentiæ?
Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium.
Abyssus dicit; Non est in me, & mare loquitur: Non est mecum.
* Sap. 7.9. * Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius.
Non conferentur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.
Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri:
Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius: trahitur autem sapientia de occultis.
Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.
Vnde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?
Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet.
Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audiuimus famam eius.
Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.
Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.
Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.
Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus:
Tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit & inuestigauit.
Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.

CAP. XXIX.

ADdidit quoque Iob, assumens parabolam suam, & dixit:

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XXVIII.

ESt enim argento exitus, & locus auro in quo fundent.
Ferrum è terra tolletur, & è lapide fuso æs.
Finem posuit tenebris & omni perfectioni, quam ipse inquirit, lapidem caliginis, & vmbram mortis scit.
Crescere fecit torrentem apud eum qui peregrinatur iuxta illum, & siccato torrente aquæ obliuioni traduntur à pedere, eleuatæ sunt præ homine, & è loco suo motæ sunt.
E terra illa vbi erat torrens egredietur panis, & locus eius effectus est vt ignis.
Locus sapphiri lapides eius, & terræ habentes aurum sunt ei,
Semitam non cognouit auis, nec vidit eam oculus variæ auis.
Non calcauerunt eam bestiæ rapaces, non declinauit iuxta eam leo.
In silicem misit manum suam, & subuertit à radice montes.
E silicibus riuos erumpere fecit, & omne precioſum vidit oculus eius.
Ne stillarent flumina ligauit, & absconditum exire faciet in lucem.
Sapientia vnde inuenietur? & vbi est locus intelligentiæ?
Nesciuit homo precium eius, & non inuenietur in terra viuentium.
Vorago dixit non in me est, & mare dixit: Non est mecum.
Non dabitur aurum pro ea, & non ponderabitur argento precium eius.
Non æstimabitur cum auro ophir cum onyce precioso, & sapphir.
Non adæquabit eam aurum, & adamas, nec permutatio eius erit cum vase aureo.
Coralia, & ghabis precioſus lapis non commemorabitur, & precioſior est sapientia margaritis.
Non adæquabit eam smaragdus Aethiopiæ, cum auro mundo non æstimabitur.
Et sapientia vnde veniet? & vbi est locus intelligentiæ?
Et abscondit se ab oculis omnis viuentis, & à volucri cæli occultata est.
Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audiuimus famam eius.
Deus intellexit viam eius, & ipse cognouit locum eius.
Ipse enim ad fines terræ aspiciet, sub omni cælo videbit.
Et faciat vento pondus, & aquas appendat in mensura.
Dum facit ipse pluuiæ statutum, & viam coruscationi & tonitruis.
Tunc vidit eam, & scripsit eam præparauit eam, & etiam inuestigauit eam.
Et dixit homini. Ecce timor Domini est sapientia, & recedere à malo intelligentia.

CAP. XXIX.

ET rursus Iob assumpsit parabolam suam, & dixit.

Transl. ex Septuag.

CAP. XXVIII.

ESt enim argento locus vnde fit; locus autem auro: vnde percolatur.	1
Etenim ferrum quidem de terra fit; æs autem similiter vt lapis cæditur:	2
Ordinem posuit tenebris, & omnem finem ipse perscrutatur: lapis tenebræ, & vmbra mortis.	3
Decisio torrentis à puluere: & qui obliuiscuntur viam iustam; infirmati sunt: ex hominibus commoti sunt:	4
Terra, ex ea egredietur panis: de subtus ea versatum est, sicut ignis:	5
Locus saphiri lapides eius, & agger aurum ei:	6
Semita, quam non cognouit auis, nec vidit eam oculus vulturis:	7
Et non calcauerunt eum filij superborum, non transiit super eam leo:	8
In durissimo lapide extendit manum suam, & euertit à radicibus montes,	9
Et gurgites fluminum dirupit: omne vero pretiosum vidit oculus meus:	10
Et altitudines fluminum reuelauit: & ostendit virtutem suam in lumine:	11
Sapientia autem vnde inuenta est? & qualis locus est scientiæ?	12
Non nouit homo viam eius: neque inuenta est in hominibus:	13
Abyssus dixit, non est in me: & mare dixit, non est mecum:	14
Non dabit conclusuram pro ea, & non pendetur argentum commutatio eius:	15
Et non conferetur auro Sophir, in onyche pretioso & saphiro:	16
Non æquabitur ei aurum, & vitrum, & commutatio eius vasa aurea:	17
Sublimia, & Gabis non erunt in memoria: & attrahe sapientiam super intima:	18
Non æquabitur ei Topatium Aetiopiæ: auro puro non conferetur:	19
Sapientia autem vnde inuenta est? & qualis locus est intelligentiæ:	20
Latuit omnem hominem, & à volucribus cæli abscondita est.	21
Perditio, & mors dixerunt: audiuimus vero eius gloriam.	22
Dominus bene cognouit viam eius, & ipse nouit locum eius.	23
Ipse enim omne, quod est sub cælo, perspicit, nota habens omnia, quæ in terra, omnia, quæ fecit,	24
Ventorum libramentum, aquarum mensuras, quando fecit.	25
Sic videns numerauit, & viam in concussione, voces.	26
Tunc vidit eam, & exposuit eam, cum parasset inuestigauit.	27
Dixit autem homini, ecce cultus Dei est sapientia, & abstinere à malis est scientia.	28

CAP. XXIX.

ADhuc autem adijciens Iob dixit proæmio:	1

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XXVIII.

CErte est argento latebra, & locus auro vnde eliciunt.	
Ferrum è puluere capitur: & lapis effundit æs.	
Finem ponit tenebris & omni perfectioni quam ipse inquirit, ponit lapidem caliginis & vmbræ mortis.	
Erumpit fluuius iuxta habitatorem: & obliuioni traditæ pedibus: & quæ altiores erant homine, recesserunt.	
Est terra aliqua ex qua egreditur panis, & quod sub ea est, vertitur in quendam veluti ignem.	
Locus sappir lapides eius, & pulueres auri sunt ei.	
Semitam non cognouit illi auis, neque aspicit eam oculus vulturis.	
Non calcant eam filij superbiæ, non transit per eam leo.	
In silicem misit manum suam, & subuertit à radice montes.	
Et silicibus riuos erumpere facit, & tamen omne pretiosum videbat oculus eius.	
A stillatione fluminum coercet, & absconditum exire facit in lucem.	
At sapientia ipsa vndenam inuenitur? & vbinam est locus intelligentiæ?	
Non nouit homo pretium eius, neque inuenitur in terra viuentium.	
Vorago dicit, Non est in me: mare quoque dicit, Non est mecum.	
Non dabitur aurum pro illa, nec ponderabitur argento pretium eius.	
Non æstimabitur auro Ophir, nec onyche pretioso, & sappir.	
Non æquabit eam aurum, & adamas, nec permutatio eius erit vas obrizi.	
Coralia, & ghabis non commemorabitur, & pretiosior est sapientia margaritis.	
Non æquabit eam smaragdus Aethiopiæ, in auro puro non æstimabitur.	
Vndenam igitur sapientia veniet? & vbinam est locus intelligentiæ?	
Quum abscondita sit ab oculis omnis viuentis, & à volucri cœli occultata sit?	
Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audiuimus famam eius.	
Verum Deus intelligit viam eius, & ipse cognoscit locum eius.	
Ipse enim vsque ad fines terræ aspicit, sub toto cœlo videt:	
Vt faciat vento pondus, & aquas appendat in mensura.	
Dum faceret ipse pluuiæ statutum, & viam coruscationi tonitruorum:	
Tunc vidit illam, & scripsit illam, præparauit illam, & etiam inquisiuit illam.	
Et dixit homini, En timor Domini est sapientia, & recedere à malo intelligentia.	

CAP. XXIX.

ET addidit Iob assumere parabolam suam, ac dixit.	

Vulgat. Editio.

Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me?

Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum,& ad lumen eius ambulabam in tenebris?

Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ,quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo?

Quando erat Omnipotens mecum:& in circuitu meo pueri mei?

Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?

Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi?

Videbant me iuuenes,& abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant.

Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.

Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.

Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi.

Eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum,cui non eſſet adiutor.

Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum.

Iuſtitia indutus ſum: & veſtiui me, ſicut veſtimento & diademate,iudicio meo,

Oculus fui cæco,& pes claudo.

Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam,diligentiſſime inueſtigabam.

Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

Dicebamque:In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.

Radix mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione mea.

Gloria mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.

Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.

Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum.

Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.

Si quando ridebam ad eos,non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.

Si voluiſſem ire ad eos,ſedebam primus: cumque ſederem quaſi rex,circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.

CAP. XXX.

NVnc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:

Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipſa putabantur indigni.

Egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine,ſqualentes calamitate,& miſeria.

Et mandebant herbas, & arborum cortices,& radix iuniperorum erat cibus eorum.

Qui de conuallibus iſta rapientes, cum ſingula reperiſſent,ad ea cum clamore currebant.

In deſertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ,vel ſuper glaream.

Qui inter huiuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant.

Filij ſtultorum,& ignobilium, & in terra penitus non parentes.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

2 *Vtinam eſſem iuxta menſes priores, iuxta dies quibus Deus cuſtodiebat me:*

3 *Dum ſplendeſcere faciebat lucernam ſuam ſuper caput meum ad lumen eius ambulabam in tenebris.*

4 *Sicut eram in diebus adoleſcentiæ meæ in ſocietate Dei, in tabernaculo meo.*

5 *Dum Omnipotens mecum erat, in circuitu meo pueri mei erant.*

6 *Quando lauabam vias meas butyro, & è petra fundebantur mihi riuuli olei.*

7 *Quando egrediebar ad portam ſuper ciuitatem,in platea parare faciebam cathedram meam.*

8 *Videbant me pueri, & abſcondebant ſe, & decrepiti ſurgebant,& ſtabant.*

9 *Principes tardi erant in ſermonibus,& manum ponebant ori ſuo,*

10 *Ad vocem meam duces abſcondebant ſe,& lingua eorum palato eorum adhærebat,*

11 *Quum auris audiebat, & beatificabat me, & oculus videbat,& magnificabat me.*

12 *Quando liberabam pauperem vociferantem,& pupillum,& cui non erat adiutor.*

13 *Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ latificabam.*

14 *Iuſtitiam induebam,& induebat me, tanquam pallium,& cidarim iudicium meum.*

15 *Oculi eram cæco,& pedes claudo eram.*

16 *Pater eram pauperibus, & cauſam quam non noueram,inueſtigabam.*

17 *Et conterebam molas iniqui, & è dentibus eius reijcere faciebam prædam.*

18 *Et dicebam: In nido meo moriar,& ſicut fœnix multiplicabo dies.*

19 *Radix mea aperta erit iuxta aquas, & ros morabitur in ramo meo.*

20 *Gloria mea innouabitur mecum,& arcus meus in manu mea innouabitur.*

21 *Mihi obediebant, & expectabant me, & tacebant ad conſilium meum.*

22 *Poſt verbum meum non iterabant, & ſuper eos ſtillabat ſermo meus.*

23 *Et expectabant ſicut pluuiam me,& os ſuum aperiebantur ad imbrem ſerotinum.*

24 *Ridebam ad eos, & non credebant, lucem vultus mei non cadere faciebant.*

25 *Eligebam viam eorum,& ſedebam in capite, & habitabam ſicut rex cum exercitu, quemadmodum* qui iam *lugentes conſolatur.*

CAP. XXX.

ET *nunc deridٍent me iuniores me propter dies quorum renuiſſem patres ponere cum canibus pecudum mearum.*

2 *Etiam potentia manuum eorum propter quid mihi? Super ipſis periit ſenium.*

3 *Propter penuriam, & propter eſuriem ſolitarij erant, qui fugiebant in ſolitudinem locum tenebroſum, deſolatum,& deſertum.*

4 *Qui ſuccidebant herbam è virgulto, & radicem iuniperorum ad calefaciendum ſe.*

5 *E medio vrbium expellebantur, clamabant contra eos ſicut contra furem.*

6 *In rimam torrentium ibant ad habitandum, in foramina terræ,& petræ.*

7 *Inter arbuſta rugiebant,ſubter vrticam congregabantur.*

8 *Filij viri ſtulti,etiam filij eius qui erat abſque nomine, abiectiores erant quam terra.*

Transl. ex Septuag.

Quis vtique me ponat iuxta mentem priorum dierum, quibus me Deus custodiebat:

Sicut cum lucebat lucerna eius super caput meum: cum lumine eius ambulabam in tenebris:

Cum eram grauescens dies: cum Deus visitationem faciebat domus meæ:

Cum eram materiatus nimis, & in circuitu meo pueri.

Cum fluebant viæ meæ butyro, & montes mei fluebant lacte.

Cum exibam matutinus in ciuitate: & in plateis ponebatur mihi sella.

Videntes me adolescentes abscondebantur: senes autem omnes steterunt:

Et potentes cessauerunt loqui, digitum imponentes super os.

Qui autem audiuerunt, beatificabant me: & lingua eorum gutturi eorum adhæsit;

Quia auris audiuit, & beatificauit me, & oculus videns me declinauit.

Saluaui enim mendicum de manu potentis, & pupillum, cui non erat adiutor, adiuui.

Benedictio pereuntis super me veniat: & os viduæ benedixit me:

Iustitiam vero indutus sum, & vestitus sum iudicio, sicut diploide:

Oculus fui cæcorum, & pes claudorum:

Ego fui pater impotentium, & iudicium, quod non noueram, exquisiui:

Confregi autem molas iniquorum: de medio dentium eorum rapinam eripui.

Dixi autem, ætas mea senescet, sicut truncus palmæ: multo viuam tempore:

Radix aperta est super aquam: & ros morabitur in messe mea.

Gloria mea vana mecum, & arcus meus in manu eius graditur.

Qui me audierunt, attenderunt, & siluerunt super consilio meo:

Et in sermone meo non adiecerunt: sed gauisi sunt, cum loquerer eis:

Sicut terra sitiens suscipiens pluuiam; sic isti meum sermonem:

Si riderem ad eos; non credebant: & lumen faciei meæ non decidebat:

Elegi viam eorum, & sedi princeps: & habitabam sicut rex in accinctis, quasi consolans tristes.

CAP. XXX.

NVnc autem deriserunt me minimi: nunc monent me in parte, quorum spernebam parentes eorum, quos non putaui dignos canibus meorum gregum.

Et quidem virtus manuum eorum vt quid mihi? super eos peribat consummatio:

In egestate, & fame sterilis: qui fugiebant inaquosam heri, pressuram, & miseriam:

Qui circuibant alima in resonante, quorum quidem alima erat eorum cibaria:

Inhonorati autem & abiecti, egentes omni bono, qui & radices lignorum manducabant propter magnam famem.

Insurrexerunt super me fures, quorum domus erant cauernæ petrarum:

Inter medium bene sonantium clamabunt, qui sub sarmentis agrestibus manebant,

Stultorum filij, & ignobilium: nomen & gloria extincta est de terra.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Vtinam essem iuxta menses priores, iuxta dies quos Deus seruabat me:

Dum splendere faciebat lucernam suam super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris:

Sicut eram in diebus adolescentiæ meæ, dum esset societas Dei super tabernaculum meum:

Dum adhuc esset Omnipotens mecum, in circuitu meo pueri mei:

Quando lauabam vias meas butyro, & è petra fundebantur mihi riuuli olei:

Quando egrediebar per portam iuxta vrbem, in platea parare faciebam cathedram meam:

Videbant me iuuenes, & abscondebant se, & decrepiti assurgebant, & stabant.

Principes tardi erant in sermonibus, & manum ponebant ori suo,

Vox ductum supprimebatur, & lingua eorum palato eorum adhærebat,

Quum auris audiebat, & beabat me: oculus quoque videbat, & testimonium reddebat mihi.

Quia liberabam pauperem vociferantem, & pupillum, & eum cui non erat adiutor.

Benedictio pereuntis super me veniebat, & cor viduæ exhilarabam.

Iustitiam induebam, & induebat me, tanquam pallium, & cidaris iudicium meum fuit.

Oculi eram cæco, & pedes claudo eram.

Pater eram pauperibus, & causam quam non noueram, inuestigabam.

Et conterebam molares iniqui, & è dentibus eius excutiebam prædam.

Dicebam itaque in nido meo moriar, & tanquam arenam multiplicabo dies.

Radix enim mea aperta est iuxta aquas, & ros pernoctat in ramis meis.

Gloria mea innouatur apud me, & arcus meus in manu mea roboratur.

Mihi obediebant, & expectabant me, & silebant ad consilium meum.

Post verbum meum non iterabant: sed super illos stillabat sermo meus.

Et expectabant sicut pluuiam me, & os suum aperiebant tanquam ad imbrem serotinum.

Ridebam ad eos, & non credebant, ac lucem vultus mei non deijciebant.

Deligebam viam eorum, & sedebam in capite, & habitabam sicut rex in ipso exercitu, quemadmodum is qui lugentes consolatur.

CAP. XXX.

NVnc autem derident me minores me diebus, quorum spreuissem patres ponere cum canibus gregis mei.

Etiam potentia manuum illorum ad quid mihi? super ipsos perijt senium.

Propter penuriam & esuriem solitarij erant, qui fugiebant in solitudinem locũ tenebrosum, desolatũ, ac desertũ.

Qui decerpebant maluah iuxta arbusta, & radicem iuniperorum ad calefaciendum se.

E medio vrbium expellebantur: nam vociferabantur contra eas tanquam contra furem,

Vt habitarent in fissura torrentium, & in cauernis terræ, & petris.

Inter arbusta rugiebant, sub carduo congregabantur.

Filij viri stulti, etiam filij absque nomine, qui humiliati sunt plus quam terra ipsa.

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.
Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium.	9	*Nunc autem canticum eorum ſum, & ſum eis in ſermonem.*
Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.	10	*Abominati ſunt me, elongauerunt ſe à me, à facie mea non prohibuerunt ſputum.*
Pharetram enim ſuam aperuit, & afflixit me, & frenum poſuit in os meum.	11	*Quia funem meum ſoluit, & afflixit me: & frænum à facie mea dimiſerunt.*
Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt: pedes meos ſubuerterunt, & oppreſſerunt quaſi fluctibus ſemitis ſuis.	12	*Iuxta dexteram pueri ſteterunt, pedes meos impulerunt, & fecerunt ſuper me ſemitas contritionis ſuæ.*
Diſſipauerunt itinera mea, inſidiati ſunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium.	13	*Diruerunt ſemitam meam, ad contritionem meam profecerunt, & non fuit adiutor eis.*
Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias deuoluti ſunt.	14	*Sicut fractura aquarum lata venerunt aduerſum me: pro d. ſolatione voluerunt ſe aduerſum me.*
Redactus ſum in nihilum: abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum: & velut nubes pertranſiit ſalus mea.	15	*Conuerſi ſunt aduerſum me terrores, perſecuti ſunt ſicut ventus ſpontaneam animam meam, & ſicut nubes tranſiuit ſalus mea.*
Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.	16	*Et nunc contra me vertit ſe anima mea: apprehenderunt me dies afflictionis.*
Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.	17	*Nocte perforauit dolor oſſa mea ſuper me, & pulſus mei non requieuerunt.*
In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum: & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.	18	*Propter multa vim doloris mutabatur veſtimentum meum: ſicut ora tunicæ meæ cinxit me.*
Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.	19	*Proiecit me in lutum, & aſſimilatus ſum terræ, & cineri.*
Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me.	20	*Clamaui, & non exaudiſti me: ſteti, & non conſideraſti me.*
Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.	21	*Vertiſti te in crudelem mihi, in fortitudine manus tuæ odio habuiſti me.*
Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valide.	22	*Eleuaſti me ſuper ventum, equitare feciſti me ſuper eum, & remouiſti à me ſapientiam.*
Scio quia morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti.	23	*Nam noui quod ad mortem conuerti facies me, & ad domum congregationis omnis viuentis,*
Verumtamen non ad conſumptionem eorum emittis manum tuam: & ſi corruerint, ipſe ſaluabis.	24	*Veruntamen non in tumulum* ſepulchri *Deus mittet manum, ſi in contritione eius quæ veniet eis erit clamor.*
Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.	25	Hæc omnia mihi vſu veniant *ſi non fleui* ſuper habentem *durum diem, dum contriſtata eſt anima mea ſuper mendicum.*
Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præſtolabar lucem, & eruperunt tenebræ.	26	*Quando bonum expectaui, venit malum, & quando expectaui lumen, venit caligo.*
Interiora mea efferbuerunt abſque vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis.	27	*Viſcera mea ferbuerunt, & non ſiluerunt, præuenerunt me dies afflictionis.*
Mærens incedebam, ſine furore; conſurgens in turba clamabam.	28	*Pullatus ambulaui abſque ſole: ſurrexi in multitudine clamaui.*
Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.	29	*Frater fui draconi, & amicus filiabus ſtruthionis,*
Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate.	30	*Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & os meum vſtulatum eſt ab æſtu.*
Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.	31	*Et verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.*

Sicut alibi diximus quæ diuerſo caractere notantur non habentur in Hebræo ſed adduntur à Pagnino ad explicationem textus.

CAP. XXXI.

PEpigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.	1	FOEdus pepigi cum oculis meis, & quid conſideraui in virgine?
Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis?	2	*Et quæ pars Dei eſt mihi deſuper, & hæreditas Omnipotentis de excelſis?*
Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniuſtitiam?	3	*Nonne contritio mea iniquo conueniebat, & alienatio operariis iniquitatis:*
Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?	4	*Nonne ipſe videt vias meas, & omnes greſſus meos dinumerat?*
Si ambulaui in vanitate, & feſtinauit in dolo pes meus:	5	*Si ambulaui cum mendacio, & feſtinauit ad dolum pes meus:*
Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.	6	*Appendat me in ſtatera iuſtitiæ, & ſciet Deus perfectionem meam.*
Si declinauit greſſus meus de via, & ſi ſecutum eſt oculos meos cor meum, & ſi manibus meis adhæſit macula:	7	*Si declinauit greſſus meus de via recta: & poſt oculos meos abiit cor meum, & manibus meis adhæſit quicquam.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Nunc autem cithara eorum ego sum, & me fabulam habent,	9	*Nunc autem canticum eorum sum, & factus sum eis in sermonem.*
Et abominati sunt me discedentes procul, nec in faciem meam pepercerunt spuere.	10	*Abominantur me, elongant sese à me etiam à facie mea non prohibent sputum.*
Aperiens enim pharetram suam afflixit me: & frenum faciei meæ emiserunt;	11	*Quia funem meum soluit, & afflixit me: & frenum à facie mea proiecerunt.*
Super dextra germinis insurrexerunt: pedem suum extenderunt & strauerunt super me semitas perditionis ipsorum:	12	*In dextram iuuentus insurgunt pedes meos impellunt, & calcando teruunt super me semitas contritionis suæ.*
Contritæ sunt semitæ meæ: exuerunt enim me stola: iaculis suis vulnerauit me: iudicauit autem mihi, sicut vult:	13	*Dirruerunt semitam meam, ex contritione mea profecerunt, quibus non erat adiutor.*
In doloribus maceratus sum: conuertuntur in me dolores:	14	*Tanquam per fracturam latam venerunt, sub calamitate deuoluerunt se.*
Discessit spes mea, sicut spiritus, & sicut nubes salus mea:	15	*Conuersi sunt super me terrores, persequuti sunt sicut ventus spontaneam animam meam, & sicut nubes quæ transit, salutem meam.*
Et nunc super me effundetur anima mea: habet autem me dies dolorum:	16	*Nunc itaque in me effusa est anima mea, apprehenderunt me dies afflictionis.*
Nocte vero ossa mea confusa sunt: & nerui mei dissoluti sunt:	17	*Nocte perforat ossa mea super me, & pulsus mei non conquieuerunt.*
In multa virtute apprehendit stolam meam: & quasi ora vestimenti mei circundedit me:	18	*Præ multitudine roboris mutuatum est vestimentum meum, sicut ora tunicæ meæ cingit me.*
reputasti autem me sicut lutum in terra, & cinere pars mea.	19	*Proiecit me in lutum, & assimilatus sum pulueri & cineri.*
Clamaui autem ad te, & non audis me; steterunt autem, & considerauerunt me:	20	*Clamaui ad te, & non exaudisti me: steti, & non considerasti me.*
Insultarunt autem mihi immisericorditer: manu potenti me flagellasti:	21	*Vertisti te in crudelem mihi & robore manus tuæ odio habuisti me.*
Statuisti autem me in doloribus: & proiecisti me à salute:	22	*Eleuasti me ad ventum huic imposuisti me, & eliquasti mihi sapientiam.*
Noui enim, quod mors me conteret: domus enim est omni mortali terra.	23	*Noui enim quod ad mortem reuerti facies me, & ad domum congregationis omnis viuentis.*
Atque vtinam possem mihi ipse manus afferre: aut rogarem alium, & faceret mihi hoc.	24	*Profecto non in tumulum Deus mittet manum, etiam si in contritione illius fuerit eis clamor.*
Ego autem super omni impotente fleui: gemui videns virum in necessitatibus.	25	*Annon fleui durum die, contristata est anima mea super egenum?*
Ego autem inhærens bonis: ecce occurrerunt mihi magis dies malorum:	26	*Quando autem bonum expectaui, tunc venit malum: & quando præstolatus sum lucem, venit caligo.*
Venter meus efferbuit, & non tacebit: præuenerunt me dies mendicitatis:	27	*Viscera mea efferbuerunt, neque conticuerunt: præuenerunt me dies afflictionis.*
Gemens sui sine freno, & steti in cœtu clamans.	28	*Ater ambulaui, non ob solem: surrexi in congregatione, & clamaui.*
Frater factus sum syrenum, & socius struthionum:	29	*Frater fui draconum, & socius filiabus struthionis,*
Et cutis mea obtenebrata est valde, & ossa mea ab æstu.	30	*Cutis mea denigrata est super me, & os meum incaluit præ siccitate.*
Versa est autem in luctum cithara mea; & psalmus meus in fletum mihi.	31	*Proinde versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.*

CAP. XXXI.

TEstamentum posui oculis meis, & non intelligam super virgine.	1	FOEdus pepigi cum oculis meis: nam cur cogitassem de virgine?
Et quid partitus est Deus desuper, & hæreditas Omnipotentis ex altissimis?	2	*Quæ enim portio Dei desuper, & quæ hæreditas Omnipotentis de excelsis?*
Væ, perditio iniusto, & abalienatio facientibus iniquitatem.	3	*Nonne confractio iniquo, & insuetum quid operantibus iniquitatem?*
Nonne ipse videbit viam meam, & omnes gressus meos enumerabit?	4	*Nonne ipse videt vias meas, & omnes gressus meos dinumerat?*
Si vero incessi cum irrisoribus, vel si festinauit ad dolum pes meus	5	*Si ambulaui cum mendacio, & festinauit ad dolum pes meus:*
(Steti enim in statera iusta, nouit autem Dominus innocentiam meam)	6	*Appendat me in statera iustitiæ, & agnoscet Deus perfectionem meam.*
Si declinauit pes meus de via, vel si oculo obsequutum est cor meum, vel si in manibus meis tetigi dona;	7	*Si declinauit gressus meus à via, & si post oculos meos abiit cor meum, & manibus meis adhæsit quicquam:*

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Seram,& alius comedat: & progenies mea eradicetur.	8	*Seram,& alius comedat,& filij mei eradicentur.*
Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum:	9	*Si seductum est cor meum super mulie re, & iuxta ostium amici mei insidiatus sum.*
Scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij.	10	*Molat alteri vxor mea, & super eam incuruentur alij.*
Hoc enim nefas est,& iniquitas maxima.	11	*Quoniam adulterium scelus est,& est iniquitas iudicata.*
Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.	12	*Quia ignis est qui vsque ad perditionem deuorat, & in cunctis frugibus meis sit eradicatio.*
Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea,cum disceptarent aduersum me.	13	*Si abhorrui iudicium serui mei & ancillæ meæ, dum litigarent mecum.*
Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit,quid respondebo illi?	14	*Et quid faciam cum surrexerit Deus, & cum visitauerit,quid respondebo illi?*
Numquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est:& formauit me in vulua vnus?	15	*Nonne qui in vtero fecit me, fecit eum, & disposuit nos in vulua vno actu?*
Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci:	16	*Si prohibui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ consumpsi.*
Si comedi buccellam meam solus,& non comedit pupillus ex ea:	17	*Et si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.*
(Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio:& de vtero matris meæ egressa est mecum.)	18	*Quia pupillus ab adolescentia mea creuit mecum, ac si fuisset cum patre, & viduam ab vtero matris meæ ducere feci.*
Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum,& absque operimento pauperem:	19	*Si videbam peruntem absque veste,& non erat operimentum mendico.*
Si non benedixerunt mihi latera eius,& de velleribus ouium mearum calefactus est:	20	*Si non benedixerunt mihi lumbi eius, & de vellere ouium mearum calefecit se.*
Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem:	21	*Si eleuaui contra pupillum manum meam,cum viderem in porta auxilium meum.*
Humerus meus à iunctura sua cadat,& brachium meum cum suis ossibus confringatur.	22	*Latus meum ab humero suo cadat, & brachium meum à canna sua confringatur,*
Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum,& pondus eius ferre non potui.	23	*Quia pauor fuit mihi contritio à Deo, & à celsitudine eius non potero erui.*
Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: fiducia mea.	24	*Si posui in auro spem meam, & auro dixi: fiducia mea es.*
Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.	25	*Si lætatus sum quia multiplicata est substantia mea, & quia multum inuenit manus mea.*
Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare:	26	*Si videbam lucem, quando resplendebat, & lunam honorifice incedentem.*
Et lætatum est in abscondito cor meum & osculatus sum manum meam ore meo.	27	*Et seduxit se in obscondito cor meum, & osculata est manum meam os meum.*
Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.	28	*Etiam hoc est iniquitas iudicata,si negaui Deum desuper.*
Si gauisus sum ad ruinam eius,qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum.	29	*Si lætatus sum in contritione odio habentis me, & excitaui me ad exultandum,quia inuenit eum malum:*
Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt extererem maledicens animam eius.	30	*Et non dedi ad peccandum palatum meum, vt expeterem maledictionem animæ illius.*
Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur?	31	*Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carne eius vt comedamus eum, & non saturemur.*
Foris non mansit peregrinus,ostium meum viatori patuit.	32	*Foris non pernoctauit peregrinus, ostia mea viatori aperui.*
Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.	33	*Si aperui vt homines præuaricationes meas, vt absconderem diligentes me iniquitatem meam,*
Si expaui ad multitudinem nimiam & despectio propinquorum terruit me:& non magis tacui, nec egressus sum ostium.	34	*Si expaui multitudinem magnam, & vir contemptibilis familiarum terruit me, & tacui, & non egressus sum de ostio.*
Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat.	35	*Vtinam haberem iudicem audientem me. Ecce signum meum est Omnipotens qui testificabitur pro me, & liber quem scripsit vir iudicij mei.*
Vt in humero meo portem illum,& circumdem illum quasi coronam mihi?	36	*Nisi super humero meo portem illum, ligem illum pro coronis mihi.*
Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi principi offeram eum.	37	*Numerum gressuum meorum nunciabo illi, velut ducem appropinquare faciam.*
Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent:	38	*Si aduersum me terra mea clamet, & pariter sulci eius defleant.*
Si fructus eius comedi absq; pecunia, & animam agricolarum eius afflixi:	39	*Si fructum eius comedi absque pecunia, & animam domini eius dolore affeci.*

Transl. ex Septuag.

Seram igitur,& alij edant:& ſine radice ſim ſuper terram.

Si ſequutum eſt cor meum mulierem viri alterius,aut ſi obſedi ianuas eius?

Placeat quoque vxor mea alteri, & filij mei humilientur:

Furor enim iræ indomitus commaculare viri vxorem:

Ignis enim eſt ardens ſuper omnes partes: quocumque ſuperuenerit,à radicibus perdidit.

Quod ſi & deſpexi iudicium famuli mei, aut ancillæ,cum ipſi litigarent mecum.

Quid enim faciam, ſi inquiſitionem mei faciat Dñs?quod ſi & viſitationē aliquam, reſponsū dabo?

Nonne ſicut ego factus ſum in vtero; & illi facti ſunt?facti autem ſumus in eodem ventre.

Impotentes autem, quæcumque aliquando re opus habebant non ſunt fruſtrati?& viduæ oculum non tabefeci.

Quod ſi & bucellam meam comedi ſolus, & pupillo non communicaui.

Quoniam à iuuentute mea enutriebam vt pater; & de ventre matris meæ dux eis fui.

Aut ſi deſpexi nudum pereuntem & non operui eum:

Et ſi non benedixerunt me impotentes, & de tonſura agnorum meorum calefacti ſunt humeri eorum:

Si leuaui ſuper pupillum manum,confidens,quia mihi eſt adiutorium multum;

Diſcedat humerus meus à iunctura, & brachium meum à cubito confringatur:

Timor enim Domini continuit me: à prehenſione eius non ſuſtinebo:

Si poſui aurum in congium meum: quod ſi & in lapide precioſo fidebam:

Si & lætatus ſum,cum eſſet mihi cenſus multus;ſi & in innumerabilibus poſui manum meam.

An non videmus ſolem,qui lucebat deficientem, lunam autem decreſcentem? non enim in eis eſt:

Et ſi deceptum eſt clam cor meum: quod & ſi oſculatus ſum manum meam,ponens ad os meum;

Et hoc igitur mihi iniquitas maxima computetur; quod mentitus ſum coram Domino altiſſimo;

Quod ſi & gauiſus ſum ſuper ruina inimicorum meorum,& dixit cor meum,euge;

Audiat auris mea maledictionem meam, & diffamer à populo meo male affectus.

Quod ſi & ſæpe dixerunt ancillæ meæ, quis vtiq; det nobis, vt carnibus eius ſatiemur?cum valde bonus eſſem:

Et foris non manebat hoſpes: & oſtium meum omni venienti patuit.

Quod ſi,& cum non ſponte peccaſſem, abſcondi peccatum meum:

Non enim expaui turbam multitudinis; vt non enarrarem coram eis. Aut ſi dimiſi infirmum finu vacuo exire ianuam meam;

Quis mihi tribuat auditorem? & manum Domini ſi non timui,ſyngraphum vero,quam habui contra quempiam

In humeris vtique circumponens coronam legebam,

Et ſi non ſcindens eam reddidi, nihil accipiens à debitore.

Si ſuper me vmquam terra gemuit, aut ſi ſulci eius plorauerunt ſimul.

Aut ſi & virtutem comedi ſolus ſine precio:aut ſi animam domini terræ recipiens contriſtaui:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

8 *Seram,& alius comedat, & germina mea eradicentur.*

9 *Si ſeductum fuit cor meum ſuper mulíere, & iuxta oſtium amici mei inſidiatus ſum:*

10 *Molat alteri vxor mea, & ſuper eam incurruent ſeſe alij.*

11 *Quoniam id eſt ſcelus,& iniquitas iudicata.*

12 *Nam ignis eſt qui uſque ad perditionem deuoraſſet,& omnem prouentum meum eradicaſſet.*

13 *Si contempſi iudicium ſerui mei & ancillæ meæ,quum ipſi litigarent mecum:*

14 *Quid enim feciſſem quum ſurrexiſſet Deus: & quum viſitaſſet,quid reſpondiſſem illi?*

15 *Nonne qui in vtero fecit me,fecit illum, & diſpoſuit nos in vulua vnus?*

16 *Si prohibui à voluntate pauperes, & oculos viduæ deficere feci:*

17 *Et ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea:*

18 *Nam ab adoleſcentia mea creuit mecum, tanquam apud patrem,& ab vtero matris meæ deduxi illam.*

19 *Si videbam pereuntem quod abſque veſte eſſet, & quod non fuerit operimentum egeno:*

20 *Si non benedixerunt mihi lumbi eius, & de vellere ouium mearum calefactus eſt:*

21 *Si leuaui contra pupillum manum meam, quum viderem in porta auxilium meum:*

22 *Scapula mea ab humero ſuo cadat, & brachium meum à canna ſua confringatur:*

23 *Quia pauor mihi erat contritio à Deo, & à celſitudine eius non potuiſſem eripi.*

24 *Si poſui aurum ſpem meam, & auro dixi, Fiducia mea es:*

25 *Si lætatus ſum quod multiplicatæ eſſent facultates meæ,& quod multum inueniſſet manus mea:*

26 *Si vidi ſolem quando ſplendebat, & lunam à qua pretioſum abit:*

27 *Et ſeduxit ſeſe in obſcondito cor meum, & oſculata eſt manus mea os meum:*

28 *(Etiam hoc fuiſſet iniquitas iudicata,quia abnegaſſem Deum deſuper:)*

29 *Si lætatus ſum in contritione oſoris mei, & geſtiui quando inuenit eum malum:*

30 *Quum ne palatum quidem meum dederim ad peccandum,vt expeterem maledictionem animæ illius.*

31 *Annon dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carne eius? non ſaturaremur.*

32 *Foris namque non pernoctabat peregrinus, oſtia mea viatori aperiebam.*

33 *Si texi ſicut homines reliqui prauaricationes meas, vt abſconderem in abdito meo iniquitatem meam:*

34 *Nam fregiſſem multitudinem magnam, & deſpectio familiarum humiliabat me: & tacui, nec egreſſus ſum de oſtio.*

35 *Vtinam haberem audientem me:ecce ſignum meum eſt quod Omnipotens teſtificabitur pro me, & liber quem ſcripſit vir litis meæ.*

36 *Niſi ſuper humerum meum portauero illum, ligauero illum pro coronis mihi.*

37 *Numerum greſſuum meorum narrabo illi,& tanquam ad ducem,accedam ad illum.*

38 *Si aduerſum me terra mea clamet, & pariter ſulci eius fleant:*

39 *Si fructum eius comedi abſque pecunia, aut animam dominorum eius afflixi:*

Vulgat. Editio.

Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.

Finita ſunt verba Iob.

CAP. XXXII.

OMiſerunt autem tres viri iſti reſpondere Iob, eo quod iuſtus ſibi videretur.

Et iratus, indignatuſque eſt Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus eſt autem aduerſum Iob, eo quod iuſtum ſe eſſe diceret coram Deo.

Porro aduerſum amicos eius indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem, ſed tantummodo condemnaſſent Iob.

Igitur Eliu expectauit Iob loquentem: eo quod ſeniores eſſent qui loquebantur.

Cum autem vidiſſet quod tres reſpondere non potuiſſent, iratus eſt vehementer.

Reſpondenſque Eliu filius Barachel Buzites, dixit: Iunior ſum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demiſſo capite, veritus ſum vobis indicare meam ſententiam.

Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam.

Sed, vt video, Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

Non ſunt longæui ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium.

Ideo dicam: audite me, oſtendam vobis etiam ego meam ſapientiam.

Expectaui enim ſermones veſtros, audiui prudentiam veſtram, donec diſceptaremini ſermonibus:

Et donec putabam vos aliquid dicere, conſiderabam: ſed, vt video, non eſt qui poſſit arguere Iob, & reſpondere ex vobis ſermonibus eius.

Ne forte dicatis: Inuenimus ſapientiam, Deus proiecit eum, non homo.

Nil locutus eſt mihi, & ego non ſecundum ſermones veſtros reſpondebo illi.

Extimuerunt, nec reſponderunt vltra, abſtuleruntque à ſe eloquia.

Quoniam igitur expectaui, & non ſunt locuti: ſteterunt, nec vltra reſponderunt.

Reſpondebo & ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam.

Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei.

En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit.

Loquar, & reſpirabo paululum: & aperiam labia mea, & reſpondebo.

Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo.

Neſcio enim quamdiu ſubſiſtam, etſi poſt modicum tollat me Factor meus.

CAP. XXXIII.

AVdi igitur Iob eloquia mea, & omnes ſermones meos auſculta.

Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in fauc bus meis.

Simplici corde meo ſermones mei, & ſententiam puram labia mea loquentur.

Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis viuificauit me.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

40 *Pro tritico egrediatur ſpina, & pro hordeo lolium.*

Perfecta ſunt verba Iob.

CAP. XXXII.

1 ET ceſſauerunt tres viri iſti reſpondere Iob, quia ipſe erat iuſtus in oculis ſuis.

2 *Et iratus eſt furor Elihu filij Barachel Buzita de familia Ram: in Iob iratus eſt furor eius, eo quod iuſtificaret animam ſuam magis quam Deum.*

3 *Et in tres amicos eius iratus eſt furor eius, eo quod non inueniſſent reſponſionem, & condemnauerant Iob.*

4 *Et Elihu expectauit ipſum Iob in verbis, quia ſeniores erant eo tempore.*

5 *Et vidit Elihu quod non erat reſponſio in ore trium virorum, & iratus eſt furor eius.*

6 *Et reſpondit Elihu filius Barachel Buzites, & dixit. Iunior ſum tempore, vos autem decrepiti idcirco expaui, & timui indicare opinionem meam vobis.*

7 *Dixi, dies loquentur, & multitudo annorum ſcire faciet ſapientiam.*

8 *Profecto ſpiritus eſt in homine, & inſpiratio omnipotentis intelligere faciet ea.*

9 *Non honorabiles ſunt ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium.*

10 *Ideo dixi, audi me, indicabo opinionem meam etiam ego.*

11 *Ecce expectaui verba veſtra, auſcultaui vſque ad intelligentias veſtras, donec inueſtigaretis ſermones.*

12 *Et adhuc non conſiderabam: & ecce non eſt contra Iob diſceptans, reſpondens ſermonibus eius ex vobis.*

13 *Ne forte diceretis: Inuenimus ſapientiam, Deus propulſauit eum, non vir.*

14 *Et non ordinauit Iob aduerſum me ſermones: & ſecundum ſermones veſtros non reſpondebo illi.*

15 *Extimuerunt, & non reſponderunt vltra, remouerunt à ſe eloquia.*

16 *Et expectaui, ſed non locuti ſunt: ſed ſteterunt, & non reſponderunt vltra.*

17 *Reſpondebo etiam ego partem meam, indicabo opinionem meam etiam ego.*

18 *Plenus enim ſum ſermonibus, coartauit me ſpiritus vteri mei.*

19 *Ecce venter meus tanquam vinum, quod non eſt apertum, ſicut vires noui diſrumpitur.*

20 *Loquar, & reſpiratio erit mihi: aperiam labia mea, & reſpondebo.*

21 *Non nunc accipiam perſonam viri, & hominem non cognominabo.*

22 *Nam non noui cognominare: in modico comburat me factor meus, ſi cognominauero.*

CAP. XXXIII.

1 ET verumtamen audi quæſo Iob eloquia mea, & omnia verba mea auſculta.

2 *Ecce nunc aperio os meum, loquitur lingua mea in palato meo.*

3 *Rectitudo cordis mei ſunt eloquia mea, & ſcientiam labia mea puram loquuntur.*

4 *Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum eſt ab Omnipotente viuificauit me.*

Transl. ex Septuag.

Pro tritico germinet mihi vrtica, & pro hordeo spina.

Et cessauit Iob à verbis.

CAP. XXXII.

* Quæ asteris claudũtur habentur in principio capituli 32. in Bib. Septuag. Romæ edita.

CEssauerunt autem & tres amici eius vltra contradicere Iob: erat enim Iob iustus coram eis.

Iratus est autem Elius filius Barachiel Buzites de cognatione Ram Austitidis regionis. Iratus est autem in Iob valde, eo quod pronunciauerat seipsum iustum coram Domino.

Et vero aduersus tres amicos iratus est valde, eo quod non potuerant respondere oppositæ ipsi Iob: & posuerant ipsum esse impium.

Elius autem sustinuerat dare responsionem Iob, quoniam seniores eo erant diebus.

Et vidit Elius, quod non est reponsio in ore trium virorum, & indignatus est ira sua.

Suscipiens autem Elius filius Barachiel Buzites, dixit: Iunior quidem sum tempore, vos autem estis seniores: quare silui timens in vobis annunciare meam ipsius scientiam.

Dixi autem, quod non est tempus, quod loquitur, & in multis annis nouerunt sapientiam.

Sed spiritus est in hominibus: spiratio autem Omnipotentis est, quæ docet:

Non longæui sunt sapientes, neque senes nouerunt iudicium.

Quare dixi, audite me, & annunciabo vobis, quæ noui: auribus percipite mea verba.

Dicam enim vobis audientibus, quoadusque exquiratis sermones:

Et vsque ad vos intelligam, & ecce non erat ipsi Iob qui argueret; qui vicissim responderet verbis eius, ex vobis:

Vt ne dicatis, inuenimus sapientiam Domino adiecti:

Homini autem permisistis loqui talia verba.

Exterriti sunt, non responderunt vltra: veteres fecerunt ex se sermones:

Sustinui, non enim locutus sum: quia steterunt, non responderunt.

Suscipiens autem Elius ait: rursus loquar.

Plenus enim sum verborum: perdit enim me spiritus ventris:

Venter autem meus, sicut vter musto feruens ligatus, aut veluti follis ærarij disruptus:

Loquar vt requiescam aperiens labia:

Hominem enim non verebor: sed neque erga mortalem confundar:

Non enim noui admirari facies: alioquin & me tineæ edent.

CAP. XXXIII.

VErumtamen audi Iob verba mea, & auribus percipe loquutionem meam.

Ecce enim aperui os meum, & locuta est lingua mea.

Mundum est cor meum verbis: & intellectus labiorum meorum munda cogitabit:

Spiritus diuinus est qui me fecit: spiratio autem Omnipotentis est, quæ docet me:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Pro tritico egrediatur spina, & pro hordeo lolium.

Finita sunt verba Iob.

CAP. XXXII.

CEssauerunt itaque tres viri isti respondere Iob, quia ipse erat iustus in oculis suis.

Et exarsit furor Elihu filij Barachel Buzitæ, de familia Ram, in Iob: exarsit inquam furor eius, eo quod iustificaret animam suam magis quam Deum.

In tres quoque amicos eius iratus est furor eius, propterea quod non inuenirent responsionem, & tamen condemnassent Iob.

Porro Elihu expectauit ipsum Iob in verbis, quia seniores erant ipso diebus.

Videns itaque Elihu quod non esset responsio in ore illorum trium virorum, exarsit furor eius.

Cœpit ergo loqui Elihu filius Barachel Buzites, ac dixit, Paruus sum diebus, vos autem decrepiti: idcirco expaui, & timui indicare opinionem meam vobis.

Dicebam, Dies loquentur, & multitudo annorum notam reddent sapientiam.

Profecto spiritus est in homine, sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eos.

Non honorabiles sunt sapientes, nec senes intelligunt iudicium:

Ideo dixi. Audi me, indicabo scientiam meam etiam ego.

Ecce expectaui verba vestra: auscultaui vsque ad intelligentias vestras, donec inuestigaretis sermones.

Vosque consideraui, & ecce nemo vestrum est qui redarguat Iob, qui respondeat sermonibus eius.

Ne forte dicatis, Inuenimus sapientiam Deus propellat eum, non homo.

Non equidem ordinauit Iob aduersum me sermonem: neque verbis vestris respondebo illi.

Extimuerunt, ideo non responderunt vltra, remouerunt à se eloquia.

Expectaui itaque: at quia non loquuntur, sed substiterunt, & non respondent vltra:

Respondebo etiam ego partem meam, indicabo opinionem meam etiam ego.

Plenus enim sum sermonibus, coartat me spiritus vteri mei.

Ecce venter meus tanquam vter vini, qui non est apertus, & sicut vtres noui rumpitur,

Loquar igitur, & respiratio erit mihi: aperiam labia mea, & loquar.

Nequaquam accipiam faciem viri, & ad hominem non mutato nomine loquar.

Non enim noui mutato nomine alloqui: breui comburat me factor meus, si mutato nomine vtar.

CAP. XXXIII.

ET quidem audi quæso Iob eloquia mea, & omnia verba mea auscultа.

Ecce nunc aperiam os meum, loquetur lingua mea in palato meo.

Rectitudo cordis mei erunt eloquia mea, & scientiam puram labia mea loquentur.

Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificauit me.

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Si potes,responde mihi,& aduersus faciem meam consiste.	5	*Si potueris, responde mihi,dispone,coram me consiste.*
Ecce,& me sicut & te fecit Deus,& de eodem luto ego quoque formatus sum.	6	*Ecce ego secundum sermonem tuum respondebo pro Deo, quanquam ex luto formatus sum,*
Veruntamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi grauis.	7	*Ecce formido mea non terrebit te,& percussio mea super te non erit grauis.*
Dixisti ergo in auribus meis,& vocem verborum tuorum audiui:	8	*Veruntamen dixisti in auribus meis, & vocem sermonum audiui.*
Mundus sum ego,& absque delicto:immaculatus, & non est iniquitas in me.	9	*Mundus sum ego absque præuaricatione,innocens sum, & non est iniquitas mihi.*
Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.	10	*Ecce occasiones aduersum me inuenit, reputauit me vt inimicum sibi.*
Posuit in neruo pedes meos,custodiuit omnes semitas meas.	11	*Posuit in compede pedes meos,obseruauit omnes semitas meas.*
Hoc est ergo,in quo non es iustificatus: respondebo tibi,quia maior sit Deus homine.	12	*Ecce hoc non iustificasti,respondebo tibi, quia maior est Deus quam homo.*
Aduersus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?	13	*Cur aduersum eum contendisti, quum omnia sua tibi non sit locutus?*
Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.	14	*Quia vno modo loquitur Deus, & duobus ei qui non videt illum.*
Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines,& dormiunt in lectulo:	15	*Per somnium visionis nocturnæ,quando cadit sopor super homines,per dormitationes super cubile.*
Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.	16	*Tunc reuelabit aurem hominum,& vinculo suo claudet.*
Vt auertat hominem ab his,quæ facit, & liberet eum de superbia:	17	*Vt remouere faciat hominem ab opere, & superbiam à viro tegat.*
Eruens animam eius à corruptione: & vitam illius,vt non transeat in gladium.	18	*Prohibeat animam eius à corruptione, & vitam eius, ne transeat per gladium.*
Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.	19	*Et increpabit in dolore super cubili eius,& in multitudine ossium eius erit fortis dolor.*
Abominabilis ei fit in vita sua panis,& animæ illius cibus ante desiderabilis.	20	*Et abominata est vita eius panem, & anima eius cibum desiderabilem.*
Tabescet caro eius, & ossa,quæ tecta fuerant, nudabuntur.	21	*Consumetur caro eius à visu,& confringentur ossa eius, non videbuntur.*
Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.	22	*Et appropinquauit corruptioni anima eius, & vita eius mortificantibus.*
Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de millibus vt annunciet hominis æquitatem:	23	*Si fuerit pro eo Angelus eloquens vnus ex mille, vt annunciet homini rectitudinem eius.*
Miserebitur eius,& dicet:Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.	24	*Et misertus fuerit eius, & dixerit.Redime eum, ne descendat in corruptionem,inueni propitiationem.*
Consumpta est caro eius à suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.	25	*Tenerior efficietur caro eius carne pueritiæ, reuertetur ad dies adolescentiæ suæ.*
Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem eius in iubilo,& reddet homini iustitiam suam.	26	*Orabit ad Deum, & propiciabitur ei, & videbit eius faciem in iubilo, & reddet homini secundum iustitiam eius.*
Respiciet homines,& dicet: Peccaui,& vere deliqui,&,vt eram dignus,non recepi.	27	*Prospiciet super homines, & quum quispiam ex eis dixerit, peccaui, & rectum peruerti, & non profuit mihi.*
Liberauit animam suam ne pergeret in interitum,sed viuens lucem videret.	28	*Redemit animam eius,ne transeat in corruptionem: & vita eius lucem videbit.*
Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.	29	*Ecce omnia ista operabitur Deus, & vicibus tribus cum viro.*
Vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium.	30	*Vt conuertat animam eius à corruptione, vt illuminet luce viuentium.*
Attende Iob,& audi me: & tace,dum ego loquor:	31	*Attende Iiob,audi me: tace,& ego loquar.*
Si autem habes quod loquaris, responde mihi:loquere:volo enim,te apparere iustum.	32	*Si sunt sermones, responde mihi: loquere: quia volo iustificare te.*
Quod si non habes,audi me:tace, & docebo te sapientiam.	33	*Si non sunt, audi me: tace, & docebo te sapientiam.*
CAP. XXXIV.		CAP. XXXIV.
PRonuncians itaque Eliu, etiam hæc locutus est:	1	*ET respondit Elihu,& dixit.*
Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:	2	*Audite sapientes sermones meos,& scientes auscultate me.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Si poteris, da mihi responsionem: ad hæc substine: sta iuxta me, & ego iuxta te.	5	*Si possis, responde mihi, dispone, coram me consiste.*
De luto formatus es tu, sicut & ego: ex eodem formati sumus:	6	*En ego iuxta os tuum pro Deo, è luto formatus sum etiam ego:*
Non timor meus te turbabit: neque manus mea grauis erit super te:	7	*Ecce terror meus non exterrebit te, & manus mea super te non erit grauis.*
Verumtamen dixisti in auribus meis: vocem verborum tuorum audiui:	8	*Profecto dixisti in auribus meis, & vocem sermonum audiui,*
Quandoquidem dicis, mundus sum, non peccans: sine crimine sum, non enim inique egi:	9	*Mundus ego absque prauaricatione, innocens sum, & non est iniquitas mihi.*
Accusationem autem contra me inuenit: putauit autem me, sicut aduersarium.	10	*Ecce occasiones aduersum me inuenit, reputat me vt inimicum sibi.*
Posuit autem in ligno pedem meum, & obseruauit omnes vias meas.	11	*Posuit in compede pedes meos, obseruat omnes semitas meas.*
Quomodo enim dicis; iustus sum, & non exaudiuit me? æternus enim est qui est super homines.	12	*Ecce hac via non es iustificatus, respondebo tibi: quia maior est Deus homine.*
Dicis autem: cur iudicium meum non exaudiuit, meum omne verbum?	13	*Cur aduersum eum contendisti? omnia enim verba sua non loquitur:*
Semel enim loquatur Dominus: secundo autem somnium,	14	*Etenim vno modo loquitur Deus, aut etiam duobus ei qui non viderit illum.*
Aut in meditatione nocturna: sicut quando incidit sæuus timor in homines in dormitationibus super cubili.	15	*Per somnium visionis nocturnæ, quando irruit sopor super homines, in dormitationibus super cubile:*
Tunc reuelat mentem hominum: in speciebus timoris talibus, eos exterruit:	16	*Tunc reuelat aurem hominum, & castigationem eorum quam obsignauit:*
Auertat hominem ab iniustitia: & corpus eius à ruina liberauit,	17	*Vt auferat homo opus, & superbiam à viro abscondat:*
Et pepercit animæ eius à morte, & non cadat ille in bello.	18	*Vt sic prohibeat animam suam à corruption, & vitam suam ne transeat in gladium.*
Iterum autem arguit eum in languore super cubile: & multitudo ossium eius obtorpuit:	19	*Corripitur etiam dolore super cubile suum, & in multitudine ossium eius est fortis dolor.*
Et omnem escam frumenti non poterit sumere; & anima eius cibum desiderabit:	20	*Et abominari facit eum vita eius panem, & anima eius cibum desiderabilem.*
Quoadusque putruerint eius carnes, & ostenderit ossa sua inania.	21	*Deficit caro eius à visione, & confringentur ossa eius, non videbuntur.*
Appropinquauit autem ad mortem anima eius, & vita eius in inferno:	22	*Et appropinquat corruptioni anima eius, & vita eius mortiferis.*
Si fuerint mille angeli mortiferi; vnus eorum non vulnerabit eum:	23	*Si tum fuerit apud eum Angelus interpretans vnum ex mille, vt annunciet homini rectitudinem illius.*
Si cogitauerit corde reuerti ad Dominum, annunciauerit autem homini suum ipsius crimen, & suam stultitiam ostenderit: retinebit ne cadat, & renouabit corpus eius:	24	*Tunc miserebitur eius, & dicet, Redime illum, ne descendat in corruptionem: inueni propitiationem.*
Sicut tectorium in pariete, & ossa eius implebit medulla: & molliet carnes eius sicut paruuli, & restituet eum virum factum inter homines:	25	*Tenerior efficietur caro eius carne pueritiæ, reuertetur ad dies adolescentiæ suæ.*
Deprecatus autem ad Dominum, & accepta ei erunt: intrabit facie hilari cum professione; reddet autem hominibus iustitiam.	26	*Deprecabitur Deum, & delget eum, ac videbit eius faciem in iubilo, reddetq; homini iustitiam suam.*
Deinde tunc accusabit homo se ipse dicens qualia consummabam? & non digne in me inquisiuit pro iis, quæ peccaui.	27	*Prospicit super homines: & si quis dixerit, Peccaui, & rectum peruerti, & non profuit mihi:*
Salua animam meam, ne veniat in corruptionem: & vita mea lucem videbit.	28	*Redimet animam eius, ne transeat in corruptionem, & vita eius lucem videbit.*
Ecce hæc omnia operatur fortis vias tres cum viro:	29	*Ecce omnia ista facit Deus duabus aut tribus vicibus cum viro:*
Et eruit animam meam de morte: vt vita mea in lumine collaudet illum	30	*Vt auertat animam eius à corruptione, & illustretur luce viuentium.*
Auribus percipe Iob, & audi me: obmutesce, & ego quidem loquar:	31	*Attende Iob, audi me: tace, & ego loquar.*
Si sunt tibi sermones; respondе mihi: loquere, volo enim iustificari te:	32	*Si sint sermones, responde mihi: loquere: quia volo iustificare te.*
Sin minus; tu audi me, obmutesce, & docebo te.	33	*Si non sunt, tu audi me: tace, & docebo te sapientiam.*
CAP. XXXIV.		CAP. XXXIV.
RESpondens autem Elius dixit.	1	ET respondit Elihu, ac dixit.
Audite me sapientes, qui habetis scientiam, auribus percipite:	2	*Audite gnari sermones meos, & scientes auscultate me.*

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
* Sup. 12.11.	* Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.	3	*Quia auris sermones probat, & palatum gustat.*
	Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.	4	*Iudicium eligamus nobis, sciamus inter nos quid sit bonum.*
	Quia dixit Iob: Iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum.	5	*Dixit enim Iob: Iustificaui me, & Deus remouere fecit iudicium meum.*
	In iudicando enim me, mendacium est violenta sagitta mea absque vllo peccato.	6	*In iudicio meo mentiar: insanabilis est sagitta plagæ meæ absque præuaricatione.*
	Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam:	7	*Quis vir sicut Iob, biberet subsannationem, vt aquam.*
	Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?	8	*Et iret ad societatem cum operantibus iniquitatem, & ad deambulandum cum hominibus impijs?*
	Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo.	9	*Dixit enim. Non proderit viro, quando cucurrerit ipse per viam rectam cum Deo.*
	Ideo viri cordati audite me, absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.	10	*Ideo viri cordis audite me. Absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.*
	Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis.	11	*Quia opus hominis reddet ei, & iuxta viam vniuscuiusque inuenire faciet ei.*
	Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subuertet iudicium.	12	*Insuper vere Deus non impie faciet, & omnipotens non peruertet iudicium.*
	Quem constituit alium super terrram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?	13	*Quem præposuit pro se super terram, & quis posuit orbem vniuersum?*
	Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.	14	*Si poneret super eum cor suum, spiritum eius, & flatum eius ad se congregaret.*
	Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.	15	*Obiret omnis caro simul, & homo in terram reuerteretur.*
	Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquij mei.	16	*Et si est intelligentia audi hoc, ausculta vocem eloquiorum meorum.*
	Numquid qui non amat iudicium, sanari potest? & quomodo tu eum, qui iustus est, in tantum condemnas?	17	*Nunquid etiam odio habens iudicium dominabitur? Et nunquid iustum multum, impium facies?*
	Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios:	18	*Nunquid dicendum est regi impius es, impius es principibus?*
* Deu. 10.17. 2. Par. 19.7. Sap.6. 8. Eccli. 35.16. Ro. 2. 11. Gal.62. 6 Eph. 6. 9. Col. 3. 26. Act.10. 34. 1. Pet. 1.1.	* Qui non accipit personas principum: nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.	19	*Qui non accepit faciem principum, & non est agnitus diues coram paupere: quis opus manuum eius omnes ipsi sunt.*
	Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.	20	*Subito morientur, & tempore noctem in partes æquales diuidente commouebuntur populi, & transibunt, & remouebunt fortem non vi, sed Dei voluntate.*
	Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.	21	*Quia oculi eius sunt super vias viri, & omnes gressus eius videt.*
	Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.	22	*Non sunt tenebræ, nec vmbra mortis, vt lateant ibi operantes iniquitatem.*
	Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.	23	*Quia non super virum imponet necessitatem amplius, vt vadat ad eum in iudicio.*
	Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.	24	*Conteret fortes quorum non est inuestigatio, & stare faciet alios pro eis.*
	Nouit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.	25	*Ideo cognoscere faciet opera eorum, & conuertet diem in noctem, & conterentur.*
	Quasi impios percussit eos in loco videntium.	26	*Loco ipsorum impios percussit in loco videntium.*
	Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.	27	*Quod eis usu venit, quia recesserunt ab eo, & omnes vias eius non intellexerunt.*
	Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.	28	*Vt venire facerent ad eum clamorem pauperis, & clamorem pauperum audiret.*
	Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum: & super gentes, & super omnes homines?	29	*Ipse autem requiescere faciet quempiam, & quis contremiscere faciet? & abscondet faciem, & quis intuebitur eum? & super gentem, & super hominem pariter hoc eueniet.*
	Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.	30	*Eo quod regnat homo impius, eo quod sunt laquei populi.*
	Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo:	31	*Quia de Deo consentaneum est vt dicatur peperci, non destruam.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Quia auris sermones probat,& guttur gustat escam.	3	*Quia auris sermones probat, vt palatum gustat ad comedendum.*
Iudicium eligimus nobis, noscamus inter nos, quod bonum:	4	*Iudicium eligamus nobis, & cognoscamus inter nos quidnam bonum.*
Quia dixit Iob,iustus sum: Dominus remouit iudicium meum,	5	*Dixit enim Iob, Iustus sum, & Deus abstulit iudicium meum.*
Et mentitus est in iudicio meo: violentum iaculum meum sine iniustitia.	6	*De iure meo mentiar? doloris plena est sagitta mea sine præuaricatione.*
Quis vir, vt Iob bibens subsannationem sicut aquam,	7	*Quis vir sicut Iob, qui ebiberit subsannationem vt aquam,*
Qui neque peccauit,neque impie egit, aut neque communicauit cum facientibus iniqua:vt ambularet cum impiis?	8	*Et ambulet in societate cum operantibus iniquitatem, & eat cum hominibus impijs?*
Ne enim dixeris,quia non erit visitatio viri:& visitatio ei à Domino.	9	*Dixit enim. Non proderit viro, quando ambulauerit cum Deo.*
Quare intelligentes corde audite me. Absit à me coram Domino impie agere,& coram Omnipotente turbare iustitiam:	10	*Ideo viri cordis audite me. absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.*
Sed reddat homini, sicut facit vnusquisque eorum:& in semita viri inueniet eum.	11	*Quia iuxta opus hominis reddet ei: & iuxta viam cuiusque inuenire faciet eum.*
Putas autem Dominum absurda facturum? aut Omnipotens turbabit iudicium,	12	*Præterea sane Deus nihil impie agit, & omnipotens non peruertit iudicium.*
Qui fecit terram? Quis autem est, qui facit eam quæ sub cælo,& quæ insunt omnia?	13	*Quem præfecit sibi super terram? & quis disposuit orbem vniuersum?*
Nam si velit cohibere,& spiritum apud se detinere;	14	*Si apponeret super eum cor suum, spiritum eius, & flatum eius ad sese colligeret:*
Peribit omnis caro simul: & omnis mortalis in terram abibit;vnde & formatus est:	15	*Interiret omnis caro simul, & homo in terram reuerteretur.*
Sin autem non sis monitus;audi hæc auribus,percipe vocem verborum:	16	*Quod si est intelligentia, audi hoc, auribus percipe vocem eloquiorum meorum.*
Vide tu eum,qui odit iniqua,& perdit malignos, esse æternum iustum.	17	*An etiam odio habens iudicium, dominabitur? & an iustum insignem facies impium?*
Impius est,qui dicit regi iniuste agis, impiissime principibus?	18	*An dicere licet regi,O inique:O impie,principibus?*
Qui non est veritus faciem honorati,neque nouit honorem ponere potentibus, admirari facies eorum.	19	*Tanto minus ei qui non accipit personam principum, neque agnoscitur dives coram paupere: quia opus manuum eius omnes ipsi sunt.*
Vana autem eis euadent,clamasse,& orare virum. Abusi sunt enim inique exhonoratis infirmis.	20	*Subito morientur, aut media nocte commouebuntur populi,ac transibunt, auferentq; fortem non manu.*
Ipse enim inspector est operum hominum:	21	*Quia oculi eius sunt super vias viri, & omnes gressus eius videt:*
Latuit autem eum nihil eorum,quæ agunt:	22	*Non sunt tenebræ, nec vmbra mortis, vt lateant ibi operantes iniquitatem.*
Neque erit locus vt latitent, qui faciunt iniqua: quoniam non super virum ponet vltra:	23	*Quoniam non posuit super virum quod futurum est vt ambulet ad Deum in iudicio.*
Dominus enim omnes inspicit, qui comprehendit non vestigabilia,& glorioſa,& magnifica, quorum non est numerus:	24	*Conterit fortes quorum non est inuestigatio, & stare facit alios pro eis.*
Qui cognoscit eorum opera,& euertet noctem,& humiliabuntur;	25	*Ideo cognoscere facit opera ipsorum:nam vertetur nox, & conterentur.*
Et extinxit impios: conspicui autem coram eo:	26	*Pro impijs percutit eos in loco videntium:*
Quoniam declinauerunt de lege Dei, & iustificationes eius non cognouerunt;	27	*Propterea quod sic recessrunt ab eo, & omnes vias eius non intellexerunt:*
Perferatur ad eum clamor pauperum: & clamorem mendicorum exaudiet:	28	*Vt peruenire faciat ad sese clamorem pauperis, & clamorem pauperum exaudiat.*
Et ipse quietem dabit; & quis condemnabit? & abscondet faciem, & quis videbit eum? & contra gentes,& contra hominem simul.	29	*Et ipse quietem dabit, & quis exagitabit? si abscondat faciem, quis intuebit illum? quin & super gentem, & super hominem simul.*
Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi:	30	*Eo quod regnet homo hypocrita,& propter offendicula populi.*
Quoniam erga fortem qui dicit,suscepi, non auferam loco pignoris,absque me videbo:	31	*Sane ad Deum qui dicit,Peperci,non destruam:*

Vulgat. Editio.

Si erraui, tu doce me: si iniquitatem locutus sum vltra non addam.

Nunquid à te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, & non ego: quod si quid nosti melius, loquere.

Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

Iob autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

Pater mi, probetur Iob vsque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.

Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim conterendatur: & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis Deum.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Præter illud quod video doce me: Si iniquitatem operatus sum, non addam.

Nunquid conuenit vt à te egrediatur præuaricatio *ob quam reddat* tibi Deus malum, *quia renuisti* conuerti, *quia tu elegisti* viam hanc, *& non ego: & quod nosti loquetur.*

Viri cordati dicant mihi, & vir sapiens audiat me.

Iob non cum scientia loquitur, & verba eius non sunt cum intellectu.

Deus pater mi probetur Iob vsque in sæculum: propter responsiones ad viros iniquos.

Quia addit super peccato suo præuaricationem, inter nos non plaudit, & multiplicat sermones suos ad Deum.

CAP. XXXV.

1 Gitur Eliu hæc rursum locutus est.

2 Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres iustior sum Deo?

3 Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccauero?

4 Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.

5 Suspice cælum & intuere, & contemplare æthera quod altior te sit.

6 Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ quid facies contra eum?

7 Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

8 Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iustitia tua.

9 Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.

10 Et non dixit: Vbi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

11 Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos.

12 Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

13 Non ergo frustra audiet Deus, & Omnipotens causas singulorum intuebitur.

14 Etiam cum dixeris: Non considerat: iudicare coram illo, & expecta eum.

15 Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.

16 Ergo Iob frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

CAP. XXXV.

1 ET respondit Elihu, & dixit.

2 *Nunquid hoc putasti secundum iudicium? dixisti, iustior sum Deo.*

3 *Quia dixisti. Quid proderit tibi, quid accipiam vtilitatis de peccato meo.*

4 *Ego respondebo tibi sermones, & amicis tuis tecum.*

5 *Suspice cœlum & vide, & intuere cœlos, qui altiores sunt te.*

6 *Si peccaueris, quid operaberis contra eum? & si multiplicatæ fuerint præuaricationes tuæ, quid facies ei?*

7 *Si iustus fueris, quid dabis ei, vel quid de manu tua accipiet?*

8 *Viro sicut tu impietas tua nocebit, & filio hominis iustitia tua proderit.*

9 *Propter multitudinem eorum quibus vi auferunt bona, quos clamare faciunt, clamabunt ad dominum propter brachium multorum.*

10 *Et non dixit quispiam ex eis vbi est Deus factor meus, qui dat cantica in nocte.*

11 *Qui docet nos præ iumentis terræ, & præ volatili cæli sapientes efficit nos.*

12 *Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.*

13 *Veruntamen mendacium est quod non audiat Deus, & omnipotens non intueatur illud.*

14 *Etiam quod dixeris non videbit eum: iudicium coram eo, & spera in eo.*

15 *Et nunc quia paululum visitauit eum ira eius, non cognouit multitudinem valde peccatorum suorum.*

16 *Et Iob vane aperuit os suum, absque scientia sermones multiplicauit.*

CAP. XXXVI.

1 ADdens quoque Eliu, hæc locutus est:

2 Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.

3 Repetam scientiam meam à principio, & operatorem meum probabo iustum.

4 Vere enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.

5 Deus potentes non abijcit, cum & ipse sit potens.

6 Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.

CAP. XXXVI.

1 ET addidit Elihu, & dixit.

2 *Expecta me paululum, & indicabo tibi, quia adhuc pro Deo sunt sermones.*

3 *Sumam scientiam meam à longinquo, & operatori meo dabo iustitiam.*

4 *Nam vere non sunt mendacium sermones mei, Deus perfectus scientijs est tecum.*

5 *Ecce Deus fortis, & non abijciet fortem potentia cordis.*

6 *Non viuificabit impium, & iudicium pauperum tribuet.*

Transl. ex Septuag.

Tu ostende mihi, si iniustitiam operatus sum: non adiiciam:
Nunquid à te reddet eam, quia tu repelles, quoniam tu eliges, & non ego? & quid nosti, loquere:

Quare intelligentes corde dicent hæc, & vir sapiens audiuit verbum meum.
Iob autem non in intellectu locutus est: verba eius non in scientia:
Verumtamen disce Iob, ne dederis vltra responsionem, sicut insipientes:
Vt me adiiciamus super peccata nostra, & iniquitas super nos computabitur multa loquentibus verba contra Dominum.

CAP. XXXV.

REspondens autem Elius ait:
Quare hoc existimasti in iudicio? tu quis es, quia dixisti, iustus sum, ante conspectum Domini?

Quæ n. 3. signati deberent vt responderet nostræ vulgatæ desunt in Transl. ex Sep. Roma.

Ego tibi dabo responsionem, & istis tribus amicis tuis.
Aspice in cælum, & vide: respice autem in nubes quam altæ sint à te:
Si peccasti, quid ages? quod si & multa inique egisti; quid potes facere?

Quoniam igitur iustus es? quid dabis ei? aut quid de manu tua accipiet?
Viro simili tui impietas tua, & filio hominis iustitia tua.
A multitudine calumniis appetiti vociferabuntur: clamabunt à brachio multorum.

Et non dixit, vbi est Deus qui fecit me, qui distribuit custodias nocturnas,
Qui separat me à quadrupedibus terræ, & à volatilibus cæli?
Ibi vociferabuntur, & non exaudies, & ab iniuria malorum?
Absurda enim non vult Dominus videre: ipse enim Omnipotens perspector est eorum, qui consummant iniqua, & saluabit me:
Iudicare autem coram eo, si potes collaudare eum, sicuti est,
Et nunc, quia non est visitans iram suam, neque cognouit delictum aliquod vehementer.
Et Iob vane aperit os suum: in ignorantia verba aggrauat.

CAP. XXXVI.

ADiiciens autem adhuc Elius ait:
Sustine me pusillum adhuc, vt te doceam; adhuc enim est in me sermo:
Suscipiens scientiam meam, de longe: operibus autem meis, quæ iusta sunt loquar,
In veritate, & non iniusta verba, iniuste intelliges.

Cognosce autem, quia Dominus non abiiciet innocentem:
Fortis robore cordis non viuificabit impium: & iudicium pauperum dabit:

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Absque eo quod video, doce me: si iniquitatem feci, non addam.
An à te quod perficiat illam? nam abominatus es, quia tu elegisti, at non ego: sed nosti loqui.

Viri cordati dicent mihi, & vir sapiens audiet me.
Iiob non cum scientia loquitur, & verba eius non sunt cum intellectu.
Pater mi, probetur Iiob vsque in sæculum, pro responsionibus in viros iniquos.
Quandoquidem addit peccato suo impietatem, ac inter nos plaudit, & multiplicat sermones suos contra Deum.

CAP. XXXV.

TVm respondit Elihu, ac dixit,
An hoc putas æquum esse quod dixeris, Iustior sum Deo.
Dixisti enim, Quid proderit tibi, quid accipiam vtilitatis de expiatione mea?
Ego respondebo tibi sermones, & sodalibus tuis tecum.

Aspice cœlum & vide, ac intuere cœlos quomodo altiores sunt te.
Si pecces, quid facies aduersus eum? & si multiplicatæ fuerint prænaricationes tuæ, quid facies ei?

Si iustus sis, quid dabis ei, vel quid de manu tua accipiet?
Viro simili tibi impietas tua nocebit, & filio hominis iustitia tua proderit.
De multitudine calumniam patientium quos clamare faciunt, & vociferantur propter brachium fortium:

Nullus dicit, Vbi est Deus factor meus qui dat cantica in nocte?
Qui docet nos præ iumentis terræ, & præ volatili cæli sapientes efficit nos.
Tunc clamant, & non exaudit, propter superbiam malorum.
Profecto mendacium non exaudiuit Deus, & Omnipotens non intuetur illud.

Etiamsi dicas quod non videbis eum, iudicium sit coram eo, & spera in eo.
Nunc autem scito quod paululum visitauit te ira eius, neque nouit multum admodum.
Iiob igitur vane aperit os suum, & absque scientia sermones multiplicat.

CAP. XXXVI.

ADdidit autem Elihu, ac dixit,
Expecta me paululum, & indicabo tibi, quia adhuc pro Deo sunt sermones.
Assumam scientiam meam delonge, & factori meo dabo iustitiam.
Reuera enim non sunt mendacium sermones mei, Deus perfectus scientis est apud te.
Ecce Deus fortis, non abycit fortem virtute cordis.

Non viuificat impium, iudicium autem pauperum dat.

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Non auferet à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum,& illi eriguntur.	7	*Non prohibebit à iusto oculos suos, & cum regibus in solio,& collocabit eos in perpetuum,& exaltabuntur.*
Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.	8	*Et si vincti fuerint compedibus & capti fuerint funibus afflictionis.*
Indicabit eis opera eorum,& scelera eorum, quia violenti fuerunt.	9	*Nunciabit eis opus eorum, & præuaricationes eorum, quia roboratæ sunt.*
Reuelabit quoque aurem eorum,vt corripiat: & loquetur,vt reuertantur ab iniquitate.	10	*Et reuelabit aurem eorum propter correctiones, & dicet quod reuertantur ab iniquitate.*
Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono,& annos suos in gloria:	11	*Si paruerint, & seruierint ei, finient dies suos in bono,& annos suos in delectationibus.*
Si autem non audierint, transibunt per gladium & consumentur in stultitia.	12	*Et si non audierint per gladium transibunt, & morientur absque cognitione.*
Simulatores & callidi prouocant iram Dei,neque clamabunt cum vincti fuerint.	13	*Et impij corde ponent furorem super se,non clamabunt, cum alligauerit eos.*
Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos,	14	*Morietur in adolescentia anima eorum, & vita eorum inter scortatores.*
Eripiet de angustia sua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius.	15	*Eruet pauperem à paupertate sua, & reuelabit in oppressione aurem eorum.*
Igitur saluabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.	16	*Et etiam si remouit te ab ore angustiæ ad latitudinem non angustam pro eo: & mappam, vasaque mensæ tuæ repleuit pinguedine.*
Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.	17	*Et iudicium impij implesti,causam,& iudicium sustentant impij.*
Non te ergo superet ira,vt aliquem opprimas:nec multitudo donorum inclinet te.	18	*Quia ira est,ne forte è mundo remoueat te flagello, & multitudo precij non declinare faciet te.*
Depone magnitudinem tuam absque tribulatione,& omnes robustos fortitudine.	19	*Nunquid æstimabit diuitias tuas?non aurum, nec omnes fortitudines potentiæ?*
Ne protrahas noctem, vt ascendant populi pro eis.	20	*Ne cogites nocte excidere populos è loco ipsorum.*
Caue ne declines ad iniquitatem:hanc enim cœpisti sequi post miseriam.	21	*Caue ne aspicias ad iniquitatem: quia hanc elegisti propter afflictionem.*
Ecce Deus excelsus in fortitudine sua,& nullus ei similis in legislatoribus.	22	*Ecce Deus erudit hominem potentia sua, quis sicut ipse docens?*
Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere:Operatus es iniquitatem?	23	*Quis constitutus est super eum, vt doceat eum viam suam? Et quis dixit, operatus est iniquitatem.*
Memento quod ignores opus eius,de quo cecinerunt viri.	24	*Memento vt magnifices opus eius,quod intuiti sunt homines.*
Omnes homines vident eum,vnusquisque intuetur procul.	25	*Omnes homines viderunt illud, homo intuebitur à longe.*
Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inæstimabilis.	26	*Ecce Deus magnus, & eum non sciemus.Numeri annorum eius,non est inuestigatio.*
Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.	27	*Quia prohibebit stillas aquarum, stillabunt nubes cum voluerit pluuiam ad vaporem eius.*
Qui de nubibus fluunt,quæ prætexunt cuncta desuper.	28	*Quam stillabunt nubes, stillabunt super homines affluenter.*
Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.	29	*Insuper nunquid intelliget differentias nubium, tonitrua firmamenti sui?*
Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet:	30	*Ecce extendit super nubes lumen suum, & radicis maris operuit.*
Per hæc enim iudicat populos,& dat escas multis mortalibus.	31	*Quia per ipsas iudicabit populos, dabit escam affluenter.*
In manibus abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus aduenias.	32	*Nubibus operuit lucem, & præcepit eis vt pluant propter orantem.*
Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit,& ad eam possit ascendere.	33	*Annunciabit ei amicus eius: tonitruus erit in nube ascendente.*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Non auferet à iusto oculos suos: & cum regibus in solio: & sedere eos faciet in victoria, & exaltabuntur:	7	*Non prohibet à iusto oculos suos, & cum Regibus in solio collocat eos in perpetuum, ac exaltantur.*
Et qui compediti sunt in compedibus, capientur in funibus paupertatis:	8	*Quod si vincti fuerint compedibus aut irretiti fuerint funibus paupertatis,*
Et annunciabit eis opera eorum, & delicta eorum, quoniam valebunt:	9	*Tunc annuntiat eis opus eorum, & quod præuaricationes eorum roboratæ sint.*
Sed iustum exaudiet; & dixit: quia conuertentur ab iniquitate:	10	*Et reuelat aurem eorum ad correctionem, dicitq; vt reuertantur ab iniquitate.*
Si audierint, & seruierint; complebunt dies suos in bonis, & annos suos in decoribus:	11	*Si paruerint, & seruierint, consument dies suos in bono, & annos suos in delectationibus.*
Impios vero non facit saluos, eo quod noluerunt scire Dominum, & quod, cum monerentur, inobedientes erant,	12	*Si vero non audierint, in ensem transibunt, & morientur sine scientia.*
Et hypocritæ corde ordinabunt furorem: non clamabunt, quia ligauit eos.	13	*Cæterum impij corde tribuunt furorem, neque clamant quum alligauerit eos.*
Moriatur ergo in iuuentute anima eorum: & vita eorum vulnerata ab angelis,	14	*Morietur in adolescentia anima eorum, & vita eorum inter scortatores.*
Eo quod tribulauerunt infirmum, & inualidum: iudicium vero mansuetorum exponet:	15	*Eruet autem pauperem à paupertate sua, & reuelabit aurem eorum in oppressione.*
Et superdecepit te ab ore inimici: abyssus, effusio sub ea, & descendit mensa tua plena pinguedine:	16	*Quinetiam remouisset te de ore angustiæ in latitudinem sub qua nulla est angustia: & requies mensæ tuæ plena pinguedine.*
Non deficiet autem à iustis iudicium,	17	*At vero iudicio impij repleuisti iustitiam & iudicium quæ sustentant.*
Et ira super impios erit propter impietatem munerum, quæ accipiebant super iniquitatibus.	18	*Certe ira est tibi, ne auferat te flagello: & magnitudo redemptionis non faciet te declinare.*
Non te auertat voluntaria mens à prece infirmorum, cum in necessitate fuerint: & omnes qui tenent fortitudinem,	19	*Nunquid æstimabit diuitias tuas? non aurum, neque omnes vires potentiæ?*
Noli extrahere per noctem, vt ascendant populi pro eis:	20	*Ne anxius sis noctu quomodo excidat populos in loco suo.*
Sed cura, ne facias indecentia; super his enim elegisti ab inopia.	21	*Caue ne aspicias ad iniquitatem: quia hoc delegisti præ paupertate.*
Ecce fortis roborabit in fortitudine sua: quis enim est, sicut ille, potens?	22	*Ecce Deus exaltabit potentia sua: quis similis illi docens?*
Et quis est, qui discutiat opera eius? aut quis est qui dicat, fecit iniusta?	23	*Quis constitutus est super eum, vt doceat eum viam suam? & quis dixit, Feciſti iniquitatem?*
Memento, quia magna sunt opera eius, quorum dominati sunt viri:	24	*Memento vt magnifices opus eius quod contemplantur homines.*
Omnis homo vidit in ipso, quicumque vulnerati sunt mortales.	25	*Quodq; omnes homines vident & homo intuetur eminus.*
Ecce fortis multus, & nescimus: Numerus annorum eius & infinitus:	26	*Ecce Deus magnus est, & non cognoscimus eum, numerum annorum eius, nec est inuestigatio.*
Numerabiles autem ei stillæ pluuiæ: & effundentur ad pluuiam in nube:	27	*Quum prohibuerit stillas aquarum, effundent pluuiam ad vaporem illius:*
Fluent antiquitates: obumbrauerunt autem nubes super innumerabili homine: horam constituit iumentis: & sciunt cubilis ordinem. In his omnibus non obstupescit animus tuus, nec mutatur cor tuum à corpore:	28	*Quia stillant è nubibus, stillant inquam super homines affluenter.*
Et si constiterit extensio nubis, æqualitatem tabernaculi,	29	*Insuper an intelliget differentias nubium, tonitrua firmamenti eius?*
Ecce extendit super eum: Edo, & radices maris contexit.	30	*Ecce extendit ob id lumen suum, & radices maris operit.*
In eis enim iudicabit populos: dabit escam valido:	31	*Nam per ipsas iudicat populus, dat escam affluenter.*
In manibus contexit lumen, & mandauit de ea in occurrenti:	32	*Super nubes tegit lucem, & præcipit propter illud de occurrente.*
Annunciabit de eo amicum suum Dominus: possessio, & de iniustitia.	33	*Tunc annuntiat de eo socius eius: tunc; acquisitio iræ est super ascendentem.*

(∴)

Vulgat. Editio.

CAP. XXXVII.

SVper hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.
Audite auditionem in terrore vocis eius, & ſonum de ore illius procedentem.
Subter omnes cælos ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ.
Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ: & non inueſtigabitur, cum audita fuerit vox eius.
Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia.
Qui præcipit niui vt deſcendat in terram & hiemis pluuiis, & imbri fortitudinis ſuæ.
Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua.
Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur.
Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus.
Flante Deo concreſcit gelu, & rurſum latiſſimæ funduntur aquæ.
Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.
Quæ luſtrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum:
Siue in vna tribu, ſiue in terra ſua, ſiue in quocumque loco miſericordiæ ſuæ eas iuſſerit inueniri.
Auſculta hæc Iob: ſta, & conſidera mirabilia Dei.
Numquid ſcis quando præceperit Deus pluuiis, vt oſtenderent lucem nubium eius?
Numquid noſti ſemitas nubium magnas, & perfectas ſcientias?
Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro?
Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſoliditſimi quaſi ære fuſi ſunt.
Oſtende nobis quid dicamus illi: nos quippe inuoluimur tenebris.
Quis narrabit ei quæ loquor? etiam ſi locutus fuerit homo, deuorabitur.
At nunc non vident lucem: ſubito aer cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.

Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidoloſa laudatio.
Digne eum inuenire non poſſumus: magnus fortitudine, & iudicio, & iuſtitia & enarrari non poteſt.
Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes.

CAP. XXXVIII.

RESpondens autem Dominus Iob de turbine dixit:
Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?
Accinge ſicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & reſponde mihi.
Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam.
Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

CAP. XXXVII.

ETiam ſuper hunc expaueſcit cor meum, & remouetur ſe è loco ſuo.
Audite audiendo tum tremore ſonitum eius, & fulgur quod ex ore eius egredietur.
Subter omne cœlum directio eius, & fulgur eius ſuper extrema terræ.
Poſt ipſum rugiet ſonitu, tonabit ſonitu magnitudinis ſuæ: & non tardabit ea cum auditus fuerit ſonitus eius.
Tonabit Deus voce ſua mirabilia, & neſciemus.
Quia niui dicet, eſto ſuper terram, & imbri pluuiæ: & imbri pluuiæ fortitudinis ſuæ.
Vehementia omnes homines claudet, vt ſciant omnes homines opus ſuum.
Et ingredietur beſtia latibulum, & in habitaculis ſuis habitabit.
A meridie veniet turbo, & à ventis Aquilonaribus qui diſpergunt nubes veniet frigus.
A voluntate Dei dabitur gelu, & latitudo aquarum in anguſto loco.
Etiam propter irrigationem terræ defatigabit Deus nubem, ſpargere faciet nubem pluuiam ſuam,
Et ipſa in circuitu ſe voluit conſilijs eius, vt operetur omnia quæ præcipit ei ſuper faciem orbis in terra.
Tum propter flagellum, tum propter terram ſuam, tum propter miſericordiam inuenire faciet pluuiam.
Auſculta hoc Iiob, ſta & intellige mirabilia Dei.
Nunquid noſti quando poſuit decretum ſuper his, & illuſtrare fecit pluuiam nubis eius?
Nunquid noſti differentias nubis, mirabilia perfecti ſcientiis?
Nunquid noſti cur veſtimenta tua ſunt calida, cum requieuerit terra à meridie?
Nunquid extendiſti cum eo cœlos qui ſunt fortes ſicut ſpeculum fuſum?
Oſtende nobis quid dicamus ei: non proponemus verba propter tenebras.
Nunquid narrabitur ei, quum locutus fuero? num dixit quiſpiam quum perditus eſt?
Et nunc non viderunt lumen lucidum in cœlis, & ventus tranſiuit & purificauit eos.
Ab Aquilone ventus purus vt aurum veniet, propter Deum terribilem gloriоſum.
Omnipotens quem non inuenimus: magnus eſt potentia & iudicio, & magna iuſtitia & non afflliget.
Ideo timebunt eum homines. Non videbunt eum omnes ſapientes corde.

CAP. XXXVIII.

ET reſpondit Dominus ipſi Iiob de turbine, & dixit.
Quis eſt iſte tenebre faciens conſilium ſermonibus abſque ſcientia?
Accinge ſicut vir lumbos tuos, & interrogabo te, & ſcire factes me.
Vbi fuiſti quando fundabam terram? Annuntia ſi noſti intelligentiam.
Quis poſuerit menſuram eius ſi noſti, vel quis extenderit ſuper eam lineam.

Transl. ex Septuag.

CAP. XXXVII.

ET ab hac turbatum est cor meum,& effluxit de loco suo:
Audi auditionem in ira furoris Domini : & meditatio de ore eius egredietur:
Subter vniuersum cælum principium eius, & lumen eius super alas terræ:
Post eum clamabit voce,tonabit in voce superbiæ suæ : & non commutabit eos , quoniam audiet vocem eius:
Tonabit fortis in voce sua mirabiliter.Fecit enim magna, quæ nescieba mus:
Præcipiens niui,esto super terram : & tempestas pluuiæ,& tempestas pluuiarum potestatis eius?
In manu omnis hominis signat : vt sciat omnis homo infirmitatem suam.
Introierunt autem bestiæ sub tegmen, & quieuerunt super cubile.
De promptuariis superueniunt dolores, & ab extraneis partibus frigus:
Et à spiratione fortis dabit gelu: gubernat autem aquam,qualiter illi placuerit;
Et electum format nubes : disperget nubilum lucem eius,
Et ipse circuitus transuertet , peruertet in Theebulathoth:in opera eorum omnia quæ mandauerit eis.
Hæc constituta sunt ab eo super terram , siue in disciplinam,siue in terram suam;si in misericordia inueniet eum.
Aur,ibus percipe hæc Iob: Sta commonitus virtutem Domini.
Scimus , quia posuit Deus opera sua, cum faceret lumen de tenebris:
Scit autem differentiam nubium:& ingentes lapsus malorum.
Tua vero stola est calida : quiescit vero super terram:
Firmationes cum eo in antiquitates validæ , vt visio effunsionis.
Quare doce me , quid dicemus ei : & requiescamus multa dicentes.
Nunquid liber , & scriba astitit mihi, vt stans faciam hominem tacere?
Omnibus autem non est visibile lumen: splendidum est in antiquitatibus , sicut quod ab eo super nubes.
Ab Aquilone nubes coloris aurei.In his magna est gloria,& honor Omnipotentis:
Et non inuenimus alium similem virtuti eius. Qui iusta iudicat,non putas exaudire eum?

Propterea timebunt eum homines : timebunt quoque eum & sapientes corde.

CAP. XXXVIII.

ET postquam quieuit Elius loqui ; dixit Dominus ad Iob per turbinem,& nubes.
Quis est hic,qui celat me , consilium , continens autem sermones in corde,& me putat celare?
Accingere tanquam vir lumbum tuum. Interrogabo autem te tu autem responde mihi.
Vbi eras , cum fundarem terram ? indica autem mihi,si nosti scientiam.
Quis posuit mensuras eius, si nosti ? aut quis est, qui induxit super eam funiculum?

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

CAP. XXXVII.

INsuper ad id expauescit cor meum , & mouetur è loco suo.
Audite audiendo cum tremore vocem eius,& eloquium quod ex ore eius egreditur.
Sub toto cælo dirigit illud, & lumen eius super extrema terræ.
Post ipsum rugit sonitu & tonat voce superbiæ suæ:neque retardat illa quum exaud tur vox eius.
Tonat Deus voce sua mirabilia:facit maxima , & non intelligimus.
Quia niui dicit, Esto super terram : & imbri pluuiæ, imbri quoque pluuiæ fortitudinis suæ.
Vehementia omnem hominem recludit quominus recognoscat homo omnes homines operis sui.
Et ingreditur bestia latibulum , & in habitaculis suis habitat.
De intima nube prodit turbo , & à ventis Aquilonaribus prouenit frigus.
Pro voluntate Dei dat gelu, & latitudinem aquarum in angustia.
Etiam propter irrigationem terræ defatigat nubem, dispergit nubem luminis eius.
Ipsa quoque in circuitibus voluitur machinis eius , vt efficiant illa quæ præceperit eis super faciem orbis in terra.
Siue in flagellum , siue propter terram suam , siue propter misericordiam existere facit pluuiam.
Ausculta istud Iob,sta & intellige mirabilia Dei.
Num nosti quum disponeret Deus de illis , & leuare faceret lumen nubis eius?
Num nosti differentias nubis mirabilia perfecti scientiis?
Num quod vestimenta tua essent calida,quum quiesceret terra à Meridie?
Num extendisti cum eo cælos qui sunt fortes sicut speculum fusum?
Ostende nobis quid dicamus illi : non disponemus sermonem propter tenebras.
Num narrabitur ei quando loquar? num loquetur aliquis quum perdetur?
Nunc quoque non viderunt lumen lucidum quod est in cælis:at ventus transit & repurgat illud.
Ab Aquilone aurum veniet , propter Deum terribilem laude.
Omnipotens quem non inuenimus , magnus est potentia & iudicio , ac multitudine iustitiæ : propterea non affligit.
Ideirco timebunt eum homines : non videbit propterea omnes sapientes corde.

CAP. XXXVIII.

ET alloquutus est Iehouah ipsum Iob de ipso turbine, atque dixit,
Quis est iste qui obscurat consilium sermonibus sine cognitione?
Accinge nunc sicut vir lumbos tuos:interrogabo te , & notifica mihi.
Vbinam eras quando fundabam terram? annuntia si nosti intelligentiam.
Quis disposuit mensuras eius quod noscas?aut quis extendit super eam lineam?

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius,	6	*Super quo baſes eius ſubmerſæ ſunt? aut quis iecerit lapidem angularem.*
Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?	7	*Cum laudarent pariter ſtellæ matutinæ, & iubilarent filij Dei?*
Quis concluſit oſtiis mare: quando erumpebat quaſi de vulua procedens:	8	*Et quis clauſit oſtiis mare: quando egreditur veluti filius è vulua, egreditur.*
Cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?	9	*Quando poſui nubem vt veſtimentum, & caliginem velut faſciam eius.*
Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia;	10	*Et decreui ſuper eo decretum meum, & poſui vectem, & oſtia.*
Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.	11	*Et dixi, Hucuſque venies, & non addes, vt tranſeas. Et hic pones elationem fluctuum tuorum.*
Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?	12	*Nunquid à diebus tuis præcepiſti diluculo, ſcire feciſti auroram locum ſuum?*
Et tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea?	13	*Vt apprehendat extrema terræ, & excutiantur impij ex ea.*
Reſtituetur vt lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum:	14	*Vertet ſe terra ſicut lutum ſigilli, & ſtabunt ſicut veſtimentum.*
Auferetur ab impiis lux ſua, & brachium excelſum confringetur.	15	*Et prohibebitur ab impijs lux eorum, & brachium excelſum confringetur.*
Numquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti?	16	*Nunquid ingreſſus es vſque ad profunda maris, & in inueſtigationem voraginis ambulaſti?*
Numquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?	17	*Nunquid detectæ ſunt tibi portæ mortis & portas vmbræ mortis vidiſti?*
Numquid conſideraſti latitudinem terræ? indica mihi, ſi noſti, omnia,	18	*Nunquid intellexiſti vſque ad latitudines terræ? indica ſi noſti totam ipſam.*
In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit:	19	*Vbi eſt via in qua habitat lux, & tenebrarum vbi eſt locus?*
Vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius.	20	*Num accepiſti eam ad terminum ſuum, & intellexiſti ſemitas domus eius?*
Sciebas tunc quod naſciturus eſſes? & numerum dierum tuorum noueras?	21	*Num noſti quod tunc naſciturus eſſes, & numerum dierum tuorum multorum.*
Numquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?	22	*Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, & theſauros grandinis vidiſti?*
Quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?	23	*Quas retinui ad tempus anguſtiæ, ad diem belli, & prælij?*
Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram?	24	*In qua via diuiditur lux, ſpargitur currus ſuper terram?*
Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui,	25	*Quis diuiſit ad mundationem aquæ ductum, & viam ad coruſcationem tonitruorum?*
Vt plueret ſuper terram abſque homine in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur.	26	*Vt plueret ſuper terram quæ eſt abſque viro ſuper deſertum in quo non eſt homo?*
Vt impleret inuiam & deſolatam, & produceret herbas virentes?	27	*Et ſatiet ſolitudinem, & eremum, & germinare faciat egreſſum germinis.*
Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?	28	*Nunquid eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?*
De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu de cælo quis genuit?	29	*Ab vtero cuius egreſſum eſt gelu: & pruinam cæli quis genuit?*
In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.	30	*Sicut lapis aquæ congelatæ abſcondit ſeipſas, & ſuperficies voraginis aquarum congelata capiet ſe.*
Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare?	31	*Nunquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos vergiliarum, vel ſerotinos fructus Orionis aperire facies?*
Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & Veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?	32	*Nunquid exire facies ſigna cæleſtia tempore ſuo, & Arcturum cum ſtellis minoribus veluti filiis ſuis duces?*
Numquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?	33	*Nunquid noſti ſtatuta cæli? Nunquid pones dominum eius in terra?*
Numquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?	34	*Nunquid eleuabis ad nubem vocem tuam, vt multitudo aquarum opertat te?*
Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adſumus?	35	*Nunquid emittes fulgura, & ibunt, & dicent tibi: ecce adſumus?*
Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?	36	*Quis poſuit in renibus ſapientiam, aut quis dedit cordi intelligentiam?*
Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?	37	*Quis numerabit cœlos ſapientia, & nubes plenas aquam deſcendere faciet?*
Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur?	38	*Nunquid noſti dum roboraret terram in medio centri, & partes eius coniungerentur?*
Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis,	39	*Numquid venari docebis leonem prædam, & congregationem leunculorum implebis?*

Transl. ex Septuag.		Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.
Super quo circuli eius fixi sunt? Quis est autem, qui misit lapidem angularem super eam?	6	*Super quo bases eius defixæ sunt? aut quis iecit lapidem eius angularem?*
Quando facta sunt sydera; laudauerunt me voce magna omnes angeli mei.	7	*Quum laudarent pariter stellæ luminis, & iubilarent omnes filij Dei?*
Concluſi autem portis mare, cum fremeret ex vtero matris ſuæ egrediens.	8	*Et quis clauſit oſtiis mare, dum erupit è vulua, & prodiit?*
Poſui autem ei nubem operimentum; & nebula, quaſi faſcia obuolui illud:	9	*Quando poſui nubem veſtimentum eius, & caliginem faſciam eius:*
Et poſui illi terminos, circumponens clauſtra, & portas.	10	*Et decreui ſuper eo decretum meum, appoſuique illi vectem & oſtia:*
Et dixi ei: hucuſque venies, & non tranſibis; ſed in te ipſo comminuentur fluctus tui.	11	*Et dixi, Hucuſque venies, neque addes: & illic pones elationem fluctuum tuorum.*
Aut nunquid tecum lucem conſtitui matutinam? & cognouit lucifer ordinem ſuum,	12	*An in diebus tuis præcepiſti mane, aut indicaſti auroræ locum ſuum,*
Apprehendere pennas terræ, excutere impios ex ea?	13	*Vt apprehendat extrema terræ, & excutiantur impij ex ea?*
Aut tu ſumens terram lutum plaſmaſti animal, & idoneum ad loquendum eum poſuiſti ſuper terram?	14	*Mutatur ſicut lutum ſigilli, & ſtant ſicut veſtimentum.*
Et abſtuliſti ab impiis lucem, & brachium ſuperborum comminuiſti?	15	*Et prohibetur ab impijs lux ipſorum, & brachium excelſum confringitur.*
Aut veniſti ad fontem maris, aut in veſtigiis abyſſi ambulaſti?	16	*Nunquid ingreſſus es vſque ad profunda maris, & in vado voraginis ambulaſti?*
Aut tibi aperiuntur metu portæ mortis, aut ianitores inferni videntes te timuerunt?	17	*Nunquid detectæ ſunt tibi portæ mortis & portas vmbræ mortis vidiſti?*
Aut cognouiſti latitudinem eius quæ ſub cælo? Narra ergo mihi, quantanam ſit,	18	*Nunquid conſideraſti vſque ad latitudines terræ? indica ſi noſti totam ipſam:*
Aut in qua terra habitet lux, aut quis tenebrarum locus:	19	*Vbinam eſt via in qua habitat lux, & tenebrarum vbi eſt locus?*
Si duces me in fines eorum? quod ſi & noſti ſemitas eorum?	20	*Quod acceperis eam in regionem ſuam, & quod intellexeris ſemitas domus eius?*
Noui igitur, quia tunc natus es, & numerus annorum tuorum multus.	21	*Num noſti illud quia tunc natus eſſes, & numerus dierum tuorum multus ſit?*
Aut veniſti in theſauros niuis, aut theſauros grandinis vidiſti?	22	*Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, & theſauros grandinis vidiſti,*
Et repoſita ſunt tibi in tempus inimicorum, in diem bellorum, & pugnæ?	23	*Quem retinui in tempus angustiæ, & in diem belli ac prælij?*
Vnde autem procedit pruina, aut diſpergitur Auſter in eam, quæ ſub cælo?	24	*Et an noſti vbinam ſit via in qua diuiditur exhalatio, quæ ſpargit ventum ſuper terram?*
Quis autem præparauit fluxum validæ pluuiæ, & viam tempeſtatum,	25	*Quis diuiſit inundationi aquæ ductum, & viam fulguri tonitruorum:*
Vt pluat ſuper terram, vbi non eſt vir, deſertum, vbi non eſt homo in eo,	26	*Vt pluat etiam ſuper terram in qua nullus eſt, & ſuper deſertum in quo nemo eſt?*
Vt ſatiet inuiam & inhabitabilem, & vt germinet exitus herbæ virentis?	27	*Vt ſatiet vaſtitatem ac deſolationem, & germinare faciat exitum germinis.*
Quis eſt pluuiæ pater? Et quis eſt, qui peperit glebas roris,	28	*Nunquid eſt ipſi pluuiæ pater? aut quis gignit ſtillas roris?*
Et de cuius vtero procedit glacies, aut pruinam in cælo quis peperit,	29	*De vtero cuius egreditur gelu, & pruinam cœli quis gignit?*
Quæ deſcendit ſicut aqua fluens? Faciem impij quis exterruit?	30	*Inſtar lapidis aquæ abſconduntur, & ſuperficies voraginis congelatur.*
Aut intellexiſti nexum pleiadis, & ſeptum orionis aperuiſti?	31	*Nunquid cohibebis delicias Vergiliarum, aut contractiones Orionis aperies?*
An aperies Mazaroth in tempore ſuo, & veſperum ſuper comam eius duces ea?	32	*Nunquid educes ſigna cœleſtia tempore ſuo? & Arcturum cum filiis ſuis deduces?*
Scis autem commutationes cæli, & aut quæ ſub cælo, ſimul facta?	33	*Nunquid noſti ſtatuta cœli? nunquid pones dominium eius in terra?*
Vocabis autem nubem voce, & tremore aquæ validæ obediet tibi?	34	*Nunquid eleuabis nubi vocem tuam, & multitudo aquarum operiet te?*
Mittes autem fulmina, & ibunt: aut dicent tibi, quid eſt?	35	*Nunquid emittes fulgura, & ibunt: dicentque tibi, Ecce nos?*
Quis autem dedit mulieribus texturæ ſapientiam, aut variegandi ſcientiam?	36	*Quis poſuit in renibus ſapientiam? aut quis dedit intellectui intelligentiam?*
Aut quis eſt, qui numeret nubes ſapientia, & cælum in terram inclinauit?	37	*Quis numerauit cœlos in ſapientia? & quæ deſcendunt de cœlo, quis quieſcere fecit?*
Diffuſus eſt autem, ſicut tera cinis: & agglutinaui eum, ſicut lapide cubum.	38	*Quum dureſceret puluis in duritiam illam, & glebæ ſibi inuicem adhæſerunt?*
Aut venaberis leonibus eſcam, aut animas draconum replebis?	39	★ *Nunquid venaris leoni prædam, & animam leunculorum imples,*

★ Hic incipit c. 39. ſecundũ Vatablum.

Vulgat. Editio.

Quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur?

* Pſal. 146.9. * Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

CAP. XXXIX.

NVmquid noſti tempus partus ibicum in petris: vel parturientes ceruas obſeruaſti?

Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum?

Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

Separantur filij earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit?

Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis.

Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit.

Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.

Numquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum?

Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te?

Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?

Numquid credes illi quod ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris.

Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea?

Obliuiſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat.

Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit nullo timore cogente.

Priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.

Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & aſcenſorem eius.

Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?

Numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror.

Terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis.

Contemnit pauorem, nec cedit gladio.

Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus.

Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem.

Vbi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.

Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum?

Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?

In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.

Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt.

Pulli eius lambent ſanguinem: & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

40 *Quum incuruant ſe in habitaculis, manent in vmbraculo ſuo propter inſidias.*

41 *Quis parauit coruo eſcam eius, quando nati eius ad Deum vociferant, aberrantes eo quod non ſit eſca?*

CAP. XXXIX.

NVnquid noſti tempus quo pariunt ibices petras incolentes: parere facientem ceruas obſeruaſti?

Numeraſti menſes quos impleuerunt, & noſti tempus quo pariunt?

Incuruant ſe, fœtus ſuos conterunt, dolores ſuos emittunt.

Pingueſcunt filij earum, multiplicant ſe foris, egrediuntur & non reuertuntur ad eas.

Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula onagri quis ſoluit?

Cuius poſui in ſolitudine domum, & habitacula eius in ſalſugine.

Deridebit multitudinem ciuitatis, clamores exactoris non audiet.

Exploratio montium, paſcua eius, & poſtea omne virens perquiret.

Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi? Nunquid morabitur iuxta præſepia tua?

Nunquid ligabis Rhinocerotam in ſulco funeſuo: Nunquid agricolabit valles poſt te?

Nunquid confides in eo, quia magna eſt fortitudo eius, & derelinques ei laborem tuum?

Nunquid credes illi quod reddat ſemen tuum? & ad aream tuam congreget?

Alis pauo exultauit. Nunquid pennas ſtrutzioni, & plumas dediſti?

Quia derelinquet in terra oua ſua, & ſuper terram calefaciet ea.

Et obliuiſcitur quod pes diſpergat ea, & beſtia agri conterat ea.

Crudelis fuit pullis ſuis, ac ſi eſſent non ſui. Inuanum eſt labor eius abſque timore.

Quia obliuiſci fecit eam Deus ſapientia, & non impartiuit eſt ei de intelligentia.

Tempore quo in altum eleuauerit ſe: deridebit equum, & aſcenſorem eius.

Nunquid præbebis equo fortitudinem? Nunquid indues collum eius tremore?

Nunquid terrebis eum ſicut locuſtam? ſonitus narium eius terror.

Effodiet in valle, & gaudebit in fortitudine: egredietur in occurſum armorum.

Deridebit pauorem, & non timebit nec reuertetur à facie gladij.

Super eum ſonabit pharetra, ferrum lanceæ & haſtæ.

Cum impetu, & ira effodiet terram, & non credet quod ſit ſonitus buccinæ.

Inter buccinas dicet, euge & à longe odorabitur bellum, commotionem principum, & clamorem.

Nunquid propter intelligentiam tuam volabit accipiter, extendet alas ſuas ad Auſtrum?

Nunquid ad ſe monem tuum eleuabitur aquila, & eleuabit nidum ſuum?

In petra habitabit, & morabitur ſuper dentem petræ, & turrim excelſam.

Inde explorabit eſcam, in longinquum oculi eius aſpicient.

Et pulli eius abſorbebunt ſanguinem, & vbi fuerint occiſi, ibi eſt.

Transl. ex Septuag.

Timuerunt enim in cubilibus, & sedent in siluis insidiantes.

Quis autem præparauit coruo escam? pulli enim eius ad Dominum clamauerunt errantes, cibaria quærentes.

CAP. XXXIX.

SI cognouisti tempus pariendi tragelaphorum petræ, aut partus ceruarum custoditi,

Et numerasti menses earum plenos partus earum, & dolores earum soluisti, & nutristi hinnulos earum sine metu,

Et partus earum emittes, abrumpent filios suos,

Multiplicabuntur in genimine: exibunt & non reuertentur eis.

Quis autem est, qui dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis resoluit?

Posui enim habitationem eius desertum, & tabernacula eius salsuginem:

Irridens multas turbas ciuitatis, & querelam exactoris non audiens:

Considerabit montes pascuam suam, & post omne viride quærit:

Volet autem monoceros seruire tibi; aut dormire super præsepe tuum,

Et alligabis in loris iugum eius, aut ducet sulcos tuos in campo?

Confidis autem in eo; quia multa est virtus eius, & dimittis ei opera tua?

Et credes, quia reddet tibi sementem, & in aream tuam inferet?

Penna lætantium neelassa, si conceperit Asida, & Nessa,

Quod relinquet in terra oua sua, & in puluere calefaciet:

Et oblita est, quia pes disperdet, & bestiæ agri conculcabunt:

Obdurauit filios suos, vt non seipsum: frustra laborauit sine timore:

Quia tacere fecit ei Deus sapientiam, & non partitus est ei in intellectu.

Cum fuerit tempus; in altum exaltabit: irridebit equum, & ascensorem eius.

An tu circundedisti equo virtutem, & induisti collum eius timore,

Et circumposuisti ei armaturam, & gloriam pectorum eius audaciæ:

Fodiens in campo luxuriat, & procedit in campum in virtute:

Occurrens regi deridet, nec se auertet à ferro:

Super ipsum gaudet arcus, & gladius,

Et iracundia euertet terram: nec credet, donec significauerit tuba:

Cum autem tuba significauerit; dicit, euge. Et procul odoratur pugnam cum saltu, & clamore.

Ex tua vero scientia stetit accipiter, expansis pennis immobilis, respiciens quæ ad Austrum?

Atque tuo præcepto exaltatur aquila? aut vultur super nidum suum sedens moratur,

In summitate petræ, & abscondito,

Cum ibi fuerit, quærit escas: longe oculi eius speculantur,

Et pulli eius conspergunturin sanguine: vbicumque autem fuerit cadauera; confestim reperiuntur.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Quum decumbunt in habitaculis, sedentq; in vmbraculo suo propter insidias?

Quis præparat coruo escam ipsius, quando pulli eius ad Deum vociferantur, & errant quod non sit esca?

CAP. XXXIX.

NVnquid nosti tempus quo pariunt ibices? & tempus quo parturiunt ceruæ obseruasti?

Numerasti menses quibus conceptum adimplent? & an nosti tempus quo pariunt?

Incuruant sese, fœtus suos conterunt, dolores suos remittunt.

Attamen conualescunt fœtus earum, crescunt foris: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

Quis emisit onagrum liberum? & vincula onagri quis soluit?

Cuius domum posui in solitudine, & habitacula eius terram salsam?

Deridet multitudinem ciuitatis, clamores exactoris non audit.

Inuestigatio montium, pascua eius, & post omne virens perquirit.

Nunquid volet rhinoceros seruire tibi? an pernoctabit ad præsepe tuum?

Nunquid ligabis rhinocerota in sulco fune suo? nunquid arabit valles post te?

Nunquid confides in eo, quod magna sit fortitudo eius; & derelinques ei laborem tuum?

Nunquid credes illi quod reddat semen tuum, & aream tuæ congreget?

Alis pauo exultat: an penna struthioni, & pluma?

Derelinquit enim in terra oua sua, & super terram calefacit.

Et obliuiscitur quod pes conculcabit ea, & bestia agri conteret illa.

Obliuisci facit illam pullorum suorum, in quo non illi erunt, sed in vanum erit labor eius absque timore.

Quia obliuiscifacit eam Deus sapientiæ, neque impartitus est ei intelligentiam.

Quum tempus fuerit, in altum eleuat sese: tunc deridet equum & ascensorem eius.

Nunquid dedisti equo fortitudinem? nunquid induisti cellum eius tonitru?

Nunquid terrebis illum sicut locustam? robur naris eius terror.

Fodiunt vallem, & gestit fortitudine, egreditur in occursum armorum.

Deridet pauorem, nec formidat, neque reuertitur à facie gladij.

Super eum sonat pharetra, ferrum lanceæ & hastæ.

Cum impetu & ira fodit terram, neque credit quod sit sonitus buccinæ.

Inter buccinas dicit, Euge, & eminus odoratur bellum, commotionem principum, & clamorem.

Nunquid per intelligentiam tuam volat accipiter, & extendit alas suas ad Austrum?

Nunquid ad sermonem tuum eleuat sese aquila? & quum exaltauerit nidum suum,

In petra habitat, habitat inquam in prominentia petræ & arcis.

Illinc explorat escam, eminus oculi eius contemplantur.

Pulli quoque eius absorbent sanguinem: & vbi fuerint cadauera, illic est.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob:	31	*Et respondit Dominus ad Iob, & dixit.*
Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcit? vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.	32	*Nunquid contendere cum Omnipotente eſt eruditio? Diſputans cum Deo, reſpondeat ei?*
Reſpondens autem Iob Domino, dixit:	33	*Et respondit Iob Domino, & dixit.*
Qui leuiter locutus ſum, reſpondere quid poſſum? manum meam ponam ſuper os meum.	34	*Ecce contemptibilis ſum, quid reſpondebo tibi? manum meam poſui ori meo.*
Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem: & alterum, quibus vltra non addam.	35	*Semel locutus ſum, & non reſpondebo: & ſecundo, & non addam.*
CAP. XL.		*CAP. XL.*
Reſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit:	1	*Et reſpondit Dominus ad Iob de turbine, & dixit.*
Accinge ſicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.	2	*Accinge nunc ſicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & ſcire fac me.*
Nunquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, vt tu iuſtificeris?	3	*Nunquid etiam diſſipabis iudicium meum, impium facies me, vt iuſtificeris?*
Et ſi habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas?	4	*Et nunquid brachium ſicut Deo eſt tibi, & ſonitu ſicut ipſe tonabis?*
Circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus.	5	*Orna te nunc celſitudine, & ſublimitate, & gloriam, & decorem indue te.*
Diſperge ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantem humilia.	6	*Diſperge iras furoris tui, & vide omnem ſuperbum, & humilia eum.*
Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos: & contere impios in loco ſuo,	7	*Vide omnem ſuperbum, incuruare fac eum, & contere impios in loco ipſorum.*
Abſconde eos in puluere ſimul, & facies eorum demerge in foueam:	8	*Abſconde eos in puluere ſimul, facies eorum alliga in abſcondito.*
Et ego confitebor, quod ſaluare te poſſit dextera tua.	9	*Et ego etiam confitebor tibi, quod ſeruet te dextera tua.*
Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.	10	*Ecce nunc Behemoth quem feci tecum, herbam veluti bos comedet.*
Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.	11	*Ecce nunc potentia eius in lumbis eius eſt, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius.*
Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.	12	*Velociter mouebit caudam ſuam, quæ eſt ſicut cedrus, nerui teſticulorum eius perplexi.*
Oſſa eius velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ.	13	*Oſſa eius* maiora fortia ſunt vt *baculi æri*, minora *oſſa eius ſicut virga ferrea.*
Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius.	14	*Ipſe principium viarum Dei, qui fecit eum applicabit ei gladium ſuum.*
Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ludent ibi.	15	*Quia germen montes afferent ei, & omnis beſtia agri ludent ibi.*
Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.	16	*Sub arboribus vmbriferis dormiet in ſecreto calami, & limo.*
Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum ſalices torrentis.	17	*Tegent eum arbores vmbrifera vt ſint vmbra eius, circundabunt eum ſalices torrentis.*
Ecce, abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.	18	*Ecce rapiet fluuium, & non feſtinabit, confidit quod educat Iardenad os ſuum.*
In oculis eius quaſi homo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius.	19	*Oculis ſuis tollet eum, laqueis perforabit nares.*
An extrahere poteris leuiathan hamo, & funem ligabis linguam eius:	20	*Num extrahes Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?*
Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius?	21	*Nunquid pones hamum in naribus eius, & ſpina perforabis maxillam eius?*
Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?	22	*Nunquid multiplicabit ad te preces? Nunquid loquetur ad te mollia?*
Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum?	23	*Nunquid feriet fœdus tecum, accipies eum in ſeruum perpetuum?*
Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?	24	*Nunquid ludes cum eo ſicut cum aue, & ligabis eum puellis tuis?*
Concident eum amici, diuident illum negotiatores?	25	*Nunquid cœnabunt ſuper eum ſocij, diuident illum inter ſe negociatores?*

Transl. ex Septuag.

Et respondit Dominus Deus ad Iob & dixit: 31

Numquid iudicium cum Omnipotente declinat? Et arguens Deum respondebit. 32
Respondens autem Iob dicit Domino: 33

Quid adhuc ego iudicor, commonitus, & arguens Dominum, audiens talia, cum nihil sim? Ego vero quod responsum dabo ad hæc? manum ponam ad os meum: 34
Semel locutus sum: & iterum non adijciam. 35

CAP. XL.

ADhuc autem respondens Dominus dixit ad Iob de nube: 1
Nequaquam: sed accinge, sicut vir lumbum tuum: interrogabo autem te: & tu mihi responde: 2
Ne repellas iudicium meum. Putas autem me aliter tibi respondisse, quam vt appareas iustus? 3

Numquid brachium tibi est contra Dominum, aut voce contra eum tonas? 4
Assume nunc altitudinem, & virtutem; gloriam vero, & honorem induere. 5

Mitte autem Angelos ira, & omnem contumeliosum humilia, 6
Et superbum extingue, & corrumpe impios statim: 7
Absconde autem in terra simul, & facies eorum imple ignominia, 8
Confitebor quod potest dextera tua saluare. 9

Verum vtique ecce bestiæ apud te, fœnum sicut boues comedunt. 10

Ecce vtique fortitudo eius in lumbo, & virtus eius super vmbilico ventris: 11
Erexit caudam sicut cupressum; & nerui eius complicati sunt: 12
Costæ eius, costæ æneæ, & spina eius ferrum fusile: 13
Hoc est principium formationis Domini, factum, vt illuderetur ab Angelis eius: 14
Aduenies autem ad montem præruptum fecit lætitiam quadrupedibus in tartaro: 15
Sub omnigenis arboribus dormit iuxta papyrum, & calamum, & carectum: 16
Obumbrant autem in eo arbores magnæ cum ramis, sarmenta agri: 17

Si fuerit inundatio, non sentiet: confidit, quia subibit Iordanis in os eius: 18
In oculo suo capiet eum: intortus forabit nasum 19

Duces autem draconem in hamo, & circumpones capistrum circa nasum eius? 20
Aut ligabis circulum in naribus eius, & armilla terebrabis labium eius? 21
Loquetur autem tibi prece, supplicatione molliter: 22
Ponet autem tecum testamentum? accipies autem eum seruum tempiternum? 23
Ludes autem in eo, sicut aui? aut ligabis eum, sicut passerem puero? 24
Pascuntur autem in eo gentes: partiuntur autem eum gentes Phœnicum? 25

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Respondit autem Iehouah ad Iob, ac dixit,

Nunquid contendere cum Omnipotente est eruditio? disputans cum Deo, respondeat ad illud.
Tunc respondit Iob Iehouæ, ac dixit,

Ecce contemptibilis sum, quid respondebo tibi? manum meam apposui ori meo.

Semel loquutus sum, nec respondebo vltra: ac secundo, nec addam.

CAP. XL.

RESpondit itaque Iehouah ipsi Iob è turbine, & dixit.
Accinge nunc sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & notifica mihi.
Nunquid etiam dissipabis iudicium meum, & condemnabis me vt iustificeris?

Et an est tibi brachium sicut Deo, & voce sicut ille tonabis?
Orna te nunc celsitudine: & sublimitate, gloriaq; ac decore indue te:

Disperge furores iræ tuæ, & vide omnem superbum, & humilia eum:
Vide inquam omnem superbum, & deprime illum, & contere impios in loco suo:
Absconde eos in puluere simul, facies eorum liga in abscondito:
Et ego etiam fatebor tibi quod seruet te dextera sua.

Ecce nunc Behemoth, quem feci tecum, herbam tanquam bos comedit.

En nunc potentia eius in lumbis eius est, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius.
Celeriter mouet caudam suam, quæ est sicut cedrus, nerui testiculorum eius perplexi sunt.
Ossa eius, baculi æret, ossa inquam eius sicut virga ferrea.
Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit ei gladium suum.
Profecto germen montes fuerunt ei, & omnis bestia agri ludunt ibi.
An sub arboribus iacet? in secreto calami & limo?

An tegent eum arbores, vt sint vmbra eius? circundabunt eum salices torrentis?

En rapiet fluuium, ita vt non festinet, confidit quod educet Iarden in os suum.
Oculis suis tollit illum, & offendiculis perforat nasum.
Num extrahes liuiathan hamo, & fune, quem demerseris ad linguam eius?
Nunquid pones hamum in naribus eius, & spina perforabis maxillam eius?
Nunquid multiplicabit ad te preces? numquid loquetur ad te mollia?
Nunquid feriet fœdus tecum, atque accipies eum in seruum perpetuum?
Nunquid ludes eo tanquam aue, & ligabis eum puellis tuis?
Nunquid cœnabunt propter illum socij, diuidentur illum inter negotiatores?

Vulgat. Editio.

Numquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius? 26

Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec vltra addas loqui. 27

Ecce, ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. 28

CAP. XLI.

NOn quaſi crudelis ſuſcitabo eum: quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? 1

Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt. 2

Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. 3

Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? 4

Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. 5

Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus. 6

Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas: 7

Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur. 8

Sternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. 9

De ore eius lampades procedunt, ſicut tedæ ignis accenſæ. 10

De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruentis. 11

Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. 12

In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egeſtas. 13

Membra carnium eius cohærentia ſibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. 14

Cor eius indurabitur tamquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. 15

Cum ſublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. 16

Cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit neque haſta, neque thorax: 17

Reputabit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum, æs. 18

Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. 19

Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. 20

Sub ipſo erunt radij ſolis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum. 21

Feruefcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt. 22

Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem. 23

Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. 24

Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. 25

CAP. XLII.

REſpondens autem Iob Domino, dixit: 1

Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. 2

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Nunquid ſuccides cultris pellem eius, & cultro piſcatorio caput eius? 26

Pone ſuper eum manus tuas: memento belli ne addas illud memorare. 27

Ecce ſpes ponentis manum ſuam ſuper *eum mentita eſt. Nonne etiam ad aſpectum eius proijcietur* homo ad terram? 28

CAP. XLI.

NOn eſt fortis qui ſuſcitet eum, & quis eſt qui coram me ſtet? 1

Quis præceſſit me, & perficiam? quod eſt ſub omni cælo meum eſt. 2

Non ſilebo membra eius, & verbum fortitudinum, & gratiam diſpoſitionis eius. 3

Quis detexit faciem indumenti eius, cum duplici fræno ſuo quis veniet, ad aperiendum os eius? 4

Portas faciei eius quis aperuit? Per gyrum dentium eius eſt formido. 5

Squamæ fortes ſunt vt ſcuta, clauſa eſt ſingula clauſura arcta. 6

Vna alteri appropinquat, & ventus non ingredietur inter eas. 7

Vnaquæque alteri iungitur, capiunt ſe, & non ſeparantur. 8

Sternutationibus eius accendetur ignis, & oculi eius vt ſplendores auroræ. 9

De ore eius lampades ibunt, ſcintillæ ignis egredientur. 10

E naribus eius egredietur fumus, ſicut ab olla ſuccenſa, & aheno. 11

Halitus eius prunas ardere faciet, & flamma de ore eius egredietur. 12

In collo eius morabitur fortitudo, & ante eum vertetur in letitiam dolor. 13

Particulæ carnis eius cohærent, fortis eſt vnaquæque *in eo non mouebitur.* 14

Cor eius forte eſt ſicut lapis, & forte eſt ſicut lapis molaris inferior. 15

A magnitudine eius timebunt fortes, à contritionibus purgabunt ſe. 16

Qui attigerit eum gladio non ſtabit haſta, lapis manu iaculatus, & lorica non ſtabunt. 17

Reputabit vt paleam ferrum, vt lignum putridum æs. 18

Non fugabit eum ſagitta, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. 19

Sicut ſtipula reputata ſunt tela, & deridebit vibrationem haſtæ. 20

Sub eo ſunt petræ acutæ teſtaceæ, ſternet quod eſt acutum ſuper lutum. 21

Feruere faciet veluti ollam profundum, mare ponet vt vas vnguentarium. 22

Poſt eum lucebit ſemita, reputabit voraginem veluti virum canum. 23

Non eſt ſuper terram ei comparabile, qui factus eſt vt non timeat. 24

Omne ſublime deſpiciet, ipſe eſt rex ſuper omnes natos magnos & fortes. 25

CAP. XLII.

ET reſpondit Iob Domino, & dixit. 1

Noui quod omnia potes, & non prohibebitur à te cogitatio. 2

Transl. ex Septuag.

Omne nauigans conueniens non ferent pellem vnã caudæ eius: & in nauigiis piscatorũ caput eius.
Impones autem ei manum, recordatus belli, quod fit in corpore eius: & non vltra fiat.

CAP. XLI.

NOnne audisti eum? nonne super iis, quæ dicuntur, miratus es? Non timuisti, quia paratus est mihi?
Quis est enim, qui mihi ex aduerso steterit? vel quis resistet mihi, & sustinebit? si vniuersa quæ sub cælo, mea est,
Non tacebo propter eum: & rationem virtutis miserebitur æqualem sibi.
Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in rugam pectoris eius quis vtique ingrediatur?
Portas faciei eius quis aperiet, in circuitu dentium eius timor:
Interiora eius, scuta ænea, & colligatio eius, sicut lapis smyrites:
Vnus vni conglutinantur: spiritus autem non transibit eum:
Vir fratri suo agglutinabitur: cohærent, & non diuellentur: in
Sternutamento eius effulget lumen; & oculi eius species Luciferi:
De ore eius egrediuntur quasi lampades accensæ, & proijciuntur, sicut scintillæ ignis:
De naribus eius egreditur fumus camini accensi igne carbonum.
Anima eius carbones; & flamma de ore eius procedit:
In collo autem eius habitat potentia; ante eum currit perditio:
Carnes autem corporis eius sunt agglutinatæ: effundit super eum, non commouebitur:
Cor eius induratum est, vt lapis: stetit autem, sicut incus immota:
Cum se autem verterit: timor bestiis quadrupedibus super terram saltantibus:
Si occurrerint ei lanceæ; nihil facient; hastam, & thoracem.
Nam ferrum quidem putat paleas, æs autem sicut lignum putridum:
Non vulnerabit eum arcus æneus: putat autem machinam petras iacientem fœnum:
Sicut calamus, reputati sunt mallei: & deridet concussionem igniferam:
Lectus eius, obelisci acuti: & omne aurum maris sub eo, sicut lutum inenarrabile:
Feruere facit abyssum, tanquam officinam ærariam: putat autem mare, tanquam vas vnguentarium; & tartarum abyssi, tanquam captiuum:
Reputauit abyssum in deambulatorium:
Nihil est super terram simile ei, factum, vt illudatur ab Angelis meis:
Omne sublime videt: ipse autem, rex omnium, quæ in aquis.

CAP. XLII.

REspondens autem Iob dicit Domino:
Noui quod omnia potes: & nihil tibi est impossibile.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

Nunquid succides cultris pellem eius, & cultro piscatorio caput eius?
Pone super eum manum tuum: non addes meminisse prælij.
Ecce spes illius mendax est: Nonne etiam ad aspectum eius prosternitur.

CAP. XLI.

NEmo est tam audax qui suscitet eum: & quis est qui coram me stet?
Quis præcessit me, & perfeci? quicquid est sub cælo, meum est.
Non silebo membra eius, & statum virium, atque gratiam dispositionis eius.
Quis detexit faciem indumenti eius? cum duplici fræno eius quis accedet?
Ostia faciei eius quis aperuit? in circuitu dentium eius est terror.
Res magnifica fortia scutorum, clausum est vnumquodque clausula arcta:
Vnum alteri appropinquat, & ventus non ingreditur inter illa:
Vnum alteri iungitur, ttinent sese, & non separantur.
Sternutationibus eius accenditur ignis, & oculi eius vt palpebræ auroræ.
De ore eius lampades procedunt, scintillæ ignis egrediuntur.
E naribus eius egreditur fumus, sicut ex olla feruente, aut aheno.
Halitus eius prunas accendit, & flamma de ore eius egreditur.
In collo eius moratur fortitudo, & ante eum vertitur in lætitiam tristitia.
Particulæ carnis eius cohærent, fortis est in eo & non commouetur.
Cor eius firmum est sicut lapis, est inquam firmum sicut mola inferior.
A maiestate eius timent fortes, & à contritionibus purgant sese.
Qui attigerit eum gladio non permanebit, hasta, telum, & lorica.
Reputat vt paleam ferrum, vt lignum putridum æs.
Non fugat eum sagitta: in stipulam vertuntur ei lapides funditæ.
Sicut stipula reputantur tela, & deridet vibrationem hastæ.
Sub eo sunt acutæ testæ, sternit sibi rem acutam in luto.
Feruere facit veluti ollam, profundum: mare ponit sicut ollam pigmenti.
Post se lucere facit semitam: reputabit voraginem canitiem.
Non est super terram ei simile, quam fecerit sine pauore.
Omne sublime despicit, est rex super omnes elatos.

CAP. XLII.

REspondit autem Iob Iehouæ, ac dixit,
Noui quod omnia potes, neque prohibetur à te cogitatio.

Vulgat. Editio.

Quis est iste, qui celat consilium absque scientia ideo insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.

Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi.

Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.

Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.

Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut seruus meus Iob.

Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob.

Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.

Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quam principio. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.

Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.

Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.

Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra: deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

Vixit autem Iob post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem. Et mortuus est senex, & plenus dierum.

(∴)

(.) (··)

(∵)

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

3 *Quis est iste qui occultat consilium absque scientia? ideo annunciaui, & non intelligam, occulta sunt à me & non sciam.*

4 *Audi quæso, & loquar: interrogabo te, & scire fac me.*

5 *Ad auditum auris audiui te, & nunc oculus meus vidit te.*

6 *Idcirco reprehabo quod male dixi, & respiscam in puluere, & cinere.*

7 *Et fuit postquam locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit dominus ad Eliphaz Themanitem. Iratus est furor meus contra te, & duos amicos tuos, quia non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.*

8 *Et nunc sumite septem vitulos, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob. & offerte holocaustum pro vobis: Et Iob seruus meus orabit pro vobis: faciem enim eius suscipiam, vt non faciam vobiscum punitionem stultitiæ vestræ, quia non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.*

9 *Et abierunt Eliphaz Themanites, & Bildad Suchites, Sophar Nahamatites, & fecerunt sicut locutus est ad eos Dominus, & suscepit Dominus faciem Iob.*

10 *Et Dominus conuersus est ad conuersionem Iob cum oraret ipse pro amicis suis, & auxit omnia quæ fuerant Iob in duplum.*

11 *Et venerunt ad eum omnes fratres eius, & omnes sorores eius, & omnes qui nouerãt eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius: & commoti sunt super eum & consolati sunt eum super omne malum, quod adduxerat Dominus super eum: Et dederunt ei vnusquisque pecudem, & vnusquisque inaurem auream vnam.*

12 *Et dominus benedixit nouissimo Iob magis quam principio eius. Et fuerunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.*

13 *Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.*

14 *Et vocauit nomen vnius Iemimah, & nomen secundæ Chesihah, & nomen tertiæ Cherenhaphuc.*

15 *Et non inuentæ sunt mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in omni terra, & dedit eis pater earum hæreditatem in medio fratrum suorum.*

16 *Et vixit Iob post hoc centum & quadraginta annos, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum in quattuor generationes. Et mortuus est Iob senex, & saturus dierum.*

(...)

(∴) (∴)

(∴)

Transl. ex Septuag.

Quis enim est,qui celat te consilium? parcens autem verbis, & te putat celare? quis autem annunciabit mihi,quæ non noui, magna & mirabilia,quæ nescium?

Verum audi me Domine,vt & ego loquar: interrogabo autem hoc, & tu doce me:

Auditu enim auris audiui te antea: nunc autem oculus meus vidit te.

Quamobrem spreui me ipsum,& extabui: putaui autem me terram,& cinerem.

Factum est autem, postquam Dominus locutus est omnia verba hæc ad Iob; dixit Dominus ad Eliphaz Thæmanitem. Peccasti tu, & duo amici tui: non enim locuti estis coram me verum quippiam, sicut famulus meus Iob:

Nunc autem sumite septem vitulos, & septem arietes,& ite ad famulum meum Iob, & faciet holocaustum pro vobis:& Iob famulus meus precabitur pro vobis: quoniam non nisi faciem eius accipiam: nam nisi propter ipsum;perdidissem vtiq; vos: non enim locuti estis verum contra famulum meū Iob.

Iuit autem Eliphaz Thæmanites, & Baldad Sauchites,& Sophar Minæus,& fecerunt,sicut præcepit eis Dominus:& soluit peccatum eis propter Iob.

Dominus autem auxit Iob: & cum ille precatus etiam esset pro amicis suis; dimisit eis peccatum. Dedit autem Dominus dupla, quæcumque erant antea Iob in duplicationem.

Audierunt autem omnes fratres eius, & sorores eius, quæcumque acciderant ei, & venerunt ad eum,& omnes, quicumque nouerant eum à principio: comedentes autem, & bibentes apud eum consolati sunt eum, & mirati sunt super omnibus,quæ induxit super eum Dominus. Dedit autem ei vnusquisque agnum vnum, & tetradrachmum auri,& non signati.

Et benedixit Dominus nouissima Iob præ iis quæ antea:& fuerunt pecora eius, oues decies, & quater mille: cameli sexies mille, iuga boum mille, asinæ fœminæ pascuales mille.

Et nascuntur ei filij septem,& filiæ tres:

Et primam quidem vocauit diem, & secundam Casiam,& tertiam cornu amalthææ.

Et non sunt inuentæ iuxta filias Iob meliores eis in ea quæ sub cælo. Dedit autem eis pater hæreditatem inter fratres.

Et vixit Iob post plagam annos centum septuaginta: omnes autem annos vixit ducentos quadraginta. Et vidit Iob filios suos, & filios filiorum suorum,quartam generationem:& mortuus est Iob senior,& plenus dierum.* Scriptum est autem ipsum rursus resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus. Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco, in terra quidem Ausitide habitans in finibus Idumææ, & Arabiæ: & erat ei nomen Iobab. Cum autem accepisset vxorem Arabissam;generat filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipse ex patre quidem Zare de filiis Esau filius, matris autem Bosorræ:ita vt ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt reges,qui regnauerunt in Edom:cuius regionis etiam ipse dominatus est:primus Balac filius Beor: & nomen ciuitatis eius Dennaba:post Balac autem Iobab, qui vocatur Iob: post hunc autem Asom, qui erat dux ex regione Thæmanitidæ: post hunc autem Adad filius Barad, qui excidit Madiam in campo Moab: & nomen ciuitatis eius Gethæm. Amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Esau Thæmanorum rex,Baldad tyrannus Sauchæorum, Sophar rex Minæorum.

* Quæ sequuntur nō habentur neque in hebræo textu, neque in nostra vulgata & videtur ex c. 36. lib. Genes. ma iori ex parte desumpta.

Noua ex Heb. Tralat. Fr. Vatabli.

3 *Quis est iste qui occultat consilium absque scientia? propterea annuntiani, & non intelligebam: occultata erant à me, nec sciebam.*

4 *Audi quæso, & loquar: interrogabo te, & notifica mihi.*

5 *Auditu auris audieram te, nunc autem oculus meus videt te.*

6 *Idcirco abijcio, & pœnitet me in puluere, & cinere.*

7 *Fuit autem posteaquam loquutus est Iehouah verba ista ad Iob, dixit Iehouah ad Eliphaz Themanitem, Exarsit ira mea contra te, & duos socios tuos, quia non estis loquuti de me rectum, sicut seruus meus Iob.*

8 *Nunc igitur sumite vobis septem vitulos, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, atque offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem enim eius suscipiam, ne afficiam vos ignominia: quia non locuti estis de me rectum, sicut seruus meus Iob.*

9 *Itaque abierunt Eliphaz Themanites, & Bildad Suhites, Sophar Naamathites: feceruntq; sicut loquutus est eis Iehouah: & suscepit Iehouah faciem Iob.*

10 *Et Iehouah conuertit captiuitatem Iob dum oraret ipse pro amicis suis: atque auxit omnia quæ fuerant Iob in duplum.*

11 *Conuenerunt autem ad eum omnes fratres eius, & omnes sorores eius, ac quotquot nouerant eum prius: comederuntq; cum ipso panem in domo eius: & commoti sunt super eum, atque consolati sunt eum super omni illo malo quod induxerat Iehouah super eum: dederunt quoque ei quisque pecudem vnam, & quisque inaurem auream vnam.*

12 *Iehouah præterea benedixit nouissimo Iob magis quam principio eius: fuerunt namque illi quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, mille item iuga boum, ac mille asinæ.*

13 *Fuerunt & illi septem filij, & tres filiæ.*

14 *Vocauit autem nomen vnius Iemimah, nomen vero secundæ Cesiah, & nomen tertiæ Ceren-haphuch.*

15 *Nec inuentæ sunt mulieres ita formosæ sicut filiæ Iob in tota terra: dedit autem illis pater earum possessionem in medio fratrum suorum.*

16 *Cæterum vixit Iob post hoc, centum & quadraginta annos: & vidit filios suos, ac filios filiorum suorum vsque ad quattuor generationes.*

17 *Mortuus & est Iob senex, & satur dierum.*

(...)

(..) (..)

(..)

LIBRI PSALMORVM.

Vulgat. Editio.

Psal. I.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,& in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: 1

* Sed in lege Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte. 2

* Ioſ. 1.8.

* Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum,quod fructum suum dabit in tempore suo: 3

* Ier. 17.8.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet,prosperabuntur.

Non sic impij,non sic:sed tamquam puluis,quem proijcit ventus à facie terræ. 4

Ideo non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum, 5

Quoniam nouit Dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit. 6

Psal. II.

QVare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? 1

Act. 4. 25.

Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. 2

Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. 3

Qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus subsannabit eos. 4

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. 5

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. 6

* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 7

* Act. 13. 33. Hebr. 1. 5.&5.5.

Postula à me: & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam terminos terræ. 8

Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. 9

* Et nunc reges intelligite:erudimini qui iudicatis terram. 10

* Apo. 2.27. & 19.15.

Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. 11

Apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus,& pereatis de via iusta. 12

Cum exarserit in breui ira eius,beati omnes, qui confidunt in eo. 13

Psalmus Dauid,cum fugeret à facie Absalom filij sui. 2.*Reg.* 15. 14. III. 1

DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. 2

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius. 3

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea,& exaltans caput meum. 4

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo. 5

Ego dormiui,& soporatus sum:& exurrexi, quia Dominus susceptit me. 6

Non timebo millia populi circundantis me:exurge Domine,saluum me fac Deus meus. 7

LIBRI TEHILLIM.

Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.

Psal. I.

BEatus vir qui non ambulauit in consilium impiorum,& in via peccatorum non stetit, & in cathedra deriſorum non sedit.

Sed in lege Domini, voluntas eius,& in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Et erit sicut arbor plantata secus riuos aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo,

Et folium eius non decidet, & omne quod faciet, prosperari faciet.

Non sic impij,sed tanquam gluma, quam proijciet ventus.

Ideo non stabunt impij in iudicio, neque impij in congregatione iustorum.

Quoniam scit Dominus viam iustorum: & via impiorum peribit.

Psal. II.

VT quid congregabunt se gentes,& populi meditabuntur inane?

Astabunt reges terræ,& principes consiliabuntur pariter,aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis funes eorum.

Habitans in cœlis ridebit, Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in furore suo, & in ira sua terrebit eos.

Et ego constitui regem meum super Sijon,montem sanctum meum:narrabo præceptum,

Dominus dixit ad me: Filius meus es, ego hodie genui te.

Postula à me:& dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Conteres eas virga ferrea,sicut vas figuli confringes eas.

Et nunc reges intelligite:erudite vos iudices terræ.

Seruite Domino in timore,& exultate in tremore.

Osculamini filium,ne forte irascatur, & pereatis in via,

Quum exarserit paululum furor eius, beati omnes qui sperant in eo.

Canticum Dauid cum fugeret à facie Absalom filij sui. Psal.III.

DOmine valde multiplicati sunt hostes mei,multi surgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ei in Deo Selah.

Et tu Domine clypeus es pro me, gloria mea, & exaltas caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sanctitatis sui, Selah.

Ego accubui,& dormiui, & euigilaui, quia Dominus sustentauit me.

Non timebo à decem millibus populi, qui circunquaque pugnauerunt aduersum me: surge Domine serua me Deus mi.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.	8	*Quia percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum confregisti.*
Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.	9	*Domini est salus, super populum tuum benedictio tua.*
In finem in carminibus, Psalmus Dauid. IIII.	1	*Victori in Psalmis Dauidi. Psalm. IIII.*
CVm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.	2	*CVm inuocauero exaudi me Deus iustitiæ meæ, in angustia dilatare fecisti locum mihi,*
Miserere mei, & exaudi orationem meam.		*Miserere mei, & audi orationem meam.*
Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?	3	*Filij viri, vsquequo gloriam meam vertetis in ignominiam, diligetis inane, quæretis mendacium, Selah.*
Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.	4	*Et scitote, quoniam segregare fecit Dominus misericordem sibi, Dominus exaudiet, cum clamauero ad eum.*
* Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.	5	*Pauete, & ne peccetis, dicite in corde vestro, super cubili vestro, & tacete: Selah.*
Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino, multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?	6	*Sacrificate sacrificia iustitiæ, & confidite in Domino, multi dicunt: Quis videre faciet nos bonum?*
Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.	7	*Eleua super nos lucem vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.*
A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.	8	*A tempore quo frumentum eorum, & vinum nouum eorum multiplicata sunt.*
In pace in idipsum dormiam, & requiescam;	9	*In pace pariter accubabo, & dormiam,*
Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.	10	*Quia tu Dominus solummodo confidenter habitare facies me.*
In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus Dauid. V.	1	*Victori super Hannechiloth. Canticum Dauid. V.*
VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.	2	*ELoquia mea auribus percipe Domine, intellige locutionem meam.*
Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.	3	*Attende voci clamoris mei, rex mi, & Deus mi.*
Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam.	4	*Quoniam ad te orabo. Domine mane audies vocem meam,*
Mane astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.	5	*Mane præparabo tibi orationem, & speculabor: quia non Deus volens impietatem es,*
Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos	6	*Non habitabit iuxta te malus: non stabunt stulti coram oculis tuis,*
Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.	7	*Odisti omnes operantes iniquitatem: perdes loquentes mendacium,*
Virum sanguinũ & dolosum abominabitur Dominus: * ego autẽ in multitudine misericordiæ tuæ	8	*Virum sanguinolentum, & fraudulentum abominabitur Dominus: * & ego in multitudine misericordiæ tuæ,*
Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.		*Introibo domum tuam, incuruabo me templo sancto tuo in timore tuo.*
Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.	9	*Domine duc me in iustitia tua, propter inimicos meos, dirige coram me viam tuam.*
Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.	10	*Quoniam non est in ore eorum rectum, intimum eorum prauitates,*
* Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus.	11	*Sepulchrum patens guttur eorum, linguam suam blandiantur, Desolare fac eos Deus,*
Decidant à cogitationibus suis secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.		*Cadant à consilijs suis propter multitudinem præuarricationum eorum, expellere fac eos, quoniam rebellauerunt contra te.*
Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis.	12	*Et lætabuntur omnes qui sperant in te, in sæculum laudabunt, & operire facies eos,*
Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices iusto.	13	*Et exultabunt in te, qui diligunt nomen tuum: * quia tu benedices iusto.*
Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.		*Domine, vt scuto voluntate coronabis eum.*
In finem in carminibus, Psalmus Dauid, pro octaua. VI.	1	*Victori in Psalmis super octauam Canticum Dauidi. VI.*
DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me,	2	*DOmine ne in furore tuo arguas me, & ne in ira tua corripias me.*
Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniã conturbata sunt ossa mea.	3	*Miserere mei, quoniam debilis sum sana me Domine, quoniam territa sunt ossa mea.*

* Eph. 4. 26.

* Inf. 13. 5. Ro. 3. 13.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?	4	*Et anima mea territa est valde, & tu Domine vsquequo* conteres me?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam,	5	*Reuertere Domine, eripe animam meam, serua me propter misericordiam tuam.*
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?	6	*Quoniam non est in morte memoria tui, in sepulchro, quis confitebitur tibi?*
Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.	7	*Laboraui in gemitu meo, natare feci omni nocte lectum meum in lachrymis meis, stratum meum liquefeci.*
Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.	8	*Caligauit præ ira oculus meus, inueterauit propter omnes inimicos meos.*
✱ Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocē fletus mei.	9	*Recedite à me omnes operantes iniquitatem: quoniam audiuit Dominus vocem fletus mei.*
Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.	10	*Audiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.*
Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.	11	*Pudore afficientur, & terrebuntur valde omnes inimici mei, conuertentur, pudore afficientur subito.*
✱ Mat. 7.23. & 25.41. Luc. 13 27.		
Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini. (2. Reg. 16.) VII.	1	*Sighaion Dauid quod cecinit Domino super verba Chus fily Iemini. VII.*
DOmine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.	2	*DOmine Deus meus in te speraui, serua me ab omnibus persequentibus me, & eripe me.*
Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.	3	*Ne forte rapiat, vt leo animam meam, laceret, & non sit qui eruat.*
Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.	4	*Domine Deus mi, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*
Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.	5	*Si retribui pacifice degenti mecum malum, qui eru hostem meum gratis.*
Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.	6	*Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem collocet, Selah.*
Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.	7	*Surge Domine in furore tuo, eleua te propter indignationes hostium meorum.*
Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te.	8	*Et suscita te mihi in iudicio quod præcepisti: & congregatio populorum circundabit te,*
Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.	9	*Et propter eam in altitudinem reuertere: Dominus iudicabit populos.*
Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.		*Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum perfectionem meam quæ est in me.*
Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum, ✱ scrutans corda & renes Deus.	10	*Consumet nunc malum impios, & stabilies iustum tu qui probas corda, & renes Deus iuste.*
✱ 1. Par. 28.9. Ier. 11. 20. & 17. 10. & 20.12		
Iustum ✱ adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde.	11	*Clypeus meus est Deus, qui seruat rectos corde.*
Deus iudex iustus, fortis, & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?	12	*Deus iudicat iustum, & Deus irascitur impio die.*
Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.	13	*Nisi conuersus fuerit gladium suum acuit, arcum suum tetendit, & parauit illum.*
Et in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.	14	*Et ei parare fecit vasa mortifera, sagittas suas in persequentibus operatus est.*
✱ Isa. 59.4. Iob 15. 35. ✱ Ecce parturiit iniustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.	15	*Ecce parturiuit iniquitatem, & concepit peruersitatem, & peperit mendacium.*
Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.	16	*Cisternam fodit, & effodit eam, & cadet in foueam quam operatus est.*
Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.	17	*Conuertetur peruersitas eius in caput eius & super verticem eius, iniquitas eius descendet.*
Confitebor Domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi.	18	*Confitebor Domino, secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini altissimi.*
In finem pro torcularibus, Psalmus Dauid. VIII.	1	*Victori super Haghithith, Psalmus Dauid. VIII.*
DOmine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!	2	*DOmine Domine noster, quam grande est nomen tuum in vniuersa terra,*
Quoniã eleuata est magnificentia tua, super cœlos.		*Qui posuisti gloriam tuam super cœlos.*
Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.	3	*Ex ore paruulorum, & lactentium fundasti fortitudinem propter inimicos tuos, vt cessare faceres inimicum, & vltorem.*

Quæ diuerso caractere ponuntur deesse ab Hebræo adnotauimus in libro Iob & addita à Pagnino ad declarationem idē cognoscas quoties id videris etiā in Psalterio.

Vulgat. Editio.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. 4

Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? 5

Heb. 2. 7. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: ✶ & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. 6 7

Gen. 1 28. 1. Cor. 15. 26. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas: inſuper & pecora campi. 8

Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. 9

Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! 10

In finem pro occultis filij, Pſalmus Dauid. IX. 1

CONfitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. 2

Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime, 3

In conuertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua. 4

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam. 5

Increpaſti Gentes, & periit impius: nomen eorum deleſti in æternum, & in ſæculum ſæculi. 6

Inimici defecerunt framææ in finem: & ciuitates eorum deſtruxiſti. 7

Periit memoria eorum cum ſonitu: ✶ & Dominus in æternum permanet. 8

Parauit in iudicio thronum ſuum: ✶ & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia. 9

Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. 10

Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. 11

Pſallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter Gentes ſtudia eius: 12

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum. 13

Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. 14

Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. 15

Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt Gentes in interitu, quem fecerunt. 16

In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. 17

Conuertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliuiſcuntur Deum. 18

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. 19

Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur Gentes in conſpectu tuo: 20

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt. 21

Pſal. X. ſecundum Hebr.

Vt quid Domine receſſiſti longe, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? 1

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant. 2

Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ: & iniquus benedicitur. 3

Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. 4

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Quoniam videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam, & ſtellas quas præparaſti. 4

Quid eſt homo, quod recorderis eius, & filius hominis, quod viſites eum? 5

Et deficere feciſti eum paululum ab angelis, & gloria & decore coronabis eum. ✶ *Dominari facies eum operibus manuum tuarum.* 6 7

Omnia poſuiſti ſub pedibus eius, pecudes, & boues, vniuerſa ipſa: & etiam beſtias agreſtes. 8

Volucres cœli, & piſces maris, tranſeuntem ſemitas marium. 9

Domine Domine noſter, quam grãde eſt nomen tuum, in vniuerſa terra. 10

Victori Halmuth Labben. Canticum Dauid. Pſal. IX. 1

CONfitebor Domino toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. 2

Lætabor, & exultabo in te, cantabo nomini tuo Altiſſime. 3

Cum reuerſi fuerint inimici mei, retrorſum impingent, & peribunt à facie tua. 4

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam: ſedeſti in ſolio qui iudicas iuſtitiam. 5

Subuertiſti gentes, perdidiſti impium, nomen eorum deleſti in ſæculum, & in ſempiternum. 6

Inimica finita ſunt ſolitudines in ſæculum, & vrbium quas deſtruxiſti, 7

Periit memoria cum ipſis: ✶ *& Dominus in ſæculum permanebit.* 8

Parauit ad iudicium ſolium ſuum: ✶ *& ipſe iudicabit orbem in iuſtitia, iudicabit populos in rectitudine.* 9

Et erit Dominus exaltatio pauperi, exaltatio in temporibus in anguſtia. 10

Et ſperabunt in te, ſcientes nomen tuum: quia non dereliquiſti quærentes te Domine. 11

Cantate Domino qui habitat in Sijon: annuntiate in populis opera eius. 12

Quoniam quærens ſanguinem eius, recordatus eſt, non oblitus eſt clamoris pauperum. 13

Miſerere mei Domine: vide afflictionem meam quæ eſt ab ijs qui odio habent me, 14

Qui exaltas me de portis mortis, vt narrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sijon, 15

Exultabo in ſalute tua: demerſæ ſunt gentes in foueam quam fecerunt, 16

In reti quod abſconderunt, captus eſt pes eorum.

Notus eſt Dominus, iudicium fecit: in opere manuum ſuarum illaqueatus eſt impius, meditatio in ſæculum eſt ſalus hæc. 17

Reuertantur impij ad ſepulchrum, omnes gentes quæ oblitæ ſunt Dei. 18

Quoniam non in ſæculum in obliuionem erit pauper: expectatio pauperum non peribit in ſæculum. 19

Surge Domine non roboretur homo: iudicentur gentes coram te. 20

Pone Domine, timorem eis, ſciant gentes quod homines ſunt, Selah. 21

Pſal. X.

Vt quid Domine manes in longinquo, abſcondis oculos tuos in temporibus in anguſtia? 1

Propter ſuperbiam impij perſecutionem ſuſtinebit pauper, capiantur in cogitationibus, quas cogitauerunt. 2

Quoniam laudauit ſe impius ſuper deſiderium animæ ſuæ, & auaro benedixit, 3

Iraſci fecit Dominum impius propter ſuperbiam quam facie præ ſe fert, non quæret Deum, 4

Hic eſt finis Pſalmi ſecundũ Hebræos.

Vulgat. Editio.

Non est Deus in conspectu eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo: Non mouebor à generatione in generationem, sine malo.

Inf. 13. 3. Rom. 3 14. Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor.

Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret.

Vides quoniam tu laborem, & dolorem consideras: vt tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.

Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi: peribitis Gentes de terra illius.

Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.

In finem, Psalmus Dauid. X.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer:

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: iustus autem quid fecit?

Aba. 2. 20. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius:

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

In finem pro octaua, Psalmus Dauid. XI.

SAluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.

Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

5 *Nec erit Deus in omnibus cogitationibus eius. Prosperabuntur viæ eius in omni tempore,*

In altitudines sunt iudicia tua coram eo, in omnes hostes suos sufflabit.

6 *Dixit in corde suo non mouebo me à generatione in generationem, quia non eueniet mihi malum.*

7 *Maledictione os eius plenum est, & dolis, & fraude: in lingua eius peruersitas, & iniquitas est.*

8 *Manebit in insidijs villarum, in latibulis occidet innocentem,*

9 *Oculi eius super pauperem aspicient: insidiabitur in latibulo sicut leo in cubili suo,*

Insidiabitur ad rapiendum pauperem, rapiet pauperem cum traxerit eum in rete suum.

10 *Contritum, humilemq; se ostendet, & cadet cum fortibus eius congregatio pauperum.*

11 *Dixit in corde suo, oblitus est Deus, occultauit faciem suam, ne videat in sæculum.*

12 *Surge Domine Deus, eleua manum tuam, ne obliuiscaris pauperum.*

13 *Propter quid irasci fecit impius Deum, dixit in corde suo, quod non quæres.*

14 *Sed tu vidisti peruersitatem, & iram aspexisti, & quia dedit seipsum in manu tua,*

Tibi relinquit causam suam pauper, pupillo tu fuisti adiutor.

15 *Contere brachium impij, & mali, quæres impietatem eius quam dixit, quod non inuenies.*

16 *Dominus rex in sæculum, & in æternum: perierunt gentes è terra eius.*

17 *Desiderium humilium audies Domine, parare facies cor eorum, intendere facies aurem tuam.*

18 *Vt iudices pupillo, & pauperi, ne addat vltra impius vt conterat hominem è terra.*

1 *Victori Dauidi. Psal. XI.*

2 *IN Domino speraui, quomodo dicitis anima mea, vt transmigret à monte vestro sicut auis?*

3 *Quoniam ecce impij tetenderunt arcum, parauerunt sagittam suam super chordam, vt iaciant in caligine in rectos corde.*

4 *Quoniam retia destruentur, iustus quid operatus est?*

5 *Dominus in templo sanctitatis suæ. Domini in cœlis est solium,*

Oculi eius videbunt, palpebræ eius probabunt filios hominum.

6 *Dominus iustum probabit & impium, & diligentem iniquitatem odio habuit anima eius.*

7 *Pluet super impios laqueos: ignem, & sulphur, & spiritum procellarum, partem calicis eorum.*

8 *Quoniam iustus Dominus, iustitias dilexit, rectum videbit facies eius.*

1 *Victori super octauam canticum Dauidi. Psal. XII.*

2 *SErua Domine quoniam defecit misericors quoniam defecerunt fideles à filijs hominum.*

3 *Mendacium loquetur vnusquisque cum proximo suo, labium blandiciarum in corde, & corde loquentur.*

4 *Succidet Dominus vniuersa labia blanda, linguam loquentem magna.*

5 *Qui dixerunt, linguam nostram roboremus, labia nostra nobiscum, quis Dominus nobis?*

6 *Propter vastitatem pauperum, propter clamorem inopum, nunc surgam dixit Dominus,*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.		*Ponam eum in salute, ab eo qui deridendo sufflat in eũ.*
Pro. 30. 5. Eloquia Domini: eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ purgatũ septuplum.	7	*Eloquia Domini, eloquia munda, argentum conflatum à domino terræ, purgatum septuplicite.*
Tu Domine seruabis nos: & custodies nos à generatione hac in æternum.	8	*Tu Domine seruabis eos, custodies eum à generatione hac in sæculum.*
In circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.	9	*In circuitu impij ambulant cum exaltati fuerint, vilitas est filijs hominum.*
In finem, Psalmus Dauid. XII.	1	*Victori Canticum Dauidi. Psalmus. XIII.*
VSquequo Domine obliuiscēris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me?		*Vsquequo Domine obliuiscēris mei in sæculum, vsquequo abscondes faciem tuam à me?*
Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?	2	*Vsquequo ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo in die?*
Vsquequo exaltabitur inimicus meus, super me?	3	*Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?*
* respice, & exaudi me Domine Deus meus,	4	*Aspice, exaudi me Domine Deus meus.*
Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in morte: * nequando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.	5	*Illumina oculos meos, ne forte dormiam in morte: * ne forte dicat inimicus: Præualui ei. Hostes mei exultabunt cum mutauero: * & ego in misericordia tua speraui,*
Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speraui.	6	
Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.		*Exultauit cor meum in salute tua, cantabo Domino, quoniam retribuit mihi.*
In finem, Psalmus Dauid. XIII.	1	*Victori Dauidi. Psal XIV.*
DIxit insipiens in corde suo: Non est Deus.		*DIxit stultus in corde suo: Non est Deus.*
Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.		*Corruperunt viam suam, abominabile fecerunt opus, non est qui faciat bonum.*
Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.	2	*Dominus è cœlis prospexit super filios hominum, vt videat, An sit intelligens, quærens Deum.*
Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.	3	*Omnes declinauerunt, pariter fœtuerunt non est faciens bonum, non est etiam vnus.*
Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebãt, venenum aspidum sub labijs eorum.		
Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.		(...)
Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.		(..) (..)
Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escã panis?	4	*Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatem, comedentes populum meum ac si comederent panem.*
Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.	5	*Dominum non inuocauerunt: ibi timuerunt timore,*
Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes eius est.	6	*Quoniam Deus in generatione iusti. Consilium pauperis pudore afficietis: quoniam Dominus spes eius est.*
Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.	7	*Quis dabit ex Sion salutem Israel, quando conuertet Dominus captiuitatem populi sui, exultabit Iahacob, lætabitur Israel?*
Psalmus Dauid. XIV.	1	*Canticum Dauidi. Psal. XV.*
DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?		*DOmine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, & quis habitabit in monte sanctitatis tuæ?*
Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiã:	2	*Qui ambulat perfecte, & operatur iustitiam,*
Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:	3	*Et loquitur veritatem in corde suo: non accusauit lingua sua,*
Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.	4	*Non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit contra propinquum suum.*
Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat:		*Quid d spicit se in oculis suis, abijcit se: qui timentes Dominum glorificat.*
Qui iurat proximo suo, & non decipit. * Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit:	5	*Qui seipsum iurauit affligere, & non mutauit. * Pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munus contra innocentem non accepit,*
Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.		*Qui facit hæc non habetur in sæculum.*

Vulgat. Editio.

Tituli inſcriptio ipſi Dauid. XV.

COnſerua me Domine, quoniam ſperaui in te.

Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominū eorū per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi:

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

*Act. 2 25. * Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

*Act. 2 32. & 13 35. * Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſque in finem.

Oratio Dauid, XVI.

EXaudi Domine iuſtitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Vt non loquatur os meum opera hominum propter verba labiorum tuorum ego cuſtodi vias duras.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te.

A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi.

Sub vmbra alarum tuarum protege me: * à facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, *adipem ſuum concluſerunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam: & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam * ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorū.

Saturati ſunt filiis: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

1 *Michthan Dauidi. Pſal. XVI.*

CVſtodi me Deus, quoniam ſperaui in te.

2 *Dixi Domino: Deus meus es tu, bonum meum non eſt niſi à te.*

3 *In ſanctis qui in terra ſunt, & fortibus, omnis voluntas mea eſt.*

4 *Multiplicentur dolores eorum, qui alteri Deo donauerunt.*

Non libabo libamina eorum de ſanguine, nec aſſumam nomina eorum in labijs meis.

5 *Dominus pars portionis meæ, & calicis mei tu ſuſtentas ſortem meam.*

6 *Hæreditates ceciderunt mihi in iocundis: etiam hæreditas ſpecioſa eſt mihi.*

7 *Benedicam Domino, qui conſuluit mihi, etiam noctibus erudierunt me renes mei.*

8 *Poſui Dominum coram me ſemper, quoniam à dextera mea eſt, ne declinem.*

9 *Propterea lætatum eſt cor meum, & exultauit gloria mea, etiam caro mea habitabit confidenter.*

10 *Quoniam non relinques animam meam in ſepulchro, nec permittes miſericordem tuum, vt videat corruptionem.*

Scire facies me ſemitam vitæ, ſaturitas lætitiarum eſt cum vultu tuo: iocunditates ſunt in dextera tua in ſæculum.

1 *Oratio Dauid. Pſal. XVII.*

AVdi Domine iuſtitiam, intende clamori meo.

Auſcultа orationem meam abſque labijs doli.

2 *A facie tua iudicium meum egrediatur, oculi tui videant æquitates.*

3 *Probaſti cor meum, viſitaſti nocte: conflaſti me, non inueniſti in me iniquitatem.*

4 *Quod cogitaui non tranſiuit os meum. Propter opera hominum propter verbum labiorum tuorum cuſtodiui ſemitas diſſipatoris.*

5 *Suſtenta greſſus meos in vijs tuis, ne declinent pedes mei.*

6 *Ego inuocaui te, quoniam exaudies me Deus, inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.*

7 *Diuide miſericordias tuas ſeruator ſperantium, ab inſurgentibus in dexteram tuam.*

8 *Cuſtodi me, vt nigrum pupillæ oculi.*

9 *In vmbra alarum tuarum abſconde me: * à facie impiorum, qui vaſtauerunt me, inimicorum meorum.*

10 *Qui propter animam circumdederunt me. * Adipe ſuo clauſerunt corpus ſuum: ore ſuo locuti ſunt ſuperbe.*

11 *In via noſtra nunc circumdederunt me, oculos ſuos poſuerunt ad declinandum in terram.*

12 *Similitudo eius, vt leonis deſiderauit rapere, & vt leunculi manentis in abditis.*

13 *Surge Domine præueni faciem eius, incurua eum, erue animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus.*

14 ** A viris qui ſunt flagellum tuum.*

Erue Domine, à viris de mundo quorum pars eſt in vita, & abſcondito tuo implebis ventrem eorum.

Saturabuntur filij, & dimittent reſiduum ſuum paruulis ſuis.

15 *Ego in iuſtitia videbo faciem tuam, & ſatiabor cum expergefacta fuerit imago tua.*

Vulgat. Editio.

In finem puero Domini Dauid, qui locutus eſt Domino verba cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius & de manu Saul, & dixit: (2.Reg.22.2.)

XVII.

DIligam te Domine fortitudo mea:
Dominus firmamentum meum, & refugium & liberator meus.
* Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum.
Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.
Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.
Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.
Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.
In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui:
Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius, introiuit in aures eius.
Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.
Aſcendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.
Inclinauit cælos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.
Et aſcendit ſuper cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.
Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in nubibus aeris.
Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.
Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando & carbones ignis:
Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.
Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.
Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.
Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.
Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me: quoniam cõfortati ſunt ſuper me.
Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.
Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.
Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi:
Quia cuſtodiui vias Domini, nec impie geſſi à Deo meo.
Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à me.
Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.
Et retribuit mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.
Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris:
Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.

* He.2. c.13.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Victori ſeruo Domini Dauid, qui locutus eſt Domino verba cantici huius in die qua eripuit Dominus eum de manu omnium inimicorum ſuorum, & manu Saul, & dixit: Pſal. XVIII.

DIligam te Domine fortitudo mea.
Dominus petra mea, & arx mea, & erutor meus.
Deus meus, petra mea ſperabo in eo.
Scutum meum, & cornu ſalutis mea, eleuatio mea.
Laudatum inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſeruabor.
Quoniam circumdederunt me dolores mortis, & torrentes impietatis terrebant me.
Dolores inferni circumdederunt me, præuenerunt me laquei mortis.
In anguſtia mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo,
Audiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus coram eo introibit in aures eius.
Mouit ſe, & contremuit terra, & fundamenta montium mouerunt ſe, & mouerunt ſe, quoniam iratus eſt.
Aſcendit fumus in furore eius, & ignis ex ore eius conſumpſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.
Et inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.
Et equitauit ſuper cherub, & volauit, volauitq; ſuper pennas ventorum.
Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitibus eius tegmen eius, tenebroſitas aquarum in nubibus cœlorum.
Propter fulgorem coram eo nubes eius tranſierunt grando & carbones ignis.
Et tonauit in cœlis Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis.
Et miſit ſagittas ſuas, & confregit eos, & fulgura iecit, & perdidit eos.
Et apparuerunt profunda aquarum, & diſcooperta ſunt fundamenta orbis,
Propter increpationem tuam Domine, propter flatum venti iræ tuæ.
Mittet de altitudine, capiet me, extrahet me de aquis multis.
Eruet me ab inimico meo forti, ab odio habentibus me, quoniam fuerunt robuſtiores me.
Præuenient me in die contritionis meæ, & fuit Deus baculus mihi.
Et eduxit me in latitudinem: eruet me, quoniam complacuit in me.
Retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam ſecundum puritatem manuum mearum reddet mihi.
Quia cuſtodiui vias Domini, & non impie egi à Deo meo.
Quoniam omnia iudicia eius coram me, & ſtatuta eius non amoui à me.
Et fui perfectus cum eo, & cuſtodiui me ab iniquitate mea.
Et reddidit Dominus mihi ſecundum iuſtitiam meam: ſecundum puritatem manuum mearum coram oculis ſuis.
Cum miſericorde miſericors eris, & cum viro perfecto perfectus eris.
Cum mundo mundus eris, & cum peruerſo peruerſus videberis.

Vulgat. Editio.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.

Deus meus impolluta via eius: eloquia Dñi igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.

* 2. Reg. 22 34. 35. ⋆ Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti, vt arcum æreum, brachia mea.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me:

Et diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea:

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum: nec exaudiuit eos.

Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.

Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

* 2. Reg. 22 50 Ro. 15. 9. ⋆ Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.

Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum.

In finem Pſalmus Dauid. XVIII.

CÆli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

* Ro. 10. 18. ⋆ In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

*Lu. 24 46. In ſole poſuit tabernaculum ſuum: ⋆ & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo:

Exultauit vt gigas ad currendam viam, ⋆ à ſummo cœlo egreſſio eius:

Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Dñi fidele, ſapientiã præſtans paruulis.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

28 *Quoniam tu populum pauperem ſeruabis, & oculos excelſos humiliabis.*

29 *Quoniam tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illuminabit tenebras meas.*

30 *Quoniam in te conteram exercitum, & in Deo tranſiliam murum.*

31 *Dei perfecta eſt via, eloquium Domini conflatum: clypeus eſt omnibus ſperantibus in eo.*

32 *Quoniam quis Deus præter Dominum, & quis Fortis præter Deum noſtrum?*

33 *Deus qui accingit me fortitudine, & poſuit perfectam viam meam.*

34 *Ponet pedes meos ſicut ceruarum, & ſuper excelſa mea ſtare faciet me.*

35 *Qui docet manus meas ad bellum, & conteretur arcus æreus brachijs meis.*

36 *Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextera tua fulciet me.*

Et manſuetudo tua multiplicabit me.

37 *Dilatabis greſſum meum ſubtus me, & non declinauerunt crura mea.*

38 *Perſequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non reuertar donec conſumam eos.*

39 *Tranſigam eos, & non poterunt ſurgere, cadent ſubtus pedes meos.*

40 *Et accinxiſti me fortitudine ad bellum, incuruabis inimicos meos ſubtus me.*

41 *Et inimicorum meorum dediſti mihi ceruicem, & odio habentes me ſuccidam.*

42 *Clamabunt, & non erit ſeruator, ad Dominum, & non exaudiuit eos.*

43 *Et pudore afficiam eos, vt puluerem coram vento, ſicut lutum platearum euacuabo eos.*

44 *Erues me è contentionibus populi, pones me in caput gentium,*

45 *Populus quem non cognoui, ſeruiet mihi: ad auditum auris congregabunt ſe mihi,*

46 *Filij extranei mentientur mihi, filij extranei decident, & expaueſcent, à carceribus ſuis.*

47 *Viuit Dominus, & benedictus Fortis meus, & exaltet ſe Deus ſalutis meæ.*

48 *Deus qui dat vltiones mihi, & duxit populos ſub me: erutor meus ab inimicis meis,*

49 *Etiam præ inimicis meis exaltabis me, à viro iniquo erues me.*

50 *Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.*

51 *Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculum.*

1 *Victori canticum Dauidi. Pſal. XIX.*

2 COeli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annunciat firmamentum.

3 *Dies diei loquetur ſermonem, & nox nocti indicabit ſcientiam.*

4 *Non eſt ſermo, & non ſunt verba, non auditur vox eorum.*

5 *In omnem terram exiuit lingua eorum, & in extremum orbis eloquia eorum,*

6 *Soli poſuit tabernaculum in eis: & ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo,*

7 *Gaudebit, vt potens ad currendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſio eius,*

Et reuolutio eius ſuper extrema eorum, & non eſt qui abſcondat ſe à calore eius.

8 *Lex Domini perfecta conuertens animam, teſtimonium Domini fidele, ſapientem efficiens paruulum.*

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb.Sanct.Pagn.
Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum;illuminans oculos.	9	*Præcepta Domini recta, lætificantia cor, præceptum Domini purum, illuminans oculos.*
Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi:iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.	10	*Timor Domini mundus permanens,in sæculum,iudicia Domini veritas,iustificata sunt pariter.*
Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum;& dulciora super mel & fauum:	11	*Desiderabilia magis quam aurum & aurum multum: & dulciora melle,& fauo, placentis melle confectis.*
Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.	12	*Etiam seruus tuus illustratur in eis, in custodiendo ea merces multa est.*
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:* & ab alienis parce seruo tuo.	13 14	*Errores quis intelliget? ab occultis munda me.* * *Etiam à superbijs prohibe seruum tuum,*
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero:& emundabor à delicto maximo.		*Ne dominentur mihi,tunc perfectus ero, & mundus ero à prauaricatione magna.*
Et erunt vt complaceant eloquia oris mei:& meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.	15	*Erunt ad voluntatem eloquia oris mei, & meditatio cordis mei coram te.*
Domine adiutor meus,& redemptor meus.		*Domine petra mea,& redemptor mi.*
In finem,Psalmus Dauid. XIX.	1	*Victori canticum Dauid. Psalmus.XX.*
EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.	2	*EXaudiat te Deus in die angustiæ: eleuet te nomen Dei Iahacob.*
Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.	3	*Mittat tibi auxilium de sanctitate,& de Siion fulciat te.*
Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.	4	*Recordetur omnium sacrificiorum tuorum, & holocaustum tuum incineret,Selah.*
Tribuat tibi secundum cor tuum:& omne consilium tuum confirmet.	5	*Det tibi secundum cor tuum,& omne consilium tuum impleat.*
Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur.	6	*Exultabimus in salute tua, & in nomine Dei nostri vexillum eleuabimus.*
Impleat Dñs omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christũ suum.	7	*Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Nunc sciui, quod seruari fecit Dominus Christum suum.*
Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.		*Exaudiet illum de cœlis sanctitatis suæ in fortitudinibus salus dexteræ eius.*
Hi in curribus,& hi in equis:nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.	8	*Hi in curru,& hi in equis, & nos nomen Dei nostri memorabimus.*
Ipsi obligati sunt,& ceciderunt:nos autem surreximus & erecti sumus.	9	*Hi incuruauerunt se, & ceciderunt, & nos surrexiimus, & ereximus nos.*
Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.	10	*Domine seruaz rex exaudiet nos in die, qua inuocauerimus.*
In finem,Psalmus Dauid. XX.	1	*Victori canticum Dauid. Psalmus. XXI.*
DOmine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer,	2	*DOmine in fortitudine tua lætabitur rex,& in salute tua quam exultabit vehementer.*
Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.	3	*Desiderium cordis eius dedisti ei, & prolationem labiorum eius non prohibuisti, Selah.*
Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis:posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.	4	*Quoniam præueniet eum benedictio bonitatis, appones capiti eius coronam auream.*
Vitam petiit à te:& tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum,& in sæculum sæculi.	5	*Vitam petijt à te,dedisti longitudinem dierum in sæculum,& sæculum.*
Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum:	6	*Magna est gloria eius in salute tua, gloriam, & decorem pones super eum.*
Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cũ vultu tuo.	7	*Quoniam pones eum benedictiones in sæculum, lætificabis eum in lætitia cum vultu tuo.*
Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commouebitur.	8	*Quoniam rex sperauit in Domino, & in misericordia Altissimi non declinauit.*
Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes,qui te oderunt.	9	*Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis:dextera tua sufficiet odio habentibus te.*
Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui:Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.	10	*Pones eos vt clibanum ignis in tempore iræ tuæ, Dominus in furore suo disperdet eos,& consumet eos ignis.*
Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filiis hominum.	11	*Fructum eorum è terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.*
Quoniam declinauerunt in te mala;cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire.	12	*Quoniam declinauerunt super te malum, cogitauerunt cogitationem,non poterunt* perficere.
Quoniam pones eos dorsum:in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.	13	*Quoniam pones eos humerum, in funibus tuis præparabis* sagittas *contra faciem eorum.*
Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.	14	*Exaltare Domine in fortitudine tua, cantabimus, & psallemus fortitudinem tuam.*

Vulgat. Editio.

In finem pro ſuſceptione matutina, Pſalmus Dauid. XXI.

Mat.27 46. Mar.15 14. DEus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Tu autem in ſancto habitas, Laus Iſrael.

In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.

Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.

* Mat. 27.39. Mar.15 29. * Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

* Mat. 27.43. * Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.

In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne diſceſſeris à me:

Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.

* Mat. 27.51. * Foderunt manus meas, & pedes meos: * dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me: * diuiſerunt ſibi vſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem:

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam:

Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

* Heb. 2.c. * Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum:

Timeat eum omne ſemen Iſrael: quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis:

Nec auertit faciem ſuam à me: & cum clamarem ad eum exaudiuit me.

Apud te laus mea in eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Edent pauperes, & ſaturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ:

Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur Gentium.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Victori ſuper ceruam matutinam canticum Dauidi. Pſalmus XXII.

DEus meus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? elongatus à ſalute mea, & verbis rugitus mei.

Deus meus clamabo in die, & non exaudies, & nocte, & non eſt ſilentium mihi.

Et tu ſanctus, permanens, laudes Iſrael.

In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & eruiſti eos.

Ad te clamauerunt, & euaſerunt, in te ſperauerunt, & non fuerunt pudore affecti.

Et ego ſum vt vermis, & non vir; opprobrium hominum, & contemptus populi.

Omnes videntes me ſubſannabunt me, emittent per labium, mouebunt caput.

Deuoluit ſe ad Dominum, eruat eum, eripiat eum, quoniam complacuit in eo.

Quoniam tu es eductor meus ab vtero, confidere faciens me ſuper vber matris meæ.

*Super te proiectus ſum ex vulua, de ventre matris meæ: * ne elonges te à me.*

Quoniam anguſtia eſt propinqua, quia non eſt auxiliator.

Circundederunt me vituli multi: tauri Baſan inſtar corone circundederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum vt leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum: & ſeparabunt ſe omnia oſſa mea.

Fuit cor meum ſicut cera, liquefecit ſe in medio viſcerum meorum.

Aruit tanquam teſta fortitudo mea, & lingua mea iungitur faucibus meis, & in puluerem mortis pones me.

Quoniam circumdederunt me canes, congregatio malignantium circumdederunt me:

*Foderunt manus meas, & pedes meos: * numerabo omnia oſſa mea.*

Ipſi aſpicient & inſpicient in me: diuident veſtimenta mea ſibiipſis, & ſuper veſtem meam proïcient ſortem.

Et tu Domine, ne elonges te, fortitudo mea ad auxilium meum feſtina.

Erue à gladio animam, è manu canis vnicam meam.

Serua me ab ore leonis, & à cornibus vnicornium exaudiſti me.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio congregationis laudabo te.

Timentes Dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iahacob glorificate eum.

Et timete ab eo omne ſemen Iſrael: quia non ſpreuit, nec abominatus eſt humilitatem pauperis,

Neque abſcondit faciem ſuam à me, & dum clamaui ad eum, audiuit.

A te laus meam congregatione multa, vota mea reddam coram timentibus te.

Edent pauperes, & ſaturabuntur: laudabunt Dominum quærentes eum, viuet cor veſtrum in ſæculum.

Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ.

Et inclinabunt ſe coram te vniuerſæ familiæ gentium.

Quoniam Domini eſt regnum, & dominatur gentibus.

Vulgat. Editio.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cœli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Pſalmus Dauid. XXII.

Iſa. 40. 11. Ier. 23. 5. Ezech. 34. 11. 23. 1. Pet. 2 25. & 5. 3.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: *in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: * animam meam conuertit.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ:

Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Prima ſabbati, Pſalmus Dauid. XXIII.

1. Cor. 10 26. Pſa. 49. 12.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.

In finem Pſalmus Dauid. XXIV.

AD te Domine leuaui animam meam: * Deus meus in te confido, non erubeſcam:

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur:

Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacue.

Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Comederunt & adorauerunt omnes pingues terræ: ante ipſum incuruabunt ſe omnes deſcendentes in puluerem.

Et qui animam ſuam non viuificabit: ſemen ſeruiet ei.

Narrabitur Domino in generationem, venient, & annunciabunt iuſtitiam eius, populo genito quia fecit.

Canticum Dauidi. Pſal. XXIII.

*DOminus paſcit me, non deficiam: * in tugurijs germinis accubare faciet me,*

*Ad aquas requietionum ducet me: * animam meam conuertet,*

Ducet me per ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.

Etiam cum ambulauero per vallem vmbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum.

Virga tua, & baculus tuus, ipſa conſolabuntur me.

Præparabis coram me menſam contra hoſtes meos,

Impinguaſti in oleo caput meum: calix meus ſaturus. Veruntamen bonum,

Et miſericordia ſequentur me omnibus diebus vitæ meæ,

Et habitabo in domo Domini, in longitudinem dierum.

Dauidi canticum. Pſal. XXIV.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius, orbis, & habitantes in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina firmauit eam.

Quis aſcendet in montem Domini, & quis ſtabit in loco ſanctitatis eius?

Mundus manibus, & mundus corde, qui non accepit in vanum animam meam, nec iurauit doloſe.

Accipiet benedictionem à Domino: & iuſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.

Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem tuam Iahacob, Selah.

Eleuate portæ capita veſtra, & eleuate vos portæ perpetuæ: & introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Eleuate portæ capita veſtra, & eleuate vos portæ perpetuæ: & introibit rex gloriæ.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus exercituum ipſe eſt rex gloriæ, Selah.

Dauidi. Pſal. XXV.

*AD te Domine animam meam leuabo: * Deus meus in te ſperaui, ne pudore afficiar:*

Ne exultent inimici mei de me: etiam omnes qui expectant te non afficientur pudore,

Pudore afficientur præuaricantes gratis.

Vias tuas Domine ſcire fac me: ſemitas tuas doce me.

Ambulare fac me per veritatem tuam, & doce me: quia tu es Deus ſalutis meæ, te expectaui omni die.

Reminiſcere miſerationum tuarum domine, & miſericordiarum tuarum, quia à ſeculo ſunt.

Peccatorum adoleſcentiæ meæ, & præuaricationum mearum ne memineris,

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
Secundum misericordiam tuam memento mei tu:propter bonitatem tuam Domine.		*Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propterbonitatem tuam Domine.*
Dulcis & rectus Dominus:propter hoc legem dabit delinquentibus in via.	8	*Bonus & rectus Dominus : ideo docebit peccatores viam.*
Diriget mansuetos in iudicio : docedit mites vias suas.	9	*Ambulare faciet humiles in iudicio, & docebit humiles viam suam.*
Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas,requirentibus testamentum eius & testimonia eius.	10	*Omnes semitæ Domini misericordia, & veritas custodientibus pactum eius, & testimonia eius.*
Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo:multum est enim.	11	*Propter nomen tuum Domine, parces iniquitati meæ, quoniam multa est.*
Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via,quam elegit.	12	*Quis est vir timens Dominum ? Docebit eum viam quam eligat.*
Anima eius in bonis demorabitur : & semen eius hæreditabit terram.	13	*Anima eius in bono morabitur: & semen eius hæreditate accipiet terram.*
Firmamentum est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius vt manifestetur illis.	14	*Secretum Domini timentibus eum, & pactum suum vt scire faciat eos.*
Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.	15	*Oculi mei semper ad Dominum,quoniam ipse educet è reti pedes meos.*
Respice in me, & miserere mei : quia vnicus & pauper sum ego.	16	*Respice super me,& miserere mei:quia vnicus,& pauper sum.*
Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.	17	*Angustias cordis mei dilatare fecerunt : ab angustijs meis educere fac me.*
Vide humilitatem meam, & laborem meum : & dimitte vniuersa delicta mea.	18	*Vide afflictionem meam, & laborem meum : & parce omnibus peccatis meis.*
Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt,& * odio iniquo oderunt me.	19	*Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.*
* Io.15 25. Custodi animam meam, & erue me : non erubescam quoniam speraui in te.	20	*Custodi animam meam, & erue me : ne confundar, quoniam speraui in te.*
Innocentes & recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.	21	*Perfectio,& rectitudo custodient me:quoniam expectaui te.*
Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.	22	*Redime Deus Israelem,ex omnibus angustijs eius.*
In finem, Psalmus Dauid. XXV.	1	*Dauidi. Psalmus. XXVI.*
IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum:& in Domino sperans non infirmabor.		*IVdica me Domine,quoniam ego in perfectione mea ambulaui,& Domino fisus sum,non deficiam.*
Proba me Domine, & tenta me:vre renes meos & cor meum.	2	*Proba me Domine,& tenta me, funde renes meos, & cor meum.*
Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.	3	*Quoniam misericordia tua coram oculis meis,& ambulabo in veritate tua.*
Non sedi cum concilio vanitatis : & cum iniqua gerentibus non introibo.	4	*Non sedi cum viris mendacibus:& cum occultantibus se non introibo.*
Odiui ecclesiam malignantium : & cum impiis non sedebo.	5	*Odiui cœtum malignantium : & cum impijs non sedebo.*
Lauabo inter innocentes manus meas:& circundabo altare tuum Domine:	6	*Lauabo in innocentia manus meas : & circuibo altare tuum Domine.*
Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuersa mirabilia tua.	7	*Vt audire faciam vocem confessionis,& narrem omnia mirabilia tua.*
Domine dilexi decorem domus tuæ,& locum habitationis gloriæ tuæ:	8	*Domine dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.*
Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam:	9	*Ne consumas cum peccatoribus animam meam, & cum viris sanguinolentis vitam meam.*
In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.	10	*Quorum in manibus est præuaricatio : & dextera eorum plena est muneribus.*
Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me,& miserere mei.	11	*Et ego in perfectione mea ambulabo:redime me, & miserere mei.*
Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te Domine.	12	*Pes meus stetit in rectitudine, in cœtibus benedicam Domino.*
Psalmus Dauid priusquam liniretur. XXVI.	1	*Dauidi. Psalmus. XXVII.*
DOminus illuminatio mea,& salus mea, quem timebo?		*DOminus lux mea,& salus mea à quo timebo.*
Dominus protector vitæ meæ,à quo trepidabo?		*Dominus fortitudo vitæ meæ à quo pauebo?*
Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas:	2	*Cum appropinquauerint adu rsum me maligni, vt edant carnem meam.*
Qui tribulant me inimici mei,ipsi infirmati sunt & ceciderunt.		*Hostes mei & inimici mei mihi,ipsi impegerunt, & ceciderunt.*

Vulgat. Editio.

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. 3
Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo:
Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. 4
Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.
Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. 5
In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. 6
Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiã vociferationis: cãtabo, & psalmum dicam Domino.
Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me. 7
Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. 8
Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo. 9
Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.
Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. 10
Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. 11
Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. 12
Credo videre bona Domini in terra viuentium. 13

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 14

Psalmus ipsi Dauid. XXVII. 1

AD te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. 2
Ne simul trahas me cum peccatoribus & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: 3
Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.
Da illis secundum opera eorum & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum. 4
Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.
Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos. 5
Benedictus Dominus: quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. 6
Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. 7
Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.
Dominus fortitudo plebis suæ: & protector saluationum Christi sui est. 8
Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsque in æternum. 9

Psalmus Dauid,
In consummatione tabernaculi. XXVIII. 1

AFferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum:

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Si castrametata fuerint aduersum me castra, non timebit cor meum. 3
Si surgat aduersum me bellum, huic ego fido.

Vnum petij à Domino, hoc quæram vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. 4
Vt videam pulchritudinem Domini, & quæram in templo eius.
Quia abscondet me in tabernaculo suo in die mala, & abscondet me in abscondito tabernaculi sui. 5
In petra exaltabit me, & nunc exaltabit caput meum, super inimicos meos. 6
In circuitibus meis, & sacrificabo in tabernaculo eius sacrificia vociferationis, cantabo, & canam Domino.
Audi Domine vocem meam, clamabo, & miserere mei, & exaudi me. 7
Tibi dixit cor meum, querite faciem meam: faciem tuam Domine queram. 8
Ne abscondas faciem tuam à me, ne declines in iram seruum tuum. 9
Auxilium meum fuisti, ne derelinquas me, & ne dimittas me Deus salutis mea.
Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, & Dominus colliget me. 10
Doce me Domine viam tuam, & duc me per semitam rectitudinis propter hostes meos. 11
Ne tradas me voluntati hostium meorum, quoniam surrexerunt in me testes mendaces, & locuti sunt iniquitatem. 12
Nisi crederem videre bonitatem Domini in terra viuentium. 13
Expecta Dominum, robora te, & roborabit Deus cor tuum, & expecta Dominum. 14

Dauidi. Psalmus. XXVIII. 1

AD te Domine clamabo petra mea, ne taceas à me, ne forte sileas à me, & assimiler descendentibus in sepulchrum.
Audi vocem deprecationum mearum, cum clamauero ad te, cum eleuauero manus meas ad adytum sanctitatis tuæ. 2
Ne trahas me cum impijs, & cum operantibus iniquitatem. 3
Loquentibus pacem cum proximis suis, & malum in corde eorum.
Da eis secundum opus eorum, & secundum malum operum eorum. 4
Secundum opus manuum eorum da eis, redde retributionem eorum eis.
Quoniam non intellexerunt opera Domini, & opus manuum eius, destruet eos, & non ædificabit eos. 5
Benedictus Dominus, quoniam audiuit vocem deprecationum mearum. 6
Dominus fortitudo mea, & scutum meum: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. 7
Et exultauit cor meum, & cantico meo confitebor ei.
Dominus fortitudo eius, & fortitudo salutum Christi sui est. 8
Serua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, & pasce eos, & extolle eos vsque in sæculum. 9

Psalmus XXVIII.
Canticum Dauidi. 1

DAte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam, & fortitudinem.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.	2	*Date Domino gloriam nominis eius, incuruate vos Domino in gloria sanctitatis.*
Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.	3	*Vox Domini super aquas, Deus gloriæ tonare fecit: Dominus super aquas multas.*
Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.	4	*Vox Domini in porta: vox Domini in gloria.*
Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani:	5	*Vox Domini confringens cedros: & confregit Dominus cedros Libani.*
Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.	6	*Et saltare faciet eas sicut vitulus Lebanon, & Sirion, sicut filius vnicornium.*
Vox Domini intercidentis flammam ignis: ✱ Vox Domini concutientis desertum: & commouebit Dominus desertum Cades.	7 8	*Vox Domini succidens flammas ignis: ✱ Vox Domini parturire faciet feras deserti: parturire faciet Dominus desertum Cades.*
Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.	9	*Vox Domini parturire faciet ceruas, & detexit syluas, & in templo eius, totus ipse dicit gloriam.*
Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.	10	*Dominus in diluuio sedit: & sedit Dominus rex in seculum.*
Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.	11	*Dominus fortitudinem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.*
Psalmus Cantici In dedicatione domus Dauid. XXIX.	1	*Psal. XXX. Psalmus Cantici dedicationis domus Dauid.*
EXaltabo te Domine: quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.	2	EXaltabo te Domine: quoniam exaltasti me: & non letificasti inimicos meos de me.
Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.	3	*Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.*
Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.	4	*Domine ascendere fecisti ab inferno animam meam: viuificasti me à descendentibus in sepulchrum.*
Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.	5	*Cecinite Domino misericordes eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.*
Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.	6	*Quoniam momentum est in furore eius: vita in voluntate eius.*
Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.		*Vesperi pernoctabit fletus: & mane lætitia.*
Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.	7	*Et ego dixi in fœlicitate mea: non declinabo in sæculum.*
Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.	8	*Domine in voluntate tua stare fecisti in monte meo fortitudinem.*
Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.		*Abscondisti faciem tuam, fui territus.*
Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.	9	*Ad te Domine clamabo: & ad Dominum orabo.*
Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?	10	*Quæ vtilitas in sanguine meo, cum descendero in foueam?*
Numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?		*Nunquid confitebitur tibi puluis, nunquid annunciauit veritatem tuam?*
Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.	11	*Audi Domine, & miserere mihi: Domine esto adiutor mihi.*
Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circũdedisti me lætitia:	12	*Vertisti planctum meum in chorum mihi: soluisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.*
Vt cantet tibi gloria mea; & non compungat: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi:	13	*Vt canat tibi gloria: & non taceat, Domine Deus mi in sæculum confitebor tibi.*
In finem, Psalmus Dauid, pro extasi. XXX.	1	*Psal. XXXI. Vincenti canticum Dauidi.*
IN te Domine speraui non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.	2	IN te Domine speraui non pudore afficiar in sæculum: in iustitia tua eripe me.
Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me.	3	*Inclina ad me aurem tuam, celeriter erue me.*
Esto mihi in Deum protectorem: & in domum refugij, vt saluum me facias.		*Esto mihi vt petra fortis: vt domus munita, vt serues me.*
Quoniã fortitudo mea, & refugium meũ es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.	4	*Quoniam petra mea, & munitio mea es: & propter nomen tuum, duces me & deduces me.*
Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.	5	*Educes me è reti, quod absconderunt mihi: quoniam tu es fortitudo mea.*
✱ In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.	6	*In manu tua commendabo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.*

✱ Luc. 23.46.

Vulgat. Editio.

Odisti obseruantes vanitates, superuacue.
Ego autem in Domino speraui:* exultabo, & lætabor in misericordia tua.
Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.
Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.
Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus:
Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.
Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.
Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium & vicinis meis valde: & timor notis meis.
Qui videbant me foras fugerunt à me: * obliuioni datus sum, tamquam mortuus à corde.
Factus sum, tamquam vas perditum: * quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu:
In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.
Ego autem in te speraui Domine; dixi Deus meus es tu. * in manibus tuis sortes meæ.
Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.
Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua: * Domine non confundar, quoniam inuocaui te.
Erubescant impij, & deducantur in infernum: * muta fiant labia dolosa.
Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & in abusione.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.
Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.
Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.
Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.
Benedictus Dominus; quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.
Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Proiectus sum à facie oculorum tuorum.
Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.
Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.
Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Ipsi Dauid intellectus. XXXI.

Rom. 4. 7. BEati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.
Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.
Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.
* Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

* Is. 65. 24.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Odisti obseruantes vanitates frustra,
*Et ego in Domino speraui: * exultabo, & lætabor in misericoadia tua,*
Quia vidisti afflictionem meam, cognouisti in angustijs animam meam.
Et non tradere feci sti me in manum inimici, stare feci sti in latitudine pedes meos.
Miserere mei Domine, quoniam angustia est mihi, computruit in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.
Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitu,
Impegit propter iniquitatem meam fortitudo mea: & ossa mea computruerunt.
Propter omnes hostes meos fui opprobrium, & vicinis meis valde: & pauor notis meis.
*Videntes me foris, migrauerunt à me: * obliuioni fui sicut mortuus à corde,*
*Fui sicut vas perditum: * quoniam audiui vituperationem multorum, pauorem vndique,*
Dum consultant pariter aduersum me vt caperent animam meam cogitauerunt.
*Et ego in te speraui Domine, dixi Deus meus tu: * in manu tua sunt tempora mea.*
Erue me è manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.
*Lucere fac faciem tuam super seruum tuum, serua me propter misericordiam tuam: * Domine non pudore afficiar, quoniam inuocaui te,*
*Pudore afficientur impij, excidentur in sepulchro * obmutescent labia mendacia,*
Quæ loquuntur aduersus iustum dura cum superbia, & contemptu.
Quoniam multum est bonum tuum, quod abscondisti timentibus te.
Operatus es sperantibus in te coram filijs hominum.
Abscondere facies eos in abscondito faciei tuæ ab elationibus viri,
Abscondes eos in abscondito tabernaculi à contentione linguarum.
Benedictus Dominus, quoniam mirificare fecit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.
Et ego dixi dum festinarem, excisus sum ab oculis tuis,
Vere audisti vocem deprecationum mearum, quando clamaui ad te.
Diligite Dominum omnes misericordes eius: fideles custodit Dominus, & reddit retributionem residuo facienti superbe.
Roborate vos, & roborabit Deus *cor vestrum, omnes sperantes in Domino,*

Dauidi intelligentia. Psal. XXXII.

BEatus cui dimittitur prauaricatio, cui tegitur peccatum.
Beatus homo cui non imputabit Dominus iniquitatem, nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, in rugitu meo omni die.
Quoniam die ac nocte aggrauabitur super me percussio tua: versus est vigor meus in siccitates æstatis, Selah.
Peccatum meum cognoscere feci te, & iniquitatem meam non operui,
Dixi: Confitebor aduersum me prauaricationes meas Domino, & tu dimisisti iniquitatem peccati mei: Selah.

Vulgat. Editio.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno. 6
Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me. 7
Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in via hac, qua gradieris:firmabo ſuper te oculos meos. 8
Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. 9
In camo & freno maxillas eorum conſtringe,qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit. 10
Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. 11

Pſalmus Dauid, XXXII.

EXultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio. 1
Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi. 2
Cantate ei canticum nouum: bene pſallite ei in vociferatione. 3
Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide. 4
Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra. 5
Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 6
Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos. 7
Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. 8
★Iudit. 16.17. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt ipſe mandauit, & creata ſunt. 9
Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. 10
Conſiliũ autem Dñi in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem. 11
Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius: populus,quem elegit in hæreditatem ſibi. 12
De cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum. 13
De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram. 14
Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. 15
Non ſaluatur rex per multam virtutem: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. 16
Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. 17
Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis,qui ſperant ſuper miſericordia eius. 18
Vt eruat à morte animas eorum:& alat eos in fame. 19
Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt. 20
Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto eius ſperauimus. 21
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te. 22

Dauidi, cum immutauit vultum ſuum coram Achimelech,& dimiſit eum & abiit. (1.Reg.21.) 1

XXXIII.

BEnedicam Dominum in omni tempore:ſemper laus eius in ore meo. 2

Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.

*Propter hoc orabit omnis miſericors ad te, tempore inuentionis. 6
Duntaxat in inundatione aquarum multarum,ad eum non pertingent.
Tu abſconſio es mihi,ab anguſtia cuſtodies me: clamoribus liberationis circundabis me, Selah. 7
Intelligere faciam te, & docebo te viam per quam ambules:conſultam tibi oculo meo. 8
Ne fitis ſicut equus, ſicut mulus quibus non eſt intelligere. 9
Camo,& frano os eius obtura, ne appropinquet tibi.
Multi dolores erunt impio, ſed ſperantem in Domino, miſericordia circumdabit. 10
Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & laudate omnes rectos corde. 11

Pſalmus XXXIII.

EXultate iuſti in Domino: rectis pulchra eſt laus. 1
Confitemini Domino in cithara: in nebel, & decachordo canite ei. 2
Cantate ei canticum nouum: benefacite canendo in clamore. 3
Quia rectum eſt verbum Domini: & omne opus eius in fide. 4
Diligens iuſtitiam, & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra. 5
Verbo Domini cœli facti ſunt: & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. 6
Congregans ſicut aceruum aquas maris: ponens in theſauris voragines. 7
Timeant à Domino omnis terra, ab eo paueant omnes habitatores orbis. 8
Quoniam ipſe dixit,& fuit: ipſe præcepit,& ſtetit. 9
Dominus irritare facit conſilium gentium: irritas facit cogitationes populorum. 10
Conſilium Domini in ſæculum ſtabit: cogitationes cordis eius in generationem & generationem. 11
Beata gens cuius Dominus eſt Deus eius: populus, quẽ elegit in hæreditatem ſibi. 12
E cœlis reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum. 13
De habitaculo ſeſſionis ſuæ, proſpexit ſuper omnes habitatores terræ. 14
Formans pariter cor eorum: conſiderans omnia opera eorum, 15
Non rex ſaluatur in multitudine exercitus: potens non euadet in multitudine potentiæ. 16
Mendacium eſt equus ad ſalutem: in multitudine roboris ſui non eruet. 17
Ecce oculus Domini ſuper timentes eum: ſperantes in miſericordia eius. 18
Vt eruat à morte animas eorum: & viuificet eos in fame, 19
Anima noſtra expectauit Dominum: auxilium noſtrum, & clypeus noſter eſt. 20
Quia in eo lætabitur cor noſtrum: quia in nomine ſanctitatis eius ſperauimus. 21
Sit miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te. 22

Pſalmus. XXXIV.

Dauidi, quum mutauit ipſe verbum ſuum coram Abimelech,& expulit eum,& abijt. 1

BEnedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. 2

Vulgat. Editio.		Transl.ex Heb. Sanct. Pagn.
In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.	3	*In Domino laudabit se anima mea: audient humiles, & lætabuntur,*
Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum.	4	*Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius pariter.*
Exquisiui Dominum, & exaudiuit me. & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.	5	*Quæsiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus timoribus meis eripuit me.*
Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur:	6	*Aspexerunt ad eum, & illuminati sunt: & facies eorum non sunt pudore affecta.*
Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.	7	*Iste pauper clamauit, & Dominus audiuit: & ex omnibus angustijs eius seruauit eum.*
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.	8	*Castrametatur Angelus Domini circum timentes eum: & eripit eos.*
Gustate & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.	9	*Gustate, & videte quoniam bonus Dominus: beatus vir qui sperabit in eo.*
Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.	10	*Timete Dominum sancti eius: quoniam non est defectus timentibus eum.*
Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.	11	*Leunculi depauperati sunt, & famescent: sed quærentes Dominum non deficient omni bono.*
Luc. 1. 53. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.	12	*Venite filij, obedite mihi: timorem Domini docebo vos.*
Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre	13	*Quis vir qui vult vitam: diligit dies, vt videat bo-*
1.Pe. 3. 10. bonos?		*num.*
Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.	14	*Custodi linguam tuam à malo: & labia tua à loquendo dolum.*
Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.	15	*Declina à malo, & fac bonum: quære pacem, & sequere eam.*
Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.	16	*Oculi Domini super iustos, & aures eius ad clamorem eorum.*
Eccl. 13 21. Vultus autem Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.	17	*Ira Domini sunt contra facientes malum: vt succidat è terra memoriam eorum.*
Heb. 4. 13. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.	18	*Clamauerunt, & Dominus audiuit: & ex omnibus angustijs eorum, eruit eos.*
Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.	19	*Propinquus est Dominus contritis corde: & attritos spiritu seruabit.*
Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.	20	*Multa sunt mala iusti: & à cunctis ipsis, eruet eum Dominus.*
Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.	21	*Custodiens omnia ossa eius: vnum ex eis non est contritum.*
Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum delinquent.	22	*Interimet impium malitia: & odio habentes iustum desolabuntur.*
Redimet Dominus animas seruorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.	23	*Redimit Dominus animam seruorum suorum: & non desolabuntur omnes sperantes in eo.*
Ipsi Dauid. XXXIV.	1	*Dauidi. Psalm. XXXV.*
IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.		*IVdica Domine iudices meos, pugna cum eis qui pugnant mecum.*
Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.	2	*Apprehende clypeum, & scutum: & surge in adiutorium meum.*
Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me; dic animæ meæ: Salus tua ego sum.	3	*Et expedi lanceam & claude in occursum persequentium me; dic animæ meæ: Salus tua sum.*
Confundantur & reuereantur, quærentes animam meam.	4	*Pudore afficientur, & erubescent quærentes animam meam.*
Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.		*Vertentur retrorsum, & pudore afficientur cogitantes malum meum.*
Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.	5	*Erunt sicut gluma ante ventum: & Angelus Domini impellet eos.*
Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.	6	*Erit via eorum tenebræ, & lubricitates: & Angelus Domini persequens eos.*
Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.	7	*Quoniam gratis absconderunt mihi foueam: & rete suum gratis foderunt animæ meæ.*
Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.	8	*Veniet ei contritio, quam non cognoscet: & rete ipsius quod abscondit, capiet eum: in contritionem cadet.*
Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.	9	*Et anima mea exultabit in Domino: gaudebit in salute eius.*
Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?	10	*Omnia ossa mea dicent: Domine quis sicut tu.*

Vulgat. Editio.

Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.

Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui:

Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

*. Io. 15 25. Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi inique: * qui oderunt me gratis & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt: Euge, euge: viderunt oculi nostri.

Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.

Exurge & intende iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant: Deuorauimus eum.

Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reuerentia qui magna loquuntur super me.

Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

In finem, seruo Domini ipsi Dauid.

XXXV.

DIxit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.

Sup. 13. 3. Quoniam dolose egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere vt bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odiuit.

Domine in cœlo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes.

Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.

Homines & iumenta saluabis Domine: * quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam eus.

Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Eripiens pauperem à fortiori eo, & pauperem, & egenum à rapiente eum.

11 *Surgent testes mendaces, quæ non cognoui interrogabunt me.*

12 *Reddent mihi malum pro bono, sterilitatem animæ meæ.*

13 *Et ego ægrotantibus ipsis, vestimentum habebam è sacco,*

Affligebam in ieiunio animam meam, & oratio mea ad sinum meum reuertebatur.

14 *Sicut pro amico, sicut pro fratre meo ambulabam tanquam lugens matrem, pullatus humiliabam me.*

15 *Sed ipsi in claudicatione mea lætati sunt, & congregauerunt se, congregauerunt se aduersum me percussi, & non cognoui,*

16 *Cachinnauerunt, & non siluerunt: cum impijs subsannatoribus qui indulgent ventri, erant fremendo dentibus suis.*

17 *Domine quamdiu videbis, eripe animam meam à desolationibus eorum, à leonibus vnicam meam.*

18 *Confitebor tibi in cœtu magno, in populo forti laudabo te.*

19 *Ne lætentur inimici mei gratis, odio habentes me gratis annuent oculo.*

20 *Quia non pacem loquentur, & contra humiles terræ, verba fraudulenta cogitabunt.*

21 *Et dilatare fecerunt aduersum me os suum, dixerunt, euge euge, vidit oculus noster.*

22 *Vidisti Domine, ne taceas, Domine ne elonges te à me.*

23 *Suscita te, & euigila ad iudicium meum, Deus mi, & Domine mi, ad iudicium meum.*

24 *Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus mi, & ne lætentur de me.*

25 *Ne dicant in corde suo, euge animæ nostræ, ne dicant, disperdamus eum.*

26 *Pudore afficientur, & eruleſcent pariter læti malo meo,*

Induentur pudore, & erubescentia, magnificantes se aduersus me.

27 *Laudabunt, & exultabunt qui volunt iustitiam meam, & dicent semper: Magnificetur Dominus, qui voluit pacem serui sui.*

28 *Et lingua mea loquetur iustitiam tuam, omni die laudem tuam.*

1 *Psal. XXXVI.*

Victori seruo Domini Dauidi.

2 *Dictum præuaricationis impio est, in medio cordis mei, non est pauor Dei ante oculos eius.*

3 *Quoniam leuiuit ei peccatum in oculis eius, vt inueniat iniquitatem suam, vt odio habeant bonum.*

4 *Verba oris eius sunt iniquitas, & dolus, desiit intelligere, vt bene ageret.*

5 *Iniquitatem cogitauit in cubili suo, stetit secus viam non bonam, malum non abiecit.*

6 *Domine in cœlis misericordia tua, veritas tua vsque ad cœlos.*

7 *Iustitia tua sicut montes fortissimi, iudicia tua vorago multa,*

8 *Hominem & animal seruabis: quam preciosa est misericordia tua Deus,*

Et filij hominum, in vmbra alarum tuarum sperabunt.

9 *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & è torrente deliciarum tuarum potum dabis eis:*

10 *Quoniam tecum est vena vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde.	11	*Trahe miſericordiam tuam ad ſcientes te, & iuſtitiam tuam ad rectos corde.*
Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me.	12	*Ne veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus impiorum ne migrare faciat me.*
Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt nec potuerunt ſtare.	13	*Ibi ceciderunt operarij iniquitatis, expulſi ſunt, & non potuerunt ſurgere.*
Pſalmus ipſi Dauid. XXXVI.	1	*Dauidi. Pſal. XXXVII.*
NOli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.		NE miſceas te cum malignis, ne zelaueris facientes iniquitatem.
Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum cito decident.	2	*Quoniam tanquam herba velociter ſuccidentur, & ſicut olus germinis decident.*
Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius.	3	*Spera in Domino, & fac bonum, habita terram, & paſce veritatem.*
Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.	4	*Et delecta te in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*
Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.	5	*Volue ſuper Dominum viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.*
Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam: & iudicium tuum tamquam meridiem: ⋆ ſubditus eſto Domino, & ora eum.	6 7	*Et educet ſicut lumen iuſtitiam tuam, & iudicia tua ſicut meridiem: ⋆ tace Domino, & ſpera in eo.*
Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua: in homine faciente iniuſtitias.		*Ne miſceas tecum eo qui proſperatur in via ſua, cum viro faciente abominationes.*
Deſine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.	8	*Deſine à furore, & relinque iram: ne miſceas te verumtamen ad malefaciendum.*
Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram.	9	*Quoniam maligni excidentur, & expectantes Dominum ipſi hæreditate accipient terram.*
Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.	10	*Et adhuc paululum, & non erit impius: & contemplaberis locum eius, & non erit.*
* Mar. 5. 4. ⋆ Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.	11	*Et humiles hæreditate capient terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*
Obſeruabit peccator iuſtum: & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.	12	*Cogitat impius contra iuſtum, & frendit aduerſus eum dentibus ſuis.*
Dominus autem irridebit eum: quoniam proſpicit quòd veniet dies eius.	13	*Dominus ridebit ei, quia vidit, quod veniet dies eius.*
Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum.	14	*Gladium acuerunt impij, & tetenderunt arcum ſuum.*
Vt deiiciant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde.		*Vt ruere faciant pauperem, & inopem, vt iugulent rectos via.*
Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur.	15	*Gladius eorum ingredietur cor eorum, & arcus eorum confringentur.*
Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.	16	*Melius eſt paululum iuſto, quam diuitiæ impiorum multæ.*
Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iuſtos Dominus.	17	*Quia brachia impiorum confringentur: & ſuſtentat iuſtos Dominus.*
Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.	18	*Scit Dominus dies perfectorum, & hæreditas eorum in ſæculum erit.*
Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur: ⋆ quia peccatores peribũt.	19 20	*Non pudore afficientur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur: ⋆ quia impij peribunt.*
Inimici Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.		*Et inimici Domini erunt ſicut precioſi agni, defecerunt ſicut fumus defecerunt.*
Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſerebitur & tribuet.	21	*Mutuum accipit impius, & non reddet, ſed iuſtus donat, & dat.*
Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.	22	*Quia benedicti ab eo hæreditate accipient terram, & maledicti ab eo excidentur.*
Apud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam eius volet.	23	*A Domino greſſus hominis parati ſunt, & viam eius volet.*
Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.	24	*Cum ceciderit, non proijcietur, quia Dominus ſuſtentat manum eius.*
Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.	25	*Puer fui, etiam ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.*
Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.	26	*Omni die donat, & mutuat, & ſemen eius erit in benedictione.*
Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in ſæculum ſæculi.	27	*Recede à malo, & fac bonum, & habitabis in ſæculum.*
Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur.	28	*Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet miſericordes ſuos: in ſæculum cuſtodientur.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Iniusti punientur:& semen impiorum peribit.	29	*Et semen impiorum succidetur.*
Iusti autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.	29	*Iusti hæreditate accipient terram, & habitabunt in sæculum super eam.*
* Prou. 31 26. * Isa. 51. 7. ⁎ Os iusti meditabitur sapientiam,& lingua eius loquetur iudicium.	30	*Os iusti loquetur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium,*
⁎ Lex Dei eius in corde ipsius:& non supplantabuntur gressus eius.	31	*Lex Dei eius in corde eius,non nutabunt pedes eius.*
Considerat peccator iustum: & quærit mortificare eum.	32	*Speculatur impius iustum,& quærit interimere eum.*
Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius:nec damnabit eum cum iudicabitur illi.	33	*Dominus non derelinquet eum in manu eius: nec condemnabit eum cum iudicatus fuerit ipse.*
Expecta Dominum,& custodi viam eius:& exaltabit te vt hæreditate capias terram:cum perierint peccatores videbis.	34	*Expecta Dominum,& custodi viam eius: & exaltabit te,vt hæreditate capias terram: cum succisi fuerint impij, videbis.*
Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.	35	*Vidi impium fortem,& virescentem sicut laurus viridis.*
Et transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.	36	*Et transiuit,& ecce non fuit:& quæsiui eum,& non est inuentus.*
Custodi innocentiam & vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.	37	*Custodi perfectum,& vide rectum,quia merces vnicuique pax.*
Iniusti autem disperibunt simul:reliquiæ impiorum interibunt.	38	*Et præuaricantes dissipati sunt pariter:merces impiorum succisa est.*
Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.	39	*Et salus iustorum à Domino, fortitudo eorum in tempore angustiæ.*
Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos:quia sperauerunt in eo.	40	*Et adiuuabit eos Dominus, & eruet eos, eruet eos ab impijs,& seruabit eos,quia sperauerunt in eo.*
Psalmus Dauid,in rememorationem de Sabbato. XXXVII.	1	*Psal. XXXVIII. Psalmus Dauid ad commemorandum.*
* Psal. 6. 1 DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.	2	*DOmine ne in furore tuo arguas me, nec in ira tua corripias me.*
Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.	3	*Quoniam sagittæ tuæ descenderunt in me, & descendit super me percussio tua.*
Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ:non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.	4	*Non est perfectio in carne mea propter iram tuam, non est pax ossibus meis propter peccatum meum.*
Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum:& sicut onus graue grauatæ sunt super me.	5	*Quoniam iniquitates meæ transierunt caput meum, sicut onus graue grauiores fuerunt me.*
Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.	6	*Putruerunt, tabuerunt liuores mei, propter stultitiam meam.*
Miser factus sum: & curuatus sum vsque in finem tota die contristatus ingrediebar.	7	*Incuruaui me,humiliaui me vehementissime,omni die pullatus ambulaui.*
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.	8	*Quoniam ilia mea plena fuerunt ardore: & non est perfectio in carne mea.*
Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei:	9	*Debilitatus sum,& attritus sum vehementissime: rugij propter rugitum cordis mei.*
Domine,ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.	10	*Domine, coram te est omne desiderium meum:& suspirium meum à te non est absconditum.*
Cor meũ cõturbatũ est,dereliquit me virtus mea: & lumen oculorũ meorũ,& ipsum non est mecum.	11	*Cor meum circumiuit,dereliquit me fortitudo mea: & lumen oculorum meorum,etiam ipsi non sunt mecum.*
Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt,& steterunt.	12	*Qui dilexerant me, & amici mei è regione plagæ meæ steterunt.*
Et qui iuxta me erant,de longe steterunt:⁎ & vim faciebant qui quærebant animam meam.	13	*Et propinqui mei à longinquo steterunt, & illaqueauerunt me quærentes animam meam.*
Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates:& dolos tota die meditabantur.		*Et quærentes malum meum locuti sunt prauitates: & dolos omni die meditabantur.*
Ego autem tamquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.	14	*Et ego tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus qui non aperit os suum.*
Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.	15	*Et fui sicut vir, qui non audit, & non sunt in ore eius redargutiones.*
Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.	16	*Quia te Domine expectaui, tu exaudies Domine Deus mi.*
Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei:& dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.	17	*Quia dixi:Ne forte lætentur de me:cum declinabat pes meus,aduersum me magnificauerunt linguam suam.*
Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.	18	*Quoniam ego ad claudicationem paratus sum:& dolor meus coram me est semper.*
Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.	19	*Quoniam iniquitatem meam annunciabam: timebam propter peccatum meum.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Inimici autem mei viuunt,& cõfirmati ſunt ſuper me:& multiplicati ſunt qui oderũt me inique.	20	*Et inimici mei viuentes roborati ſunt , & multiplicati ſunt odio habentes me gratis.*
Qui retribuunt mala pro bonis,detrahebant mihi:quoniam ſequebar bonitatem.	21	*Et reddentes malum pro bono aduerſabantur mihi , eo quòd ſequebar bonum.*
Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne diſceſſeris à me.	22	*Ne derelinquas me Domine Deus mi,ne elonges te à me.*
Intende in adiutorium meum,Domine Deus ſalutis meæ.	23	*Feſtina ad auxilium meum, Domine ad ſalutem meam.*
In finem , ipſi Idithun , Canticum Dauid. XXXVIII.	1	*Pſalm. XXXIX. Victori ipſi Ieduthun Canticum Dauidi.*
DIxi : Cuſtodiam vias meas : vt non delinquam in lingua mea.	2	*DIxi,cuſtodiam vias meas:ne peccem lingua mea,*
Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me.		*Cuſtodiam ori meo clauſuram adhuc exiſtente impio coram me.*
Obmutui,& humiliatus ſum, & ſilui à bonis : & dolor meus renouatus eſt.	3	*Obmutui ſilentio, tacui à bono:& dolor meus turbatus eſt.*
Concaluit cor meum intra me : & in meditatione mea exardeſcet ignis.	4	*Caluit cor meum in medio mei, in meditatione mea exarſit ignis,*
Locutus ſum in lingua mea : Notum fac mihi Domine finem meum,	5	*Locutus ſum lingua mea : ſcire fac me Domine finem meum.*
Et numerum dierum meorum quis eſt,vt ſciam quid deſit mihi.		*Et menſuram dierum meorum quæ ſit, ſcio quòd temporalis ſum.*
Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos:& ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te.	6	*Ecce vt menſuram quatuor digitorum poſuiſti dies meos: & tempus meum tanquam nihil coram te,*
Verumtamen vniuerſa vanitas,omnis homo viuens.		*Veruntamen vniuerſa vanitas,omnis homo ſtans, Selah.*
Verumtamen in imagine pertranſit homo:ſed & fruſtra conturbatur.	7	*Veruntamen in imagine ambulabit vir, veruntamen in vanum tumultuabunt,*
Theſaurizat:& ignorat cui congregabit ea.		*Congregabit, & neſciet qui congregat ea.*
Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus?& ſubſtantia mea apud te eſt.	8	*Et nunc quid expectaui Domine? ſpes mea in te eſt.*
Ab omnibus iniquitatibus meis erue me:opprobrium inſipienti dediſti me.	9	*Ex omnibus præuaricationibus meis erue me:opprobrium ſtulti,ne ponas me.*
Obmutui,& non aperui os meum , quoniam tu feciſti:* amoue à me plagas tuas.	10 11	*Obmutui, non aperiam os meum, quia tu feciſti : * remoue à me plagam tuam,*
A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corripuiſti hominẽ.	12	*A bello manus tuæ,ego defeci: In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti virum,*
Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius: verumtamen vane conturbatur omnis homo.		*Et liqueſcere feciſti, vt tineam deſiderium eius, veruntamen vanitas omnis homo, Selah.*
Exaudi orationem meam Domine , & deprecationem meam:auribus percipe lacrymas meas.	13	*Audi orationem meam Domine, clamorem meum auribus percipe,& ad lachrymam meam.*
Ne ſileas : quoniam aduena ego ſum apud te , & peregrinus,ſicut omnes patres mei.		*Ne vt ſurdum te exhibeas,quia peregrinus ſum apud te, incola vt omnes patres mei.*
Remitte mihi , vt refrigerer prius quàm abeam, & amplius non ero.	14	*Deſine à me, & roborabor , antequam vadam & non ſim.*
In finem,Pſalmus ipſi Dauid. XXXIX.	1	*Pſalm. XL. Victori ipſi Dauid, Canticum.*
EXpectans expectaui Dominum , & intendit mihi.	2	*EXpectando expectaui Dominum, & inclinauit ſe mihi, & audiuit clamorem meum.*
Et exaudiuit preces meas : & eduxit me de lacu miſeriæ,& de luto fæcis.	3	*Et aſcendere fecit me è ciſterna ſonitus,è luto cœni,*
Et ſtatuit ſuper petram pedes meos : & direxit greſſus meos.		*Et ſtatuit ſuper petram pedes meos , præparauit pedes meos.*
Et immiſit in os meum canticum nouum , carmen Deo noſtro.	4	*Et poſuit in ore meo canticum nouum , laudem Deo noſtro.*
Videbunt multi & timebunt : & ſperabunt in Domino.		*Videbunt multi,& timebunt,& ſperabunt in Domino.*
Beatus vir,cuius eſt nomen Domini ſpes eius:& non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.	5	*Beatus vir qui poſuit Dominum ſpem ſuam , & non reſpexit ad ſuperbos,& declinantes ad mendacium.*
Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua : & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.	6	*Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua , & cogitationes tuas nobis non eſt ordinare tibi.*
Annunciaui & locutus ſum:multiplicati ſunt ſuper numerum.		*Annunciabo,& loquar, multæ ſunt vt non narrentur.*
* Heb.5 10. * Sacrificium & oblationem noluiſti : aures autem perfeciſti mihi.	7	*Sacrificium, & oblationem noluiſti,aurem fodiſti mihi,*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Holocaustum & pro peccato non postulasti:* tũc dixi:Ecce venio.	8	*Holocaustum, & sacrificium pro peccato non postulasti: * tunc dixi ecce veni.*
In capite libri scriptum est de me * vt facerem voluntatem tuam:Deus meus volui,& legem tuam in medio cordis mei.	9	*In volumine libri scriptum est super me : * vt facerem voluntatem tuam Deus mi volui, & lex tua in medio intestinorum meorum est.*
Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo:Domine tu scisti.	10	*Annunciaui iustitiam in cœtu multo,ecce labia mea non prohibui:Domine tu sciuisti.*
Iustitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam & salutare tuum dixi.	11	*Iustitiam tuam non operui in medio cordis mei, veritatem tuam,& salutem tuam dixi.*
Non abscondi misericordiam tuam,& veritatem tuam à concilio multo.		*Non abscondi misericordiam tuam in cœtu multo.*
Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me : misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.	12	*Tu Domine ne prohibeas misericordias tuas à me misericordia tua,& veritas tua semper custodiant me.*
Quoniam circumdederunt me mala, quorũ non est numerus:cõprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.	13	*Quoniam circundederunt me mala innumera:comprehenderunt me iniquitates meæ,& non potui videre,*
Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei : & cor meum dereliquit me.		*Multiplicatæ sunt præ capillis capitis mei, & cor meum dereliquit me.*
* Inf. 69. 2. Complaceat tibi Domine vt eruas me : * Domine,ad adiuuandum me respice.	14	*Complace Domine, vt eruas me : Domine ad auxilium mei festina.*
* Sup. 34. 4. * Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam,vt auferant eam.	15	*Pudore afficientur, & erubescent pariter quærentes animam meam,vt perdant eam,*
Conuertantur retrorsum, & reuereantur qui volunt mihi mala.		*Reuertentur retrorsum, & pudore afficientur volentes malum meum.*
Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi:Euge,euge.	16	*Desolabuntur propter mercedem pudoris sui,qui dicunt mihi euge, euge.*
Exultent & lætentur super te omnes quærentes te : & dicant semper : Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.	17	*Gaudebunt,& lætabuntur in te omnes quærentes te, & dicent semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutem tuam.*
Ego autem mendicus sum,& pauper : Dominus solicitus est mei.	18	*Et ego pauper, & egenus Dominus cogitabit de me.*
Adiutor meus, & protector meus tu es : Deus meus ne tardaueris.		*Auxilium meum, & liberator meus es:Deus mi ne tardaueris,*
In finem,Psalmus ipsi Dauid. XL.	1	*Victori Cantus Dauidi. Psal. XLI.*
BEatus qui intelligit super egenum, & pauperẽ: in die mala liberabit eum Dominus.	2	*BEatus qui intelligit super pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*
Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra : & non tradat eum in animam inimicorum eius.	3	*Dominus custodiat eum, & viuificet eum, beatificetur in terra, & ne tradas eum voluntati inimicorum eius.*
Dominus opẽ ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius.	4	*Dominus fulciat eum super lectum doloris eius, omne cubile eius versasti in infirmitate eius.*
Ego dixi : Domine miserere mei : sana animam meam,quia peccaui tibi.	5	*Ego dixi : Domine miserere mei : sana animam meam, quamquam peccaui tibi.*
Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur,& peribit nomen eius?	6	*Inimici mei dicent malum de me : Quando morietur, & peribit nomen eius?*
Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi.	7	*Et si venerit ad videndum, mendacium loquetur cor eius,congregabit iniquitatem sibi,*
Egrediebatur foras, & loquebatur * in idipsum.	8	*Egredietur foras,loquetur. * Simul aduersum me murmurabant omnes odiõ habentes me, aduersum me cogitabunt malum mihi.*
Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala,mihi.		
Verbum iniquum constituerunt aduersum me: Numquid qui dormit non adiiciet vt resurgat?	9	*Verbum impium adhærebit ei, & qui accubuit non addet vt surgat.*
Etenim homo pacis meæ, in quo speraui : qui edebat panes meos,magnificauit super me supplantationem.	10	*Etiam vir pacis meæ cui fidebam qui manducabat panem meum, magnificauit aduersum me calcaneum.*
Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me:& retribuam eis.	11	*Et tu Domine miserere mei, & resuscitare fac me, & reddam eis.*
* Act. 1. 16. * In hoc cognoui quoniam voluisti me:quoniam non gaudebit inimicus meus super me.	12	*In hoc cognoui, quoniam complacuisti in me, quia non iubilabit inimicus meus super me.*
Me autem propter innocentiam suscepisti:& cõfirmasti me in conspectu tuo in æternum.	13	*Et ego in perfectione mea ambulaui, sustentasti me : & statuisti me coram te semper.*
Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum:fiat,fiat.	14	*Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsq; in sæculum:Amen,& Amen.*
In finem, Intellectus filiis Core. XLI.	1	*Victori,intellectus filijs Corach. Psal. XLII.*
QVemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.	2	*QVemadmodum cerua desiderat ad torrentes aquarum, ita anima mea desiderat ad te Deus.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?	3	*Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum, quando veniam, & videbor coram Deo?*
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?	4	*Fuit mihi lachryma mea panis die ac nocte: dum dicunt mihi omni die: Vbi est Deus tuus?*
Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.	5	*Horum recordabor, & effundam super me animam meam, quoniam transibo in numerum, incedam cum eis vsq; ad domum Dei.*
In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.		*In voce laudis, & confessionis multitudo tripudians.*
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?	6	*Cur humiliasti te anima mea, & personuisti in me,*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, * & Deus meus.	7	*Expecta Deum, quia adhuc confitebor ei nam sunt salutes in vultu eius. * Deus mi.*
Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico.		*In me anima mea humiliata est: Idcirco recordabor tui de terra Iarden, & Chermonim de monte paruo.*
Abyssus abyssum inuocat, in voce cataractarum tuarum.	8	*Vorago, voraginem vocat ad sonitum fistularum tuarum.*
Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.		*Omnes inundationes tuæ, & fluctus tui super me transierunt.*
In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.	9	*In die præcipiet Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.*
Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Susceptor meus es,	10	*Erit mecum, oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: petræ meæ,*
Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?		*Vt quid oblitus es mei, vt quid pullatus ambulabo propter oppressionem inimici?*
Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei:	11	*Vt occisio est in ossibus meis, quum probris afficiunt me inimici mei:*
Dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? * quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?	12	*Dicentibus ipsis ad me omni die, vbi est Deus tuus? * cur humiliasti te anima mea, & cur personuisti in me?*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.		*Expecta Deum, quia adhuc confitebor ei, qui est salutes vultus mei, & Deus meus.*
Psalmus Dauid. XLII.	1	*Psalm. XLIII.*
IVdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.		*IVdica me Deus, & iudica iudicium meum de gente non misericorde, à viro doloso & iniquo eripe me.*
Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?	2	*Quia tu es Deus fortitudinis meæ, vt quid elongasti me, vt quid pullatus ambulabo propter oppressionem inimici?*
Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.	3	*Mitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa ducent me, introducent me ad montem sanctitatis tuæ.*
Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.	4	*Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ:*
Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: * quare tristis es anima me? & quare conturbas me?	5	*Et confitebor tibi in cithara, Deus Deus mi: * cur humiliasti te anima mea, & cur personuisti in me?*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.		*Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei: qui est salutes vultus mei, & Deus meus.*
In finem, Filiis Core ad intellectum. XLIII.	1	*Psalm. XLIV. Victori filijs Corach intelligentia.*
DEus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis.	2	*DEus auribus nostris audiuimus, patres nostri narrauerunt nobis,*
Opus, quod operatus es in diebus eorum: & in diebus antiquis.		*Opus operatus es in diebus eorum, in diebus pristinis.*
Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos:	3	*Tu manu tua gentes expellere feciſti, & plantasti eos, malefeciſti populis, & emisisti eos.*
Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos:	4	*Quia non gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non seruauit eos,*
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.		*Sed dextera tua, & brachium tuum, & lux vultus tui, quia complacuisti in eis.*
Tu es ipse rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Iacob.	5	*Tu ipse rex meus Deus, præcipe salutes Iahacob.*
In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.	6	*In te hostes nostros cornupetemus, in nomine tuo conculcabimus inimicos nostros.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.	7	*Quia non in arcu meo sperabo, & gladius meus non seruabit me.*
Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.	8	*Quoniam seruare feciſti nos ab hoſtibus noſtris, & odio habentes nos pudore affeciſti.*
In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.	9	*In Deo laudamus omni die, & nomini tuo in ſæculum confitebimur, Selah.*
Nunc autem repulisti & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.	10	*Etiam elongaſti, & erubeſcere feciſti nos, & non egredieris cum exercitibus noſtris.*
Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.	11	*Redire feciſti nos retrorſum ab hoſte: & odio habentes nos diripuerunt ſibijpſis noſtras opes.*
Dedisti nos tanquam oues escarum: & in gentibus dispersisti nos.	12	*Poſuiſti nos vt pecudes cibi, & in gentes diſperſiſti nos.*
Vendidisti populum tuum sine pretio: & nō fuit multitudo in commutationibus eorum.	13	*Vendidiſti populum tuum ſine diuitijs, & non multiplicaſti propter pretia eorum.*
Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.	14	*Ponere feciſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſionem his qui erant in circuitibus noſtris.*
Posuisti nos in similitudinem Gentibus: commotionem capitis in populis.	15	*Ponere feciſti nos prouerbium in Gentibus, commotionem capitis in populis.*
Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.	16	*Omni die verecundia mea coram me eſt, & pudor faciei meæ operuit me.*
A voce exprobrantis, & obloquentis: à facie inimici, & persequentis.	17	*Propter vocem probris afficientis & contumelijs afficientis propter inimicum, & vltorem.*
Hæc omnia venerūt super nos, nec obliti sumus te: & inique non egimus in testamento tuo.	18	*Totum hoc venit nobis, nec obliti ſumus tui: nec mentiti ſumus in pacto tuo.*
Et non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua:	19	*Non vertit ſe retrorſum cor noſtrum: neq; declinauit pes noſter de ſemita tua.*
Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.	20	*Quoniam contriuiſti nos in loco draconis, & operuiſti nos vmbra mortis.*
Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum:	21	*Si obliti ſumus nominis Dei noſtri, & expandimus palmas noſtras ad Deum alienum.*
Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.	22	*Nonne Deus inueſtigabit hoc, quia ipſe ſcit abſcondita cordis?*
* Ro.8.36 * Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.		*Quoniam propter te occiſi fuimus omni die, extimati fuimus vt pecudes ad iugulandum paratæ.*
Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.	23	*Suſcita te, vt quid dormies Domine? Expergiſcere, ne elonges te in ſæculum.*
Quare faciem tuam auertis, & obliuiscris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?	24	*Vt quid faciem tuam abſcondis, obliuiſceris afflictionis noſtræ, & oppreſſionis noſtræ?*
Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.	25	*Quia humiliauit ſe vſq; ad puluerem anima noſtra, adhæſit terræ venter noſter.*
Exurge Domine adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.	26	*Surge ad auxilium nobis, & redime nos propter miſericordiam tuam.*
In finem, pro iis, qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto. XLIV.	1	*Pſalm. XLV. Victori ſuper ſoſannim filijs Corach intellectus, canticum amorum.*
ERuctauit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi.	2	*ERuctauit cor meum verbum bonum, dico opera mea regi,*
Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.		*Lingua mea vt ſtilus ſcribæ velocis.*
Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum:	3	*Pulchruiſti præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit tibi Deus in ſæculum.*
Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime,	4	*Accinge te gladio tuo ſuper femur ô potens, gloria tua & decore tuo.*
Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna,	5	*Et in decore tuo proſperare, equita ſuper verbum veritatis, & manſuetudinis, & iuſtitiæ, & docebit te terribilia dextera tua.*
Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiā: & deducet te mirabiliter dextera tua.		
Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.	6	*Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in cor inimicorum regis cadent.*
* He.1.8. * Sedes tua Deus in sæculū sæculi: virga directionis virga regni tui.	7	*Sedes tua Deus in ſæculum & vltra, virga æquitatis eſt virga regni tui.*
Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.	8	*Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti impietatem propterea vnxit te Dominus Deus tuus oleo gaudij præ participibus tuis.*
Mirrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te * filiæ regum in honore tuo.	9 10	*Vt myrrha & aloes, caſſiæ, omnia veſtimenta tua ex ædibus eburneis, ex quibus latificauerunt te. * Filiæ regum cum honorabilibus tuis,*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.		*Astitit coniunx ad dexteram tuam in diademate aureo.*
Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam:& obliuiscere populum tuum,& domum patris tui.	11	*Audi filia,& vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui.*
Et concupiscet rex decorem tuum:quoniam ipse est Dominus Deus tuus,& adorabunt eum.	12	*Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus, & incurua te ei.*
Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur:omnes diuites plebis.	13	*Et filia tyri cum munere, vultum tuum deprecabuntur diuites populi.*
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus,in fimbriis aureis * circumamicta varietatibus.	14 15	*Tota inclyta est filia regis intrinsecus. Polymitis aureis induta, * cum vestibus phrygionicis.*
Adducentur regi virgines post eam:proximę eius afferentur tibi.		*Adducetur regi,virgines post eam, proximæ eius ducuntur tibi.*
Afferentur in lætitia & exultatione:adducentur in templum regis.	16	*Ducentur cum lætitijs,& exultatione, ingredientur palatium regis.*
Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.	17	*Pro patribus tuis erunt filij tui, pones eos principes in vniuersa terra.*
Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.	18	*Memorare faciam nominis tui in omni generatione, & generatione,*
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in sæculum sæculi.		*Propterea populi confitebuntur in sæculum, & vltra.*
In finem, filiis Core pro arcanis, Psalmus. XLV.	1	*Victori filijs Corach super Halamoth Canticum.* XLVI.
DEus noster refugium,& virtus: adiutor in tribulationibus,quæ inuenerunt nos nimis.	2	*DEus nobis spes,& fortitudo, auxilium in angustijs inuenimus validum.*
Propterea non timebimus dum turbabitur terra:& transferentur montes in cor maris.	3	*Propterea non timebimus cum mutabit terram, & cum mouerit montes in cor maris.*
Sonuerunt,& turbatæ sunt aquæ eorum:conturbati sunt montes in fortitudine eius.	4	*Sonabunt,turbabuntur aquæ eius,contremiscent montes propter sublimitatem eius,Selah.*
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.	5	*Fluminis eius riui lætificabunt ciuitatem Dei, sanctam habitaculorum altissimi.*
Deus in medio eius,non commouebitur:adiuuabit eam Deus mane diluculo.	6	*Deus in medio eius,ne commouearis,adiuuabit eam Deus respiciente mane.*
Conturbatæ sunt gentes,& inclinata sunt regna: dedit vocem suam,mota est terra:	7	*Sonuerunt gentes, mota sunt regna, dedit vocem suam, desluxit terra.*
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.	8	*Dominus exercituum nobiscum, eleuatio nobis Deus Iahacob,Selah.*
Venite,& videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:* auferens bella vsque ad finem terræ.	9 10	*Venite, videte opera Domini, quæ posuit solitudines in terra. * cessare facit bella vsq; ad extremum terræ,*
Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni:		*Arcum conteret,& concidet hastam, plaustra comburet igni.*
Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus,& exaltabor in terra.	11	*Vacate,& scitote quòd ego sum Deus:exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.*
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.	12	*Dominus exercituum nobiscum: eleuatio nobis Deus Iahacob,Selah.*
In finem, pro filiis Core Psalmus XLVI.	1	*Victori filijs Corach cantus.* XLVII.
OMnes Gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.	2	*OMnes populi plaudite manu, iubilate Deo in voce laudis.*
Quoniam Dominus excelsus,terribilis:Rex magnus super omnem terram.	3	*Quoniam Dominus altissimus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*
Subiecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris.	4	*Ducet populos subter nos & tribus subter pedes nostros.*
Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Iacob, quam dilexit.	5	*Eliget nobis hæreditatem nostram, gloriam quam dilexit,Selah.*
* Ascendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ. *2.Re.6.15.	6	*Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ.*
Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.	7	*Cantate Deo,cantate regi nostro, cantate.*
Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.	8	*Quoniam rex omnis terræ Deus, canite intelligibiliter.*
Regnabit Deus super gentes,Deus sedet super sedem sanctam suam.	9	*Regnauit Deus super gentes, Deus sedit super thronum sanctitatis suæ.*
Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ, vehementer eleuati sunt.	10	*Optimates populorum agregati sunt, populo Dei Abraham,quoniam ipsius Dei sunt scuta terræ, vehementer eleuatus est.*

Vulgat. Editio.

Psalmus Cantici filiis Core secunda sabbati. XLVII. 1

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. 2
Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. 3
Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. 4
Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. 5
Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos. 6 7
Ibi dolores vt parturientis, * in spiritu vehementi conteres naues Tharsis. 8
Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum. 9
Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. 10
Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. 11
Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. 12
Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius. 13
Ponite corda vestra in virtute eius: & distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera. 14
Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula. 15

In finem, filiis Core Psalmus. XLVIII. 1

AVdite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem: 2
Quique terrigenæ, & filij hominum: simul in vnum diues & pauper. 3
Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam. 4
* Pſ. 77. 2. Mat. 13. 53. * Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam. 5
Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me: 6
Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. 7
Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam. 8
Et pretium redemptionis animæ suæ: & laborabit in æternum, * & viuet adhuc in finem 9 10
Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt. 11
Et relinquent alienis diuitias suas: * & sepulchra eorum domus illorum in æternum. 12
Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis.
Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. 13
Hæc via illorum scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt. 14
Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. 15
Et dominabuntur eorum iusti in matutino: & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.
Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. 16
Ne timueris cum diues factus fuerit homo: & cũ multiplicata fuerit gloria domus eius. 17

Quo-

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Psal. XLVIII.
Canticum cantus Corach.

MAgnus Dominus, & laudabilis valde in ciuitate Dei nostri, monte sanctitatis eius.
Pulcher termino, gaudium vniuersæ terræ, mons Sijon ad latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.
Deus in ædibus eius notus est, ad eleuationem.

Quoniam ecce reges congregati sunt, transierunt pariter.

*Ipsi viderunt, sic admirati sunt, territi sunt, festinauerunt: * tremor apprehendit eos.*
*Ibi, dolor tanquam parturientis: * vento Orientali conteres naues Tharsis.*
Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam vsq; in sæculum, Selah.
Cogitauimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.
Secundum nomen tuum Deus, sic laus tua vsq; ad fines terræ, iustitia plena est dextera tua.
Lætetur mons Sijon, exultent filiæ Iehudah propter iudicia tua.
Circundate Sijon, & circuite eam: numerate turres eius.

Ponite cor vestrum ad antemurale eius, roborate palatia eius, vt enarretis in progenie nouissima.
Quoniam iste Deus Deus noster in sæculum, & vltra ipse ducet nos vsq; ad mortem.

Psalm. XLIX.
Victori filijs Corach cantus.

AVdite hos omnes populi, auscultate omnes habitatores orbis.
Etiam filij hominum, etiam filij viri, pariter diues, & pauper.
Os meum loquetur sapientias, & meditatio cordis mei intelligentias.
Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam cum cithara ænigma meum.
Vt quid timebo in diebus malis, iniquitas calcaneorum meorum circundabit me?
Qui fidunt opibus suis, & in multitudine diuitiarum suarum iactant se.
Fratrem non redimendo redimet quispiam, nec dabit Deo propitiationem suam.
*Et pretiosa erit redemptio animæ eorum, & desinet in sæculum: * & num viuet adhuc in sæculum,*
Non videbit foueam, quum viderit sapientes mori? Simul stultus, & insipiens peribunt,
Et relinquet alienis diuitias suas: interiora eorum, domus eorum in sæculum.
Tabernacula eorum in generatione, & generationem, vocauerunt in nominibus suis terras.
Et homo in honore non permanebit, assimilatus est iumentis, quæ intereunt.

Hæc via eorum stultitia ipsis, & posteri eorum secundum ipsam ibunt.
Sicut pecora in inferno ponentur, mors depascet eos,

Et dominabuntur eis recti mane, & figura eorum vt veterascat egredietur ad foueam, ab habitaculo quod erat sibi.
Veruntamen Deus redimet animam meam de potestate inferi, cum acceperit me, Selah.
Ne timueris cum ditatus fuerit vir: cum multiplicauerit gloria domus eius.

Quo-

Vulgat. Editio.

Quoniam cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius. 18

Quia anima eius in vita ipſius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei. 19

Introibit vſque in progenies patrum ſuorum: & vſque in æternum non videbit lumen. 20

Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. 21

Pſalmus Aſaph. XLIX. 1

DEus deorum Dominus locutus eſt: & vocauit terram,

A ſolis ortu vſque ad occaſum: * ex Sion ſpecies decoris eius. 2

Deus manifeſte veniet: Deus noſter & non ſilebit. 3

Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.

Aduocabit cœlum de ſurſum: & terram diſcernere populum ſuum. 4

Congregate illi ſanctos eius: qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. 5

Et annunciabunt cœli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt. 6

Audi populus meus, & loquar: Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum. 7

Non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. 8

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. 9

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus & boues. 10

Cognoui omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum eſt. 11

Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. 12

Numquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? 13

Immola Deo ſacrificium laudis: & redde Altiſſimo vota tua. 14

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. 15

Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum: 16

Tu vero odiſti diſciplinam: & proieciſti ſermones meos retrorſum: 17

Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. 18

Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. 19

Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: * hæc feciſti, & tacui, 20 21

Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum: ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. 22

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. 23

In finem, Pſalmus Dauid, 1
Cum venit ad eum Nathan Propheta, 2
quando intrauit ad Bethſabee.
(2. Reg. 12.) L.

MIſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. 3

Et

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Quoniam non cum mortuus fuerit accipiet omnia, neq; deſcendet poſt eum gloria eius,

Quoniam animæ ſuæ in vita ſua benedixit, & laudabunt te pij. quod benefeceris tibi.

Introibit vſq; in progeniem patrum ſuorum qui vſq; in ſæculum non videbunt lumen.

Homo in honore, & non intelliget, aſſimilatus eſt iumentis, quæ pereunt.

Cantus ipſi Aſaph. Pſal. L.

DEus Dominus locutus eſt, & vocauit terram,

*Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum eius. * Ex Sijon perfecti decoris.*

Deus illuſtrauit: Veniet Deus noſter, & non ſilebit,

Ignis coram eo vorabit, & in circuitu eius tempeſtate affecta eſt vehementer.

Vocabit cœlos deſuper, & terram, vt iudicet populum ſuum.

Congregate mihi ſanctos meos qui pepigerunt pactum mecum ſuper ſacrificium.

Et nunciauerunt cœli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt, Selah.

Audi populus mi, & loquar Iſrael, & teſtificari faciam contra te: Deus Deus tuus ego ſum.

Non ſuper ſacrificia tua arguam te, nec ſuper holocauſta tua quod non fuerint coram me ſemper.

Non accipiam è domo tua iuuencum, de ſeptis tuis hircos.

Quoniam mihi ſunt omnis beſtia ſylua, animalia in montibus mille.

Cognoui omne volatile montium: & fera agri mecum eſt.

Si eſuriero non dicam tibi: quia meus eſt orbis, & plenitudo eius.

Nunquid comedam carnem taurorum, & ſanguinem hircorum bibam?

Imola Deo laudem, & redde altiſſimo vota tua.

Inuoca me in die anguſtiæ, eruam te, & honorificabis me.

Impio autem dixit Deus, quid tibi, vt enarres inſtituta mea, & aſſumas pactum meum in ore tuo?

Et tu odiſti diſciplinam: proieciſti verba mea poſt te.

Si videbas furem, ibas cum eo, & cum adulteris portio tua erat.

Os tuum mittebas in malum, & lingua tua concinnabat dolum.

*Sedebas contra fratrem tuum, loquebaris contra filium matris tuæ dabas probrum, * hæc feciſti, & tacui,*

Exiſtimaſti quòd eſſendo eſſem ſicut tu: ſed arguam te, & ordinabo in oculis tuis iudicium.

Intelligite quæſo hoc, qui obliuiſcimini Dei, ne forte rapiam, & non ſit qui eruat.

Qui ſacrificauerit confeſſionem honorificabit me, & ponenti viam Dei coram ſe oſtendam ſalutem Dei.

Pſalm. LI. 1
Victori Cantus ipſi Dauid, 2
Quando venit ad eum Nathan propheta,
cum intrauit ad Bathſebah.

MIſerere mei Deus ſecundum miſericordiam tuam. 3

Secun-

Vulgat. Editio.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

* Ro. 3. 4. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: ✱ vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

* Leui. 14. Num. 19. ✱ Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

In finem, Intellectus Dauid, Cum venit Doeg Idumæus, & nunciauit Sauli: Venit Dauid in domum Achimelech. (1. Reg. 22. 9.) LI.

QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa.

Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicē tuam de terra viuentium.

Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: ✱ ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum:

Sed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum: & prævaluit in vanitate ſua.

Ego autem, ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum: & in ſæculum ſæculi.

Confitebor tibi in ſæculum quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele prævaricationes meas.

Plurimum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Quoniam prævaricationes meas ego agnoſco, & peccatum meum coram me eſt ſemper

Tibi, ſoli tibi peccaui, & malum in oculis tuis feci vt iuſtifices te, quum locutus fueris, purifices te cum iudicaueris.

Ecce cum iniquitate genitus ſum, & cum peccato calefacta eſt de me mater mea.

Ecce veritatem voluiſti in renibus, & occultum ſapientiæ ſcire feciſti me.

Purificabis me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & præ niue dealbabor.

Audire facies me gaudium, & lætitiam, exultabunt oſſa, quæ contriuiſti.

Abſconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea mihi Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctitatis tuæ ne capias à me.

Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & ſpiritus voluntarius confirmet me.

Docebo prævaricatores vias tuas, & peccatores ad te conuertentur.

Erue me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, laudabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam non vis ſacrificium, & darem: holocauſtum non vis.

Sacrificia Dei ſpiritus contritus: cor contritum, & confractum Deus non deſpicies.

Benefac in voluntate tua ipſi Sijon, adifices muros Ieruſalaim.

Tunc voles ſacrificia iuſtitiæ, holocauſtum, & oblationem: tunc offerent ſuper altare tuum vitulos.

Pſalm. LII.
Victori ipſi Dauid intellectus.
Cum venit Doeg Edomæus, & nunciauit ipſi Saul, & dixit ei, Venit Dauid in domum Achimelech.

CVr iactas te de malitia ô potens, miſericordia Dei.

Omni die contritiones cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta faciens dolum.

Dilexiſti malum magis quàm bonum: mendacium magis quàm loqui iuſtitiam, Selah.

Dilexiſti omnia verba diſſipata: linguam doloſam.

Etiam Deus deſtruet te in ſæculum, tollet te, euellet te è tabernaculo, & eradicabit te è terra viuentium, Selah.

Et videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt: ✱ ecce vir qui non poſuit Deum fortitudinem ſuam,

Sed fidit multitudini diuitiarum ſuarum, roboratus eſt in prauitate ſua.

Ego autem ſicut olea viridis in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei in ſæculum, & vltra.

Confitebor tibi in ſæculum, quoniam feciſti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt coram miſericordibus tuis.

Vulgat. Editio.

In finem,
Pro Maeleth intelligentiæ Dauid. 1
LII.

DIxit insipiens in corde suo:Non est Deus.
Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in 2
iniquitatibus: non est qui faciat bonum.
* Ps.13.1. ★ Deus de cœlo prospexit super filios hominum: 3
vt videat si est intelligens,aut requirens Deum.
* Ro 3 11. ★ Omnes declinauerunt,simul inutiles facti sunt: 4
non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:
Nonne scient omnes,qui operantur iniquitatem, 5
qui deuorant plebem meam vt cibum panis?
Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt ti- 6
more,vbi non erat timor.
Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui homi-
nibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spre-
uit eos.
Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuer- 7
terit Deus captiuitatem plebis suæ,exultabit Iacob,
& lætabitur Israel.

In finem,
In carminibus intellectus Dauid, 1
Cum venissent Ziphæi,& dixissent ad Saul: 2
Nonne Dauid absconditus est apud nos?
(1.Reg.23.19.& 26.1.)
LIII.

DEus in nomine tuo saluum me fac:& in virtu- 3
te tua iudica me.
Deus exaudi orationem meam: auribus percipe 4
verba oris mei.
Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me,& 5
fortes quæsierunt animam meam: & non propo-
suerunt Deum ante conspectum suum.
Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susce- 6
ptor est animæ meæ.
Auerte mala inimicis meis:& in veritate tua dis- 7
perde illos.
Voluntarie sacrificabo tibi,& confitebor nomini 8
tuo Domine:quoniam bonum est:
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & 9
super inimicos meos despexit oculus meus.

In finem,In carminibus intellectus 1
Dauid. LIV.

EXaudi Deus orationem meam, & ne despexe- 2
ris deprecationem meam: ★ intende mihi, & 3
exaudi me.
Contristatus sum in exercitatione mea: & con-
turbatus sum ★ à voce inimici, & à tribulatione 4
peccatoris.
Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in
ira molesti erant mihi.
Cor meum conturbatum est in me: & formido 5
mortis cecidit super me.
Timor & tremor venerunt super me: & conte- 6
xerunt me tenebræ.
Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, 7
& volabo,& requiescam?
Ecce elongaui fugiens:& mansi in solitudine. 8

Expectabam eum,qui saluum me fecit à pusilla- 9
nimitate spiritus,& tempestate.
Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quo- 10
niam vidi iniquitatem,& contradictionem in ciui-
tate.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Psalm. LIII.
Victori super Machalath intellectus
ipsi Dauidi.

DIxit stultus in corde suo:Non est Deus,
Corruperunt viam suam, *& abominabilem fece-*
runt iniquitatem,& non est qui faciat bonum.
Deus è cœlo prospexit super filios hominum, vt videat
an sit intelligens requirens Deum.
Totus ipse retrocessit, pariter computruerunt:non est qui
faciat bonum, non est etiam vnus.
Nonne cognouerunt operantes iniquitatem, deuorantes
populum meum,ac si comederent panem,
Deum non inuocauerunt:ibi timuerunt timore, vbi non
fuit timor,
Quoniam Deus dispersit ossa castrametantis contra te:
pudore affecisti,quoniam Deus spreuit eos.

Quis dabit ex Sijon salutes Israel,cum conuerterit Deus
captiuitatē populi sui,exultabit Iahacob, lætabitur Israel?

Psalm. LIIII.
Victori in psalmis intellectus ipsi Dauid.
Cum venissent Ziphim, & dixissent
ad Saul. Nonne Dauid absc on-
ditus est apud nos?

DEus in nomine tuo saluum me fac, & in fortitudine
tua iudica me.
Deus audi orationem meam,ausculta sermones oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes
quæsierunt animam meam, non posuerunt Deum coram se,
Selah.
Ecce Deus auxiliatur mihi:Dominus est inter sustenta-
tores animæ meæ.
Reddet malum inimicis meis: in veritate tua succidet
illos.
Voluntarie sacrificabo tibi, confitebor nomini tuo Domi-
ne: quoniam bonum est.
Quoniam ex omni angustia eripuit me: & in hostibus
meis,vidit oculus meus.

Psalm. LV.
Victori in psalmis intellectus ipsi Dauidi.

AVribus percipe Deus orationem meam, & ne abscondas te à deprecatione mea: ★ intende mihi,& exaudi me,
Clamabo in sermone meo, & tumultuabor: ★ à voce
inimici,& à facie angustiæ impij.

Quoniam extenderunt contra me mendacium, & in
furore aduersati sunt mihi.
Cor meum doluit in medio mei:& terrores mortis ceci-
derunt super me.
Timor, & tremor venit super me:& operuit me tremor.

Et dixi: Vtinam haberem alas sicut columba, volarem,
& requiescerem.
Ecce elongabo me transmigrando, commorabor in deser-
to,Selah.
Festinarem eruere me à vento, qui suscitatur à turbine.

Perde Domine, diuide linguam eorum, quoniam vidi
iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas:& labor in medio eius,* & iniustitia.	11 12	*Die ac nocte circumdederunt eam super muros eius, & iniquitas, & peruersitas est in medio eius, * prauitates sunt in medio eius,*
Et non defecit de plateis eius vsura,& dolus.		*Et non recessit è platea eius fraus,& dolus.*
Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.	13	*Quia nō inimicus probris affecit me,quod sustinuissem,*
Et si is,qui oderat me, super me magna locutus fuisset:abscondissem me forsitan ab eo.		*Non odio habēs me aduersum me magnificauit os suum: quia abscondissem me ab eo.*
Tu vero homo vnanimis: dux meus, & notus meus:	14	*Sed tu homo secundum æqualitatem meam, dux meus, & notus meus.*
Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.	15	*Qui simul dulcescere faciebamus secretum,in domo Dei ambulabamus coniunctim.*
Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes:	16	*Exiget debitum mors ab eis, descendent in infernum viuentes.*
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum:in medio eorum.		*Quia mala sunt in societate eorum,in medio eorum.*
Ego autem ad Deum clamaui:& Dominus saluabit te.	17	*Ego ad Deum clamabo,& Dominus seruabit me.*
Vespere,& mane, & meridie narrabo & annunciabo:& exaudiet vocem meam.	18	*Vespere,& mane,& meridie loquar,& tumultuabor,& exaudiet vocem meam,*
Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum,	19	*Redimet in pace animam meam à bello quod est contra me,quoniam multi sunt mecum.*
Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula.	20	*Audiet Deus, & humiliabit eos: & manens ab initio, Selah.*
Non enim est illis commutatio,& non timuerunt Deum:* extendit manum suam in retribuendo:	21	*Quibus non sunt mutationes,& non timuerunt Deum: * misit manum suam in eos qui pacifici erant cum eo,*
Contaminauerunt testamentum eius, * diuisi sunt ab ira vultus eius:& appropinquauit cor illius.	22	*Polluit pactum eius: * lenierunt magis quàm butyrum os suum, & prælium cor eius,*
Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula.		*Leniora fuerunt verba eius plusquam oleum: & ipsa sunt gladij.*
* Ma.6. 25. Luc 12. 22. 1.Pet.5. 7. * Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet:nō dabit in æternum fluctuationem iusto.	23	*Proijce super Dominum pondus tuum, & ipse feret te non dabit in sæculum nutationem iusto.*
Tu vero Deus deduces eos,in puteum interitus.	24	*Tu autem Deus descendere facies eos in puteum foueæ,*
Viri sanguinum,& dolosi non dimidiabunt dies suos:ego autem sperabo in te Domine.		*Viri sanguinolenti, & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem fido tibi.*
In finem, Pro populo,qui à Sanctis longe factus est, Dauid in tituli inscriptionem,cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. (1.*Reg.*21.12.) LV.	1	*Psalm. LVI. Victori super columbam mutam in remotis, ipsi Dauid Mictam cum tenerent eum Philistim in Gath.*
Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo:tota die impugnans tribulauit me.	2	*Miserere mei Deus,quoniam absorbere vult me homo: omni die bellans opprimit me.*
Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me.	3	*Absorbere volunt me inimici mei omni die, quoniam multi bellantes pro me sunt in excelso.*
Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.	4	*In die timebo,ego tibi fidam.*
In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: non timebo quid faciat mihi caro.	5	*In Deo laudabo verbum eius,Deo fidi: non timebo quid faciat caro mihi.*
Tota die verba mea execrabantur:aduersum me omnes cogitationes eorum,in malum.	6	*Tota die propter verba mea dolore afficiunt me, aduersum me sunt omnes cogitationes eorum in malum.*
Inhabitabunt & abscondent: ipsi calcaneum meum obseruabunt.	7	*Congregantur,latent,ipsi vestigia mea obseruant,*
Sicut sustinuerunt animam meam, * pro nihilo saluos facies illos:in ira populos confringes.	8	*Quum expectant animam meam. * num propter iniquitatem euasio erit eis?in furore populos descendere fac,*
Deus,* vitam meam annunciaui tibi:posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.	9	*Deus: migrationes meas numerasti, tu pone lachrymas meas in vtre tuo.*
Sicut & in promissione tua:* tunc conuertentur inimici mei retrorsum:	10	*Nonne in libro tuo sunt?tunc conuertentur inimici mei retrorsum,*
In quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.		*In die qua clamabo,hoc noui quòd Deus pro me est.*
In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui,non timebo quid faciat mihi homo.	11	*In Deo laudabo verbum,in Domino laudabo verbum:in Deo fidi,non timebo quid faciat homo mihi.*
In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.	12	*Mea interest des,vt pro ijs, quæ noui tibi reddam laudes tibi.*

Vulgat. Editio.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium. 13

In finem,
Ne disperdas, Dauid in tituli inscriptionem, cum fugeret à facie Saul in speluncam. (2. Reg. 22. 1. & 24. 4.) LVI. 1

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. 2
Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec trãseat iniquitas.
Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi. 3
Misit de cœlo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me. 4
Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, ✶ & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus. 5
Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.
Exaltare super cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua. 6
Laqueum parauerunt pedibus meis: & incurua-uerunt animam meam. 7
Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam. 8
Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo. 9
Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus: 10
Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. 11
Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. 12

In finem,
Ne disperdas, Dauid in tituli inscriptionem. LVII. 1

Si vere vtique iustitiam loquimini: recte iudicate filij hominum. 2
Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant. 3
Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa. 4
Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, 5
Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis sapienter. 6
Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus. 7
Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur. 8

Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem. 9
Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viuentes, sic in ira absorbet eos. 10
Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. 11
Et dicet homo: Si vtique est fructus iusto: vtique est Deus iudicans eos in terra. 12

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Quoniam eripuisti animam meam à morte, nonne & pedes meos ab expulsione mei, vt ambulem coram Deo in lumine viuentium? 13

Psalm. LVII.
Victori, Ne disperdas ipsi Dauid Mictam, quando fugit à facie Saul in speluncam. 1

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te sperauit anima mea, 2
Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat contritiones.
Clamabo ad Deum altissimum: ad Deum retribuentem mihi. 3
Mittet è cœlis, & seruabit me à probro deglutire volentis me, Selah. 4
Mittet Deus misericordiam suam, & veritatem suam: ✶ anima mea est inter leones, iaceo inter ardentes, 5
Inter filios hominum, quorum dentes sunt vt lancea, & sagittæ, & lingua eorum vt gladius acutus.
Exalta te super cœlos Deus, super omnem terram gloriam tuam. 6
Rete parauerunt gressibus meis, incuruauit se anima mea, 7
Foderunt ante me foueam: ceciderunt in medium eius Selah.
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & canam. 8
Exurge gloria mea, exurge nebel, & cithara, exurgam diluculo. 9
Confitebor tibi in populis Domine, & canam tibi in gentibus. 10
Quoniam magna est vsq; ad cœlos misericordia tua, & vsq; ad cœlos veritas tua. 11
Exalta te super cœlos Deus, super omnem terram gloriam tuam. 12

Psalm. LVIII.
Victori, Ne disperdas ipsi Dauid Mictam. 1

Num vere ô congregatio iustitiam loquemini, æquitates iudicabitis filij hominum? 2
Etiam in corde iniquitates operabimini, in terra iniquitatem manuum vestrarum appendetis? 3
Alienati sunt impij à vulua, errauerunt ab vtero: loquentes mendacium. 4
Venenum est illis instar serpentis, sicut aspidis surdæ quæ obturat aurem suam. 5
Quæ non obtemperabit voci incantantium, incantantis incantationes, sapienter. 6
Deus contere dentes eorum, in ore ipsorum: molas catulorum leonum confringe Domine. 7
Dissoluentur sicut aquæ, ambulabunt sibi ipsis, intendent sagittas suas, sed erunt *ac si essent excisæ.* 8

Sicut limax defluens, pergent, sicut abortiuus mulieris, ne videant solem. 9
Antequam sentiant lebetes vestri ignem *rhamni, sicut caro cruda, sic ira vt turbo perdet eos.* 10
Lætabitur iustus cum viderit vindictam: pedes suos lauabit in sanguine impij. 11
Et dicet homo: Vere est fructus iusto, vtiq; est Deus iudicans in terra. 12

Vulgat. Editio.

In finem,
Ne diſperdas,Dauid in tituli inſcriptionem, 1
quando miſit Saul,& cuſtodiuit domum
eius,vt eum interficeret.
(1.Reg.19.11.) LVIII.

ERipe me de inimicis meis Deus meus : & ab in- 2
ſurgentibus in me libera me.
Eripe me de operantibus iniquitatem:& de viris 3
ſanguinum ſalua me.
Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt 4
in me fortes.
Neque iniquitas mea, neque peccatum meum 5
Domine:ſine iniquitate cucurri,& direxi.
Exurge in occurſum meum, & vide:& tu Domi- 6
ne Deus virtutum,Deus Iſrael,
Intende ad viſitandas omnes gentes:non miſere-
aris omnibus qui operantur iniquitatem.
Conuertentur ad veſperam:& famem patientur 7
vt canes,& circuibunt ciuitatem.
Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis 8
eorum:quoniam quis audiuit?
Et tu Domine deridebis eos:ad nihilum deduces 9
omnes gentes.
Fortitudinem meam ad te cuſtodiam,quia Deus 10
ſuſceptor meus es : * Deus meus miſericordia eius 11
præueniet me.
Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos, ne oc- 12
cidas eos:nequando obliuiſcantur populi mei.
Diſperge illos in virtute tua : & depone eos pro-
tector meus Domine:
Delictum oris eorum,ſermonem labiorum ipſo- 13
rum:& comprehendantur in ſuperbia ſua.
Et de execratione & mendacio annunciabuntur
* in conſummatione : in ira conſummationis, & 14
non erunt.
Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob : & fi-
nium terræ.
Conuertentur ad veſperam:& famem patientur 15
vt canes:& circuibunt ciuitatem.
Ipſi diſpergentur ad manducandum:ſi vero non 16
fuerint ſaturati, & murmurabunt.
Ego autem cantabo fortitudinem tuam:& exul- 17
tabo mane miſericordiam tuam.
Quia factus es ſuſceptor meus,& refugium meũ,
in die tribulationis meæ.
Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor 18
meus es:Deus meus miſericordia mea.

In finem,
Pro his, qui immutabuntur, in tituli inſcriptio- 1
nem ipſi Dauid in doctrinam, * cum ſuccendit 2
Meſopotamiam Syriæ,& Sobal,& conuertit Ioab,
& percuſſit Idumæam in valle Salinarum duo-
decim millia.
(2.Reg.8.1.& 10.7. & 1.Par.18.1.) LIX.

DEus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos:iratus es, 3
& miſertus es nobis.
Commouiſti terram, & conturbaſti eam : ſana 4
contritiones eius,quia commota eſt.
Oſtendiſti populo tuo dura :potaſti nos vino 5
compunctionis.
Dediſti metuentibus te ſignificationem : vt fu- 6
giant à facie arcus:
Vt liberentur dilecti tui : * ſaluum fac dextera 7
tua,& exaudi me.
Deus locutus eſt in ſancto ſuo:Lætabor, & parti- 8
bor Sichimã : & cõuallẽ tabernaculorum metibor.

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Pſalm. LIX.
Victori, ne diſperdas ipſi Dauid Mictam,
quando miſit Saul, & cuſtodierunt
domum, vt interfice-
rent eum.

ERipe me ab inimicis meis Deus mi, & ab inſurgentibus
contra me eleua me.
Eripe me ab operarijs iniquis, & à viris ſanguinolentis
ſerua me.
Quia ecce inſidiati ſunt animæ meæ, congregati ſunt
aduerſum me fortes.
Abſq; præuaricatione mea, & abſq; peccato meo Domine:
abſq; iniquitate cucurrerunt, & parauerunt ſe,
Suſcita te in occurſum meum, & vide : & tu Domine
Deus exercituum, Deus Iſrael,
Euigila ad viſitandum omnes gentes, ne miſerearis om-
nium præuaricatorum iniquorum, Selah.
Conuertentur ad veſperam, tumultuabuntur ſicut ca-
nis, & circuibunt ciuitatem.
Ecce loquentur ore ſuo, gladij ſunt in labijs eorum, quo-
niam quis audit?
Tu autem Domine deridebis eos: ſubſannabis omnes gen-
tes.
Fortitudinem eius tibi cuſtodiam, quoniam Deus eleua-
*tio mea eſt : * Deus miſericordiæ meæ præueniet me,*
Deus videre faciet me vltionem *de inimicis meis: ne*
occidas eos, ne forte obliuiſcatur populus meus,
Commoue eos in fortitudine tua, & depone eos clypeus
noſter Domine.
Propter *peccatum oris eorum*, propter *verbum labio-*
rum ipſorum, & capiantur propter ſuperbiam ſuam,
*Et de contumelia, & mendacio narrabunt : * conſume*
in furore, conſume, & non ſint,
Et ſciant, quia Deus dominatur in Iahacob, vſq; ad fines
terræ, Selah.
Et conuertentur ad veſperam, tumultuabuntur ſicut
canis: & circuibunt ciuitatem.
Ipſi vagabuntur vt comedant, ſi non fuerint ſaturati,
& murmurabunt.
Et ego autem cantabo fortitudinem tuam, & laudabo
mane miſericordiam tuam.
Quia fuiſti eleuatio mihi, & refugium in die angustiæ
meæ.
Fortitudo mea tibi cantabo, quia Deus eleuatio mea,
Deus miſericordiæ meæ.

Pſalm. LX.
Victori ſuper lilium Suſan teſtimonij, Mictam ipſi
*Dauid ad docendum, * cum rixaretur cum*
Aram Naharaim, & cum Aram Sobah,
& reuerſus eſt Ioab, & percuſſit Edom
in valle ſalis duodecim
millia.

DEus elongaſti nos, ſcidiſti nos, iratus es, reuerteris ad
nos.
Tremere feciſti terram, ſcidiſti eam, ſana contritiones
eius, quia nutat.
Videre feciſti populum tuum dura, propinare feciſti nobis
vinum ſoporatiuum.
Dediſti metuentibus te ſignum, vt eleuent ſe propter ve-
ritatem, Selah.
Vt liberentur dilecti tui, ſaluum fac dextera tua, &
exaudi me.
Deus locutus eſt per ſanctitatem ſuam, lætabor, diuidam
Sechem, & vallem Succoth metiar.

Vulgat. Editio.

Meus est Galaad,& meus est Manasses:& Ephraim fortitudo capitis mei. 9

Iuda rex meus * Moab olla spei meæ. 10

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam? 11

Nonne tu Deus,qui repulisti nos:& non egredieris Deus in virtutibus nostris? 12

Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. 13

In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. 14

In finem, 1
In hymnis Dauid. LX.

EXaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ. 2

A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum,in petra exaltasti me. 3

Deduxisti me, * quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici. 4

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum. 5

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. 6

Dies super dies regis adiicies: annos eius vsque in diem generationis & generationis. 7

Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam & veritatem eius quis requiret? 8

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi:vt reddam vota mea de die in diem. 9

In finem,
Pro Idithun,Psalmus Dauid. LXI. 1

NOnne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. 2

Nam & ipse Deus meus,& salutaris meus: susceptor meus,non mouebor amplius. 3

Quousque irruitis in hominem?interficitis vniuersi vos: tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ? 4

Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere,cucurri in siti:ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. 5

Verumtamen Deo subiecta esto anima mea:quoniam ab ipso patientia mea. 6

Quia ipse Deus meus,& saluator meus: adiutor meus non emigrabo. 7

In Deo salutare meum, & gloria mea:Deus auxilij mei,& spes mea in Deo est. 8

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum. 9

Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 10

Nolite sperare in iniquitate,& rapinas nolite cõcupiscere:diuitiæ si affluant,nolite cor apponere. 11

Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, * & tibi Domine misericordia: * quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. 12 13

* Mat.16. 27. Ro.2.6. 1 Cor.3 & Gal.6 5.

Psalmus Dauid, 1
Cum esset in deserto Idumææ.
(1.Reg.22.5.) LXII.

DEus Deus meus ad te de luce vigilo. 2
Sitiuit in te anima mea,quàm multiplicite tibi cáro mea.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Meus est Ghilhad, & meus est Menasseh, & Ephraim fortitudo capitis mei, 9

*Iehudah legifer meus: * Moab olla lotionis meæ, 10*

Super Edom proijciam calciamentum meum super me Peleseth iubila.

Quis deducet me ad ciuitatem munitam, quis deducet me vsq; ad Edom? 11

Nonne tu Deus proiecisti nos? & non egredieris Deus cum exercitibus nostris. 12

Da nobis auxilium in angustia:& mendax salus hominis. 13

In Deo faciemus fortitudinem, & ipse conculcabit inimicos nostros. 14

Psal. LXI. 1
Victori super neghinoth ipsi Dauid.

AVdi Deus clamorem meum:intende orationi meæ. 2

Ab extremo terræ ad te clamabo,cum defecerit cor meum ad petram quæ celsior est me, 3

*Deduces me: * quia fuisti spes mihi,turris fortitudinis à facie inimici. 4*

Habitabo in tabernaculo tuo in sæcula, sperabo in abscondito alarum tuarum,Selah. 5

Quoniam tu Deus audisti vota mea,dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. 6

Dies super dies regis adijcies, anni eius sicut generatio & generatio. 7

Manebit in sæculum coram Deo: misericordiam & veritatem præpara quæ conseruant eum. 8

Sic canam nomini tuo in sæculum: vt reddam vota mea de die in diem. 9

Psalm. LXII. 1
Victori ipsi Ieduthun cantus ipsi Dauid.

TAntum Deo silet anima mea:ab ipso salus mea. 2

Tantum ipse est Deus meus,& salus mea, eleuatio mea, non declinabo multa declinatione. 3

Vsquequo cogitabitis praua contra vnumquemq;, interficiemini vniuersi vos, eritis tanquam paries inclinatus, maceria impulsa. 4

Veruntamen à magnitudine ipsius Dei consuluerunt expellere alter alterum, voluerunt mendacium, ore suo benedicebant,& intimo suo maledicebant,Selah. 5

Tantum Deo tace anima mea, quoniam ab ipso est quod præstolor. 6

Tantum ipse est Deus meus,& salus mea,eleuatio mea, non declinabo. 7

In Deo est salus mea, & gloria mea, robur fortitudinis meæ, spes mea in Deo. 8

Sperate in eo omni tempore populi, effundite coram illo cor vestrum,Deus est spes nostra, Selah. 9

Tantum vanitas sunt filij hominum,mẽdacium filij viri, in stateris si ascendant, leuiores *sunt vanitate pariter. 10*

Ne fidatis calumniæ,& rapinæ, ne euanescatis, substantia si multiplicetur, ne ponatis cor. 11

*Semel locutus est Deus, bis hoc audiui, quia fortitudo est Deo: * & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuiq; secundum opus suum. 12 13*

Psalm. LXIII. 1
Cantus ipsi Dauid cum esset in deserto Iehudah.

DEus Deus meus es tu, quæram te, 2
Sitiuit te anima mea, desiderauit te caro mea.

Vulgat. Editio.

In terra deserta,& inuia, & inaquosa:sic in sancto apparui tibi,vt viderem virtutem tuam,& gloriam tuam. 3

Quoniam melior est misericordia tua super vitas:labia mea laudabunt te. 4

Sic benedicam te in vita mea : & in nomine tuo leuabo manus meas. 5

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum. 6

Si memor fui tui super stratum meum,in matutinis meditabor in te:* quia fuisti adiutor meus. 7 8

Et in velamento alarum tuarum exultabo,* adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua. 9

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : * tradentur in manus gladij,partes vulpium erunt. 10 11

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua. 12

In finem,
Psalmus Dauid. LXIII. 1

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. 2

Protexisti me à conuentu malignantium:à multitudine operantium iniquitatem. 3

Quia exacuerunt vt gladium linguas suas:intenderunt arcum rem amaram, * vt sagittent in occultis immaculatum. 4 5

Subito sagittabunt eum,& non timebunt:firmauerunt sibi sermonem nequam. 6

Narrauerunt vt absconderent laqueos:dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio. 7

Accedet homo ad cor altum : * & exaltabitur Deus. 8

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum:* & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. 9

Conturbati sunt omnes qui videbant eos:* & timuit omnis homo. 10

Et annunciauerunt opera Dei : & facta eius intellexerunt.

Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo,& laudabuntur omnes recti corde. 11

In finem, Psalmus Dauid,
Canticum Hieremię,&Ezechielis populo transmigrationis,cum inciperent exire.LXIV. 1

TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Ierusalem. 2

Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet. 3

Verba iniquorum prævaluerunt super nos:& impietatibus nostris tu propitiaberis. 4

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti:inhabitabit in atriis tuis. 5

Replebimur in bonis domus tuæ:sanctum est tẽplum tuum,* mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. 6

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : * qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius. 7 8

Turbabuntur gentes,* & timebunt qui habitant terminos à signis tuis : exitus matutini & vespere delectabis. 9

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

In terra deserti, & sitibunda absq; aqua:sic in sanctitate vidi te,vt videam fortitudinẽ tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua,quàm vita,labia mea laudabunt te.

Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine saturabitur anima mea, & labijs laudationum laudabit os meum.

*Si recordatus fuero tui in cubilibus meis, in vigilijs meditabor de te : * quia fuisti auxilium mihi,*

*Et in vmbra alarum tuarum laudabo : * adhæsit anima mea tibi,me sustentauit dextera tua.*

*Ipsi autem ad desolationem quærent animam meam, introibunt inferiora terræ : * occident eum gladio, pars vulpium erunt.*

Rex vero lætabitur in Deo, laudabitur omnis qui iurat per eum, quia obstruetur os loquentium mendacium.

Psal. LXIV.
Victori cantus ipsi Dauid.

AVdi Deus vocem meam in sermone meo, à timore inimici custodi vitam meam.

Absconde me à consilio malignorum,à tumultu operantium iniquitatem.

*Quia acuerunt vt gladium linguam suam,tetenderunt sagittam suam verbum amarum : * vt sagittis impetant in absconditis perfectum,*

Subito sagittauerunt eum,& non timuerunt:roborauerunt sibijpsis verbum nequam,

Narrauerunt,vt abscondant laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates, perfecerunt scrutinium scrutatum,

Et intimum vniuscuiusq;, & cor profundum : & sagittauit eos Deus*

*Sagitta subito : fuerunt plagæ eorum : * & impingere facient in semetipsos linguam suam,*

*Elongabunt se omnes videntes eos : * & timuerunt omnes homines,*

Et annunciauerunt opus Dei,& opus eius intellexerunt.

Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabunt omnes recti corde.

Psalm. LXV.
Victori cantus ipsi Dauid
canticum.

TIbi silet laus in Sijon,& tibi reddetur votum.

Tu audis orationem, ad te omnis caro veniet.

Rebus iniquis quæ prævaluerunt nobis,& prævaricationibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, & appropinquare fecisti : habitabit in atrijs tuis,

*Saturabimur bono domus tuæ sancti templi tui. * in terribilibus,in iustitia.*

Exaudies nos, Deus salutis nostræ, spes omnium finium terræ,& insularum maris distantium.

*Qui firmat montes potentia sua,qui accinctus est fortitudine : * qui compescit sonitum marium, sonitum fluctuum eorum,*

*Et multitudinem gentium : * & timuerunt habitatores finium à signis tuis, stellas matutinas, & vespertinas laudare facies te.*

Vulgat. Editio.

Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. 10
Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio eius.
Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans. 11
Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate. 12
Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur. 13
Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent. 14

In finem,
Canticum Psalmi resurrectionis. LXV. 1

IVbilate Deo omnis terra, * psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. 2
Dicite Deo quam terribilia sunt opera tua Domine in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. 3
Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. 4
Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum. 5
Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso. 6
Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis. 7
Benedicite Gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius, 8
Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos. 9
Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. 10
Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra. 11
Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium. 12
Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, * quæ distinxerunt labia mea. 13 14
Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis. 15
Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. 16
Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea. 17
Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. 18
Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. 19
Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: 20

In finem,
In hymnis, Psalmus Cantici Dauid. 1
LXVI.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. 2
Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum. 3
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. 4

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Visitasti terram pluuia postquam *desiderare fecisti eam, plurimum locupletasti eam,*
Riuus Dei repletus est aquis, parasti frumentum eorum, quia sic parasti eam.
Sulcos eius inebria, descendere fac in lineas eius, hymbribus liquefac eam, germini eius benedic.
Coronasti annum bono tuo, & cœli tui stillauerunt pinguedinem.
Stillauerunt in campestribus deserti, & exultatione colles accinxerunt se.
Induerunt se pascua pecudibus, & valles operuerunt se frumento, clamabunt, etiam canent.

Psalm. LXVI.
Victori canticum cantus.

*IVbilate Deo omnis terra: * Cantate gloriam nominis eius, ponite gloriam, laudem eius.*
Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua, propter multitudinem fortitudinis tuæ negabunt te inimici tui.
Omnes terræ habitatores *incuruabunt se tibi, & canent tibi: canent nomini tuo, Selah.*
Venite, & videte opera Dei: terribile opus super filios hominum.
Conuertit mare in aridam, per flumen transierunt pede, ibi lætati sumus in ipso.
Qui dominatur fortitudine sua in sæculum, oculi eius gentes speculantur, rebelles ne eleuent seipsos.
Benedicite populi Domino nostro, & audire facite vocem laudis eius.
Qui posuit animam nostram in vitam, & non permisit, vt declinaret pes noster.
Quoniam probasti nos Deus: conflasti nos, sicut conflatur argentum.
*Introduxisti nos in rete, posuisti angustiam in lumbis nostris: * equitare fecisti hominem super caput nostrum,*
Ingressi sumus ignem, & aquam: & eduxisti nos ad terram irriguam.
*Ingrediar domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea: * quæ aperuerunt labia mea,*
Et locutum est os meum: dum esset angustia mihi.
Holocausta agnorum medullatorum offeram tibi cum suffitu arietum, faciam boues cum hircis, Selah.
Venite, audite, & narrabo omnes timentes Deum, quæ fecit animæ meæ.
Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltabitur lingua mea.
Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet Dominus.
Vere exaudiuit Deus, attendit voci orationis meæ.
Benedictus Deus qui non remouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Psalm. LXVII.
Victori in Neghinoth cantus cantici.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum nobiscum, Selah.
Vt sciamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes ipsi.

Vulgat. Editio.

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate,& gentes in terra dirigis. 5

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: ✶ terra dedit fructum ſuum. 6 7

Benedicat nos Deus, Deus noſter, ✶ benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. 8

In finem,
Pſalmus Cantici ipſi Dauid. LXVII. 1

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. 2

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. 3

Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia. 4

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi. 5

Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius, ✶ patris orphanorum, & iudicis viduarum. 6

Deus in loco ſancto ſuo: ✶ Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo: 7

Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris. 8

Deus cum egredereris in conſpectu populi tui, cum pertranſires in deſerto: 9

Terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael. 10

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam. 11

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. 12

Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa. 13

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia. 14

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. 15

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon: ✶ mons Dei, mons pinguis. 16

Mons coagulatus, mons pinguis: ✶ vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? 17

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto. 18

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus: 19

Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. 20

Deus noſter, Deus ſaluos faciēdi: & Domini Domini exitus mortis. 21

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. 22

Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris: 23

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canū tuorum ex inimicis, ab ipſo. 24

Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei: regis mei qui eſt in ſancto. 25

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum. 26

In eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael. 27

Tranſl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Lætentur, & clament gentes, quoniam iudicabis populos in æquitate, & gentes in terram duces, Selah.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes ipſi: ✶ terra dedit fructum ſuum,

Benedicat nobis Deus noſter: ✶ Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Pſalm. LXVIII.
Victori ipſi Dauid cantus cantici.

EXurgat Deus, & diſpergantur inimici eius, & fugiant qui odio habuerunt eum à facie eius.

Sicut propellitur fumus, propelle eos: ſicut liqueſcit cera à facie ignis, ſic peribunt impij à facie Dei.

Iuſti autem lætabuntur, exultabunt coram Deo, & gaudebunt in lætitia.

Cantate Deo, canite nomini eius: exaltate eum qui adſcendit ſuper cœlos: In Iah nomine eius,

Et exultate coram eo: ✶ Pater eſt pupillorum, & iudex viduarum,

Deus in habitaculo ſanctitatis ſuæ: ✶ Deus habitare facit vnicos in domo,

Educens vinctos in compedibus, veruntamen rebelles habitauerunt in ſicco.

Deus cum egredereris coram populo tuo, cum incederes per deſertum, Selah.

Terra tremuit, etiam cœli diſtillauerunt à facie Dei, hic Sinai tremuit à facie Dei, qui eſt *Deus Iſrael.*

Pluuiam voluntariam eleuare feciſti Deus propter hæreditatem tuam, & ſi laborauit, tu confirmaſti eam.

Congregatio tua habitauerunt in ea, locum *parare feciſti propter bonitatem tuam pauperi Deus.*

Dominus dabit ſermonem, earum quæ *annunciant exercitus magnus erit.*

Reges exercituum fugiebant, fugiebant & familia domus diuidebat ſpolia.

Si dormieritis inter tripodes eritis ſicut *pennæ columbæ quæ tecta eſt argento, & alæ eius flauo auro.*

Cum diſſiparet Omnipotens reges in ea ningere faciebat in Salmon: ✶ Mons Dei eſt mons Baſan,

Mons excelſus, vt mons Baſan: ✶ vt quid ſaltabitis montes excelſi,

Montem quem deſiderauit Deus inhabitare: & Dominus inhabitabit in ſæculum.

Currus Dei viginti milia, milia Angelorum, Dominus cum eis Sinai in ſanctitate.

Aſcendiſti in altitudinem, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus,

Et etiam rebelles, vt inhabitarent Dominum Deum.

Benedictus Dominus quotidie: afferet nobis Deus ſalutem noſtram, Selah.

Deus nobis eſt Deus ad ſalutes, & Domino Deo ad mortem ſunt exitus.

Veruntamen Deus transfiget caput inimicorum ſuorum: verticem crinis, ambulantis in delictis ſuis.

Dixit Dominus: Ex Baſan redire faciam, redire faciam de profundis maris.

Vt rubeſcat pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ipſis.

Viderunt itinera tua Deus, itinera Dei mei: regis mei in ſanctitate.

Præuenerunt cantores, poſt pſallentes, in medio puellarum tympanizantium.

In eccleſiis benedicite Deo, Domino qui eſtis *ex vena Iſrael.*

Vulgat. Editio.

Ibi Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu. 28

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. 29

A templo tuo in Ieruſalem: tibi offerent reges munera. 30

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati ſunt argento. 31

Diſſipa gentes, quæ bella volunt: ✶ venient legati ex AEgypto: AEthiopia præueniet manus eius Deo. 32

Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino: pſallite Deo, ✶ qui aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem. 33 34

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, ✶ date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. 35

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. 36

In finem, pro iis, qui commutabuntur, Dauid. LXVIII. 1

SAluum me fac Deus: quoniam intrauerũt aquæ vſque ad animam meam. 2

Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia. 3

Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.

Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum. 4

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. 5

Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui, tunc exoluebam.

Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita. 6

Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum. 7

Non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam. 8

Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. 9

* Io. 2. 17. Ro. 15. 3. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & ✶ opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. 10

Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi. 11

Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam. 12

Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum. 13

Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.

In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ: 14

Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum. 15

Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. 16

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. 17

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Ibi Biniamin paruulus dominans eis,

Principes Iehudah, duces eorum principes Zebulon, principes Naphtali.

Præcepit Deus tuus fortitudini tuæ, & fortifica Deus hoc quod operatus es nobis.

In templo tuo, in Ieruſalaim tibi offerent reges munera.

Diſperde congregationem calami, congregationem taurorum cum vitulis, cum inciſionibus argenteis,

Diſperſit populos qui bella volunt: ✶ venient magni principes ex Ægypto, Æthiopia currere faciet manus ſuas Deo.

Regna terræ cantate Deo, canite Domino Selah: ✶ equitanti in cœlos cœlorum ab Oriente,

Ecce dabit in voce ſua vocem fortitudinis. ✶ date fortitudinem Deo, ſuper Iſrael magnificentia eius, & fortitudo eius in cœlis.

Terribilis Deus in ſanctuarijs ſuis, Deus Iſrael ipſe dat fortitudinem, & robora populo benedictus Deus.

Pſalm. LXIX.
Victori ſuper Soſannim ipſi Dauid.

SErua me Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam.

Demerſus ſum in limo profundi, & non eſt ſtatus:

Veni in profunda aquarum, & flumen operuit me.

Laboraui clamando, ſiccatum eſt guttur meum: defecerunt oculi mei, ſpero in Deo meo.

Plures ſunt quàm capilli capitis mei, qui odio habent me gratis,

Roborati ſunt, qui diſperdunt me inimici mei gratis, quæ non rapui, tunc reddidi.

Deus tu noſti ſtultitiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

Ne pudore afficiantur propter me, qui expectant te Domine, Domine exercituum.

Ne erubeſcant propter me, qui quærunt te Deus Iſrael.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.

Alienus fui fratribus meis, & extraneus filijs matris meæ.

Quia zelus domus tuæ comedit me, & probra eorum qui probris afficiunt te, ceciderunt ſuper me.

Et fleui, & ieiunio afflixi animam meam, & fuit in opprobria mihi.

Et poſui veſtimentum meum ſaccum, & fui eis in parabolam.

Locuti ſunt contra me ſedentes in porta, & cantationes factus ſum bibentium Sechar.

Et ego oratione mea conuerti me *ad te Domine: tempus eſt beneplaciti Deus,*

Propter multitudinem miſericordiæ tuæ exaudi me, propter veritatem ſalutis tuæ.

Eripe me è luto, ne infigar: eripiar ab odio habentibus me, & è profundis aquarum.

Ne operiat me fluuius aquæ, nec abſorbeat me profundum, neq; claudat ſuper me puteus os ſuum.

Exaudi me Domine, quoniam bona eſt miſericordia tua: ſecũdum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.	18	*Et ne abscondas faciem tuam à seruo tuo : qui angustia est mihi, festina, exaudi me.*
Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.	19	*Appropinqua animæ meæ, redime eam : propter inimicos meos redime me.*
Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam.	20	*Tu nosti probrum meum, & pudorem meum, & ignominiam meam.*
In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam.	21	*Coram te sunt omnes hostes mei, probrum contriuit cor meum, & dolui.*
Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.		*Et expectaui qui condoleret, & non fuit: & consolantes, & non inueni.*
Mat. 27. 18. Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.	22	*Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea propinauerunt mihi acetum.*
Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.	23	*Erit mensa eorum coram eis laqueus, & retributiones, offendiculum.*
Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.	24	*Obscurabuntur oculi eorum, ne videant : & lumbos eorum semper nutare facies.*
Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.	25	*Effunde super eos iram tuam : & furor iræ tuæ comprehendat eos.*
Act. 1. 20. Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.	26	*Sit palatium eorum desolatum : in tabernaculis eorum ne sit qui habitet.*
Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.	27	*Quoniam eum quem percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulneratorum tuorum narrabunt.*
Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.	28	*Da punitionem iniquitatis eorum: & non ingrediantur iustitiam tuam.*
Deleantur de Libro viuentium: & cum iustis nõ scribantur.	29	*Deleantur è libro viuentium : & cum iustis non scribantur :*
Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus susceptit me.	30	*Ego autem sum pauper, & dolens: salus tua Deus eleuabit me.*
Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude:	31	*Laudabo nomen Dei cum cantico : & magnificabo eum in confessione.*
Et placebit Deo super vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.	32	*Et pulchrior erit Domino quam bos, quam vitulus cornificans, & vngulificans.*
Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra:	33	*Viderunt humiles: & quærentes Deum, & viuet cor vestrum.*
Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.	34	*Quoniam audit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.*
Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.	35	*Laudent eum cœli, & terra, maria, & omne repens in eis.*
Quoniam Deus saluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iuda.	36	*Quoniam Deus seruabit Sijon, & ædificabit ciuitates Iehudah.*
Et inhabitabunt ibi. & hæreditate acquirent eam.		*Et habitabunt ibi, & hæreditate accipient eam.*
Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.	37	*Et semen seruorum eius hæreditate accipiet eam, & diligentes nomen eius habitabunt in ea.*
In finem, Psalmus Dauid, In rememorationem, quòd saluum fecerit eum Dominus. LXIX.	1	*Psalm. LXX. Victori ipsi Dauid ad recordandum.*
DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina,	2	*DEus vt eruas me : Deus ad auxilium mei festina.*
Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.	3	*Pudore afficientur, & erubescent quærentes animam meam.*
Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala:	4	*Conuertentur retrorsum, & erubescent volentes malum meum.*
Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.		*Conuertentur propter mercedem pudoris sui, qui dicunt: Euge, euge.*
Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.	5	*Gaudebunt, & lætabuntur in te omnes quærentes te, & dicent sẽper: Magnificetur Deus, qui diligunt nomen tuum.*
Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuua me.	6	*Et ego egenus, & pauper sum: Deus festina propter me.*
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.		*Auxilium meum & erutor meus es, Deus meus, ne tardaueris.*
Psalmus Dauid, Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum. LXX.	1	*Psalm. LXXI.*
IN te Domine speraui, non confundar in æternũ: * in iustitia tua libera me, & eripe me.	2	*IN te Domine speraui, ne pudore afficiar in sæculum. * Propter iustitiam tuam eripies me, & erues me.*

Vulgat. Editio.

Inclina ad me aurem tuam,& salua me.
Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum : vt saluum me facias,
Quoniam firmamentum meum, & refugium meus es tu.
Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui:
Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine spes mea à iuuentute mea.
In te confirmatus sum ex vtero:de ventre matris meæ tu es protector meus:
In te cantatio mea semper : * tamquam prodigium factus sum multis : & tu adiutor fortis:
Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam.
Ne proiicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea,ne derelinquas me.
Quia dixerunt inimici mei mihi : & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum.
Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum : quia non est qui eripiat.
Deus ne elongeris à me : Deus meus in auxilium meum respice.
Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione, & pudore qui quærunt mala mihi.
Ego autem semper sperabo : & adiiciam super omnem laudem tuam.
Os meum annunciabit iustitiam tuam : tota die salutare tuum.
Quoniam non cognoui litteraturam, * introibo in potentias Domini : Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.
Deus docuisti me à iuuentute mea:& vsque nunc pronunciabo mirabilia tua.
Et vsque in senectam & senium : Deus ne derelinquas me.
Donec annunciem brachium tuum generationi omni,quæ ventura est:
Potentiam tuam, * & iustitiam tuam Deus vsque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus quis similis tibi?
Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas : & conuersus viuificasti me : & de abyssis terræ iterum reduxisti me:
Multiplicasti magnificentiam tuam : & conuersus consolatus es me.
Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israel.
Exultabunt labia mea cum cantauero tibi : & anima mea,quam redemisti.
Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam : cum confusi & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

Psalmus,
In Salomonem. LXXI.

DEus iudicium tuum regi da:& iustitiam tuam filio regis:
Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.
Suscipiant montes pacem populo : & colles iustitiam.
Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum : & humiliabit calumniatorem.
Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Inclina ad me aurem tuam, & serua me.
Esto mihi robustum habitaculum, vt ingrediar iugiter: præcepisti seruare me,
Quia petra mea, & munitio mea es tu.

Deus mi erue me è manu impij, è manu peruertentis, & opprimentis.
Quoniam tu expectatio mea, Domine Deus fiducia mea ab adolescentia mea.
Tibi innixus sum ab vtero : de ventre matris meæ tu eductor meus es,
*In te laus mea semper : * tanquam portentum fui multis, & tu spes mea fortis.*
Repleatur os meum laude tua, tota die gloria tua.

Ne proijcias me in tempore senectutis : cum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me.
Quia dixerunt inimici mei aduersum me, & custodientes animam meam consiliati sunt pariter.

Dicendo: Deus dereliquit eum persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eruat.
Deus ne elongeris à me, Deus mi ad auxilium meum festina.
Pudore afficientur, deficient aduersarij animæ meæ: operientur probro, & pudore quærentes malum meum.

Ego autem semper expectabo, & adijciam super omnem laudem tuam.
Os meum narrabit iustitiam tuam : tota die salutem tuam,
*Quoniam non cognoui numeros : * introibo fortitudines Domini Dei, recordabor iustitiæ tuæ solius.*

Deus docuisti me ab adolescentia mea & hactenus annunciabo mirabilia.
Et etiam vsq; ad senium, & caniciem : Deus ne derelinquas me,
Donec annunciem brachium tuum generationi, omni qui venturus est.
*Fortitudinem tuam : * & iustitia tua Deus vsq; in excelsum, quæ fecisti magna: Deus quis sicut tu?*

Qui ostendisti mihi angustias multas, & malas : reuerteris, viuificabis me : & ex voraginibus terræ conuersus, ascendere facies me.
Multiplicabas magnitudinem meam, & conuersus, consolaberis me.
Etiam ego confitebor tibi in instrumento nebel, veritatem tuam Deus mi cantabo tibi in cithara: sancte Israel.

Laudabunt labia mea, cum cantauero tibi : & anima mea quam redemisti.
Insuper lingua mea tota die loquetur iustitiam tuam: quia pudore affecti sunt, quia erubuerunt quærentes malum meum.

Psalm. LXXII.
Ipsi Selomoh.

DEus iudicia tua regi da, & iustitiam tuam filio regis.
Iudicabit populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.
Deferent montes pacem populo, & colles iustitiam.
Iudicabit pauperes populi, seruabit filios pauperis, & confringet calumniatorem.
Timebunt te cum Sole, & dum fuerit Luna in generatione generationum.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Descendet sicut pluuia in vellus : & sicut stillicidia stillantia super terram.	6	*Descendet sicut pluuia super vellus: sicut imbres stillantes.*
Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.	7	*Florebit in diebus eius iustus, & multitudo pacis: donec non sit luna.*
Et dominabitur à mari vsque ad mare : & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.	8	*Dominabitur à mari vsq; ad mare: & à flumine vsq; ad terminos terræ.*
Coram illo procident AEthiopes: & inimici eius terram lingent.	9	*Coram illo procident habitatores deserti: & inimici eius terram lingent.*
Reges Tharsis, & insulæ munera offerent : reges Arabum, & Saba dona adducent:	10	*Reges maris, & insularum, munus reddent, reges Seba Arabicæ, & Seba* AEthiopicæ *munus offerent.*
Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gẽtes seruient ei:	11	*Et incuruabunt se ei omnes reges: omnes gentes seruient ei.*
Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adiutor!	12	*Quia eruet pauperem clamantem : & pauperem, cui non est auxiliator.*
Parcet pauperi & inopi : & animas pauperum saluas faciet.	13	*Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum seruabit.*
Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.	14	*A dolo, & ab iniquitate redimet animam eorum: & pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.*
Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.	15	*Et viuet, & dabit ei de auro Seba* Arabicæ, *& orabit pro eo semper: tota die benedicet ei.*
Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.	16	*Erit pugillus frumenti in terra* satus *in capite montium, concutietur sicut Libanon fructus eius : & florebunt in ciuitate sicut herba, terræ.*
Sit nomen eius benedictum in sæcula : ante Solem permanet nomen eius.	17	*Erit nomen eius in sæculum : ante solem propagabitur nomen eius.*
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.		*Et benedicentur in eo omnes gentes : & beatificabunt eum.*
Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus:	18	*Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.*
Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum : & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.	19	*Et benedictum nomen gloriæ eius in sæculum, & replebitur gloria eius omnis terra: Amen, & amen.*
Defecerunt laudes Dauid filij Iesse.	20	*Consummatæ sunt orationes Dauid filij Isai.*
Psalmus Asaph. LXXII.	1	*Cantus ipsi Asaph. Psalm. LXXIII.*
QVàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.		PRofecto *bonus est Israeli Deus, sed mundis corde.*
Mei autem penè moti sunt pedes : penè effusi sunt gressus mei.	2	*Et mei pene declinauerunt pedes : ferè nihil, effusi sunt gressus mei.*
Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.	3	*Quia zelaui in insanos, pacem impiorum videns.*
Quia non est respectus morti eorum : & firmamentum in plaga eorum.	4	*Quia non sunt ligamenta in morte eorum : & sana est fortitudo eorum.*
In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:	5	*In labore hominis non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur :*
Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.	6	*Ideo coronauit eos superbia, operiet se vt tollat prædam sibi.*
Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.	7	*Egressi sunt præ adipe oculi eorum : transierunt cogitationes cordis.*
Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt.	8	*Dissoluerunt, & locuti sunt malicioſe calumniam : de excelso locuti sunt.*
Posuerunt in cælum os suum : & lingua eorum transiuit in terra.	9	*Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.*
Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.	10	*Ideo reuertetur populus eius huc: & aquæ calicis pleni exprimentur eis.*
Et dixerunt : Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?	11	*Et dixerunt : Quomodo sciuit Deus, & est scientia in excelso ?*
Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.	12	*Ecce isti impij & pacem habentes sæculi, apprehenderunt diuitias.*
Et dixi : Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas:	13	*Vere inuanum mundaui cor meum, & laui in innocentia manus meas.*
Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.	14	*Et fui flagellatus omni die, & increpatio mea singulo mane.*
Si dicebam : Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.	15	*Si dicebam narrabo sicut hoc : ecce generatio filiorum tuorum* dicent quòd *præuaricatus sum.*
Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me:	16	*Et putabam scire hoc, sed labor est in oculis meis.*
Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum.	17	*Donec intrem sanctuaria Dei, & intelligam nouissimum eorum.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur.	18	*Profecto in* locis *lubricis posuisti eos: cadere fecisti eos in desolationes.*
Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.	19	*Quomodo fuerunt in desolationem ferè subito defecerunt: consumpti sunt à terroribus.*
Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.	20	*Velut somnium expergefacto* homine erunt *Domine, cum suscitaueris* eos *imaginem eorum spernes.*
Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: * & ego ad nihilum redactus sum, & nescisui.	21 22	*Quia dolore* fuerat affectum *cor meum, & lumbi mei acuti fuerant: * & ego insipiens eram, nec cognoscebam.*
Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.	23	*Vt iumenta eram apud te. Ego autem semper tecum fui:*
Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.	24	*Tenuisti manum dexteram meam: in consilio tuo duces me, & postea ad gloriam accipies me.*
Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?	25	*Quis mihi est in cælo? & tecum nolui quippiam in terra.*
Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.	26	*Defecit caro mea, & cor meum: robur cordis mei, & pars mea est Deus in sæculum.*
Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.	27	*Quoniam ecce qui se elongant à te, peribunt: succidere fecisti omnem fornicantem à te.*
Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam:	28	*Et ego* noui quod *accessus ad Deum mihi est bonus: posui in Domino* Deo *spem meam.*
Vt annunciem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.		*Vt narrem omnia opera tua.*
Intellectus Asaph. LXXIII.	1	*Intellectus ipsi Asaph. Psalm. LXXIV.*
VT quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?		*VT quid Deus elongasti te in sæculum, fumabit furor tuus contra pecudes pascuæ tuæ?*
Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.	2	*Recordare congregationis tuæ, quam acquisiuisti ab antiquo, quod*
Redemisti virgam hæreditatis tuæ mons Sion, in quo habitasti in eo.		*Redemisti virgam hæreditatis tuæ, montem Sijon istum, in quo habitasti.*
Leua manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto eius!	3	*Leua pedes tuos ad desolationes duraturas in sæculum, super omnem qui malefecit inimicum in sanctitate.*
Et gloriati sunt qui oderunt te: in medio sollemnitatis tuæ.	4	*Rugierunt hostes tui in medio tabernaculi tui.*
Posuerunt signa sua, signa: * & non cognouerunt sicut in exitu super summum.	5	*Posuerunt signa sua signa. * contritum est sicut adducens superne.*
Quasi in silua lignorum securibus * exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi, & ascia deiecerunt eam.	6	*In perplexitate ligni secures, * & nunc cælaturas eius pariter lipenni, & malleis contriuerunt.*
* Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.	7	*Miserunt ignem in sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*
Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.	8	*Dixerunt in corde suo, depopulemur eos pariter: incenderunt omnia tabernacula Dei in terra.*
Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & nos non cognoscet amplius.	9	*Signa nostra non vidimus, non est vltra propheta, & non est nobiscum qui cognoscat vsquequo.*
Vsquequo Deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?	10	*Vsquequo Deus probris afficiet aduersarius, spernet inimicus nomen tuum in sæculum?*
Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?	11	*Vt quid reducis manum tuam: & dexteram tuam è medio sinus tui* non educis inimicos *consumendo?*
Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.	12	*Deus autem rex meus ab initio operans salutes in medio terræ.*
Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.	13	*Tu contriuisti fortitudine tua mare, confregisti capita cœtorum in aquis.*
Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis AEthiopum.	14	*Tu confregisti capita Leuiathan: dedisti eum escam populo deserta incolentis.*
Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.	15	*Tu dirupisti fontem, & torrentem: tu siccasti fluuios fortes.*
Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.	16	*Tuus est dies, etiam tua est nox: tu præparasti luminare minus, & solem.*
Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver, tu plasmasti ea.	17	*Tu statuisti omnes terminos terræ: æstatem, & hyemem, tu plasmasti.*
Memor esto huius, inimicus improperauit Domino: & populus insipiens incitauit nomen tuum.	18	*Memento huius, inimicus probris affecit Dominum: & populus stultus spreuit nomen tuum.*
Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.	19	*Ne tradas congregationi inimicorum animam turturis tuæ: congregationis pauperum tuorum ne obliuiscaris.*

* 4. Reg. 25. 6.

* Lu. 2. 70.

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum,	20	*Respice ad pactum, quia repleta sunt loca tenebrosa terræ, habitatione iniquorum.*
Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.	21	*Ne recedat pauper pudore affectus, pauper, & mendicus laudabunt nomen tuum.*
Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.	22	*Surge Deus iudica causam tuam, memento probri tui* quo afficeris *à stulto omni die.*
Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.	23	*Ne obliuiscaris vocis hostium tuorum, sonitus inimicorum tuorum ascendit semper.*
In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph. LXXIV.	1	*Psalm. LXXV. Victori, Ne disperdas cantus ipsi Asaph canticum.*
COnfitebimur tibi Deus: confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.	2	*COnfessi sumus tibi Deus, cõfessi sumus, & propinquum fuit nomen tuum,*
Narrabimus mirabilia tua: * cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.	3	*Ius qui narrauerunt mirabilia tua: * cum accepero tempus, ego recte iudicabo.*
Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.	4	*Liquefacta est terra, & habitatores eius, ego direxi columnas eius, Selah.*
Dixi iniquis: Nolite inique agere: & delinquentibus: Nolite exaltare cornu:	5	*Dixi insanis: Ne insaniatis: & impijs, ne exaltetis cornu.*
Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.	6	*Ne extollatis in excelsum cornu vestrum: ne loquamini in collo pingui.*
Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus; * quoniam Deus iudex est.	7 8	*Quia non ab exitu* solis, *nec ab occidente, nec à deserto montium* veniet exaltatio: * *quoniam Deus iudicans.*
Hunc humiliat, & hunc exaltat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.	9	*Hunc humiliabit, & hunc exaltabit: * quia calix in manu Domini, & vinum rubuit, plenus* est *mixto,*
Et inclinauit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.	10	*Et effudit ex hoc: Veruntamen faces eius* quas *exprimet, bibent omnes impij terræ.*
Ego autem annunciabo in sæculum: cantabo Deo Iacob.		*Ego autem annunciabo in sæculum, cantabo Deo Iahacob,*
Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iusti.	11	*Et omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur cornua iusti.*
In finem, in Laudibus, Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios. LXXV.	1	*Psalm. LXXVI. Victori in psalmis cantus ipsi Asaph Canticum.*
NOtus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius.	2	*NOtus fuit in Iehudah Deus, in Israel magnum nomen eius.*
Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.	3	*Et fuit in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sijon.*
Ibi confregit potẽtias arcuum, scutum, gladium, & bellum.	4	*Ibi confregit sagittas, arcus, scutum, & gladium, ac bellum, Selah.*
Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.	5 6	*Illustris es & potens pra montibus rapacibus: * spoliati fuerunt fortes corde,*
Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.		*Dormitauerunt in somno suo, & non inuenerunt omnes viri robusti* vires *in manibus suis.*
Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos.	7	*Propter increpationem tuam Deus Iahacob soporatus est, & currus, & equus.*
Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.	8	*Tu terribilis es, & quis stabit coram te, ex quo tempore cœperit ira tua?*
De cœlo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit,	9	*E cœlis audire fecisti iudicium, terra tremuit, & quieuit.*
Cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.	10	*Quum surget ad iudicium Deus, vt seruet omnes humiles terra, Selah.*
Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.	11	*Quoniam ira hominis confitebitur tibi, residuum irarum accinges.*
Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.	12	*Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes* qui *estis in circuitu eius, afferant munus,*
Terribili * & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.	13	*Timendo: succidet spiritum ducum, terribilis erit regibus terræ.*
In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph, LXXVI.	1	*Victori ipsi Ieduthun, ipsi Asaph cantus. LXXVII.*
VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.	2	*VOx mea ad Deum & clamabo, vox mea ad Deum, & auscultabit me.*

Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.	3	*In die angustiæ meæ Dominum quæsiui: plaga mea nocte defluxit, & non quieuit.*
Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus.	4	*Renuit consolari anima mea. * Recordabor Dei, & tumultuabo, loquar: & deficiet spiritus meus, Selah.*
Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.	5	*Tenuisti vigilias oculorum meorum: contritus sum, & non loquar.*
Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.	6	*Supputaui dies* qui fuerunt *à principio: annos sæculorum.*
Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.	7	*Recordabor psalmi mei, in nocte cum corde meo meditabor, & scrutabitur spiritus meus.*
Numquid in æternum proiiciet Deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc?	8	*Nunquid in sæcula elongabit se Dominus, & non addet vt velit adhuc?*
Aut in finem misericordiam suam abscindet, à generatione in generationem?	9	*Nunquid defecit in sæcula misericordia eius, consumptum est eloquium, in generatione & generationem?*
Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?	10	*Nunquid oblitus est misereri Deus? num clausit in furore misericordias suas? Selah.*
Et dixi nunc cæpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.	11	*Et cogitaui occidere me propter annos dexteræ excelsi.*
Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.	12	*Recordabor operum Domini: quia recordabor à principio mirabilium tuorum.*
Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.	13	*Et meditabor in omnibus operibus tuis, & de operibus tuis loquar.*
Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabilia.	14 15	*Deus in sanctitate via tua: quis Deus magnus sicut Deus? * tu es Deus qui facis mirabile.*
Notam fecisti in populis virtutem tuam: * redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob, & Ioseph.	16	*Scire fecisti in populis fortitudinem tuam: * redemisti in brachio populum tuum filios Iahacob, & Ioseph, Selah.*
Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.	17	*Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: doluerunt, etiam commotæ sunt voragines.*
Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.	18	*Inundare fecerunt aquas nubes, tonitruum dederunt cæli.*
Etenim sagittæ tuæ transeunt: * vox tonitrui tui in rota.	19	*Et fulgura tua iuerunt: * sonitus tonitrui tui in rota.*
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.		*Illuminauerunt fulgura orbem, commota est, & contremuit terra.*
In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.	20	*In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis; & itinera tua non sunt agnita.*
* Exo. 14. 19. Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron.	21	*Duxisti sicut pecudes populum meum, per manum Moseh, & Aharon.*
Intellectus Asaph. LXXVII.	1	*Psalm. LXXVIII. Intellectus ipsi Asaph.*
ATtendite populo meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.		*AVscultate populus mi legem meam: inclinate aurem vestram ad eloquia oris mei.*
Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.	2	*Aperiam in parabola os meum: loquar ænigmata à principio.*
Quanta audiuimus & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis.	3	*Quæ audiuimus & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis.*
Non sunt occultata à filiis eorum, in generatione altera.	4	*Non abscondemus à filijs eorum, generationi nouissimæ.*
Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit.		*Narrantes laudes Domini, & fortitudinem, & mirabilia eius quæ fecit.*
Et suscitauit testimonium in Iacob: & legem posuit in Israel.	5	*Et suscitauit testimonium in Iahacob: & legem posuit in Israel.*
Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis: * vt cognoscat generatio altera.	6	*Quæ præcepit patribus nostris, vt notificarent ea filijs suis: * vt cognoscant generatio nouissima.*
Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.		*Filij qui nascentur surgent, & narrabunt filijs suis.*
Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei: & mandata eius exquirant.	7	*Et ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei: & mandata eius custodiant.*
Ne fiant sicut patres eorum: generatio praua & exasperans.	8	*Et non sint sicut patres eorum generatio declinans & rebellis.*
Generatio, quæ non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus eius.		*Generatio quæ non præparauit cor suum: nec fuit fidelis cum Deo spiritus eius.*
Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli.	9	*Filij Ephraim armati, iacientes arcu: verterunt se in die belli.*

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
	Non custodierunt testamentum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.	10	*Non custodierunt pactum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.*
	Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis.	11	*Et obliti sunt operum eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis.*
	Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra AEgypti, in campo Taneos.	12	*Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in agro Sohan.*
* Exod. 14. 21.	* Interrupit mare, & perduxit eos: & statuit aquas quasi in vtre.	13	*Rupit mare, & transire fecit eos: & stare fecit aquas veluti aceruus.*
	Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.	14	*Et duxit eos in nube per diem: & tota nocte in lumine ignis.*
* Ex. 17. 6. Ps. 104. 38.	* Interrupit petram in eremo: & adaquauit eos velut in abyssо multa.	15	*Scidit petras in deserto, & potum dedit eis in voraginibus magnis.*
	Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas.	16	*Et eduxit fluenta de petra: & descendere fecit tanquam flumina aquas.*
	Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt Excelsum in inaquoso.	17	*Et addiderunt adhuc vt peccarent ei: vt prouocarent excelsum in solitudine.*
	Et tentauerunt Deum in cordibus suis: vt peterent escas animabus suis.	18	*Et tentauerunt Deum in corde suo: petendo cibum animæ suæ.*
	Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?	19	*Et locuti sunt contra Deum: dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
	Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.	20	*Ecce percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.*
	Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?		*Nunquid etiam panem poterit dare, num parabit carnem populo suo?*
* Nu. 11. 1.	* Ideo audiuit Dominus, & distulit: & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel:	21	*Ideo audiuit Dominus, & iratus est: & ignis accensus est in Iahacob, & etiam furor ascendit contra Israel.*
	Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius:	22	*Quia non crediderunt Deo, nec sperauerunt in salute eius:*
	Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit.	23	*Et mandauit cœlis desuper, & ianuas cœlo aperuit.*
* Ex. 16. 4.	* Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.	24	*Et pluit super eos Man ad comedendum, & triticum cœleste dedit eis.*
* Nu. 12. 6 Ioan. 6. 31. 1. Cor. 10. 3.	* Panem angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.	25	*Panem fortium comedit vir: cibum misit eis ad saturitatem.*
* Nu. 11. 31.	* Transtulit Austrum de cælo: & induxit in virtute sua Africum.	26	*Proficisci fecit Eurum in cælis: & induxit in fortitudine sua austrum.*
	Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.	27	*Et pluit super eos sicut puluerem carnem: & sicut arenam marium volatile alatum.*
	Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.	28	*Et cadere fecit in medium castrorum eius: circa habitacula eius.*
	Et manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: * non sunt fraudati à desiderio suo.	29	*Et comederunt, & saturati sunt valde, & desiderium eorum attulit eis: * non sunt alienati à desiderio suo.*
Nu. 11. 33.	Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum * & ira Dei ascendit super eos:	30	*Adhuc esca eorum in ore eorum. * & furor Dei ascendit in eos.*
	Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.	31	*Et occidit pingues eorum, & electos Israel incuruauit.*
	In omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.	32	*In omni hoc peccauerunt adhuc: & non crediderunt mirabilibus eius.*
	Et defecerunt in vanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione.	33	*Et consumpsit in vanitate dies eorum: & annos eorum festinanter:*
	Cum occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.	34	*Si occidebat eos, quærebant eum: & reuertebantur, & quærebant Deum:*
	Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorū: & Deus excelsus redemptor eorum est.	35	*Et recordati sunt quia Deus fortitudo eorum est: & Deus excelsus redemptor eorum est.*
	Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.	36	*Et blanditi sunt ei ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*
	Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.	37	*Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec permanserunt in pacto eius.*
	Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.	38	*Ipse autem misericors propitiatus est iniquitati: & non disperdet:*
	Et abundauit vt auerteret iram suam: & non accendit omnem iram suam:		*Et multiplicauit, vt auerteret iram suam: & non suscitabit omnem iram suam.*
	Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadēs, & non rediens.	39	*Et recordatus est quod caro sunt: spiritus vadit, & non reuertitur.*
	Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso?	40	*Quoties exacerbauerunt eum in deserto, irritauerunt eum in solitudine.*
	Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum: & sanctū Israel exacerbauerunt.	41	*Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum: & sanctum Israel signauerunt.*

	Vulgat. Editio.		Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.
	Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.	42	*Non sunt recordati manus eius, diei qua redemit eos de angustia.*
	Sicut posuit in AEgypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.	43	*Qui posuit in Ægypto signa sua, & mirabilia sua in regione Sohan.*
* Exo.7. 20.	* Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent.	44	*Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & fluenta eorum, ne biberent.*
* Exo.8. 6.24.	* Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos.	45	*Misit in eis omne genus bestiarum, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.*
Exo.30. 15.	Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.	46	*Et dedit brucho fructum eorum, & laborem eorum locustæ.*
Exo.9.25	Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.	47	*Occidit grandine vites eorum, & sycomoros eorum, locusta & bruchus.*
	Et tradidit grandini iumenta eorū: & possessionem eorum igni.	48	*Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum carbonibus.*
	Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos.	49	*Misit in eos iram indignationis suæ, iram & furorem, & angustiam: immissionem Angelorum malorum.*
	Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.	50	*Ponderauit semitam furori suo, non prohibuit à morte animam eorum, & vitam eorum morti tradidit.*
Exo.12. 29.	Et percussit omne primogenitum in terra AEgypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.	51	*Et percussit omne primogenitum in Ægypto, principum fortitudinum, in tabernaculis Cham.*
	Et abstulit sicut oues populum suum: & perduxit eos tamquam gregem in deserto.	52	*Et proficisci fecit sicut pecudes populum suum, & duxit eos sicut gregem in deserto.*
Exo.14. 27.	Et deduxit eos in spe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.	53	*Et duxit eos confidenter, & non timuerunt & inimicos eorum operuit mare.*
	Et iuduxit eos in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisiuit dextera eius.	54	*Et adduxit eos ad terminos sanctitatis suæ, in montem istum, quem acquisiuit dextera eius.*
Ios.13 8.	Et eiecit à facie eorum Gentes: & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.		*Et eiecit à facie eorum gentes, & cadere fecit eas in portione hæreditatis,*
	Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.	55	*Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.*
	Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.	56	*Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.*
	Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum.	57	*Et auerterunt se, & prauaricati sunt: sicut patres eorum versi sunt vt arcus dolosus.*
	In iram concitauerunt eum in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.	58	*Et irritauerunt eum excelsis suis, & sculptilibus suis æmulari fecerunt eum.*
	Audiuit Deus, & spreuit: & ad nihilum redegit valde Israel.	59	*Audiuit Deus, & iratus est, & spreuit valde Israel.*
1. Reg. 4. 2. Ier. 7. 12.	Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.	60	*Et reliquit tabernaculum Siloh, tentorium quo habitauit inter homines.*
	Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.	61	*Et tradidit in captiuitatem fortitudinem suam, & gloriam suam in manum hostis.*
	Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam spreuit.	62	*Et tradidit gladio populum suum, & in hæreditatem suam iratus est.*
	Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt lamentatæ.	63	*Iuuenes eius comedit ignis, & virgines eius non fuerunt nuptui traditæ.*
	Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.	64	*Sacerdotes eius gladio ceciderunt, & vidua eius non fleuerunt.*
	Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino.	65	*Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens clamans propter vinum.*
	Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.	66	*Et percussit hostes suos retrorsum, opprobrium perpetuum dedit eis.*
	Et repulit tabernaculū Ioseph: & tribus Ephraim non elegit:	67	*Et spreuit tentorium Ioseph, & tribum Ephraim non elegit.*
	Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.	68	*Elegit autem tribum Iehudah, montem Sijon quem dilexit.*
	Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula.	69	*Et ædificauit sicut* palatia *excelsa sanctuarium suum, sicut terram* quam *fundauit in sæculum.*
	Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum,	70	*Et elegit Dauid seruum suum, & tulit eum de caulis pecudum.*
	Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam:	71	*A sequendo fœtas, adduxit eum, vt pasceret Iahacob populum suum, & in Israel hæreditatem suam.*
	Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.	72	*Et pauit eos in simplicitate cordis sui, & intelligentijs manuum suarum duxit eos.*

Vulgat. Editio.

Psalmus Asaph. LXXVIII.

DEus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Ier. 10. 25. * Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt:

Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Isa. 64. 9. * Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Gentibus: Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui, possides filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum:

In generationem & generationem annunciabimus laudem tuam.

In finem, Pro iis, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus. LXXIX.

QVi regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph.

Qui sedes super cherubim, manifestare * coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.

Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.

Deus conuerte nos: & ostende faciem tuam & salui erimus.

Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem serui tui?

Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in mensura?

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannauerunt nos.

Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam: & salui erimus.

Vineam de AEgypto transtulisti: eiecisti Gentes, & plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu eius: plantasti radices eius, & impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei.

Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsque ad flumen propagines eius.

Vt quid destruxisti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Transl. ex Heb. Sanct. Pagn.

Psal. LXXIX.

Cantus ipsi Asaph.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuæ: posuerunt Ierusalaim in aceruos.

Dederunt cadauera seruorum tuorum escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitibus Ierusalaim, & non erat qui sepeliret.

Fuimus probrum vicinis nostris, subsannatio, & derisio ijs qui erant in circuitibus nostris.

Vsquequo Domine irasceris in sæculum: ardebit velut ignis Zelus tuus?

Effunde iram tuam super gentes, quæ non cognouerunt te, & super regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iahacob, & habitaculum eius desolauerunt.

Ne memineris nobis iniquitatum priorum? festina præueniant nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus valde.

Adiuua nos Deus salutis nostræ propter gloriam nominis tui, & erue nos, & propitiare peccatis nostris propter nomen tuum.

Vt quid dicent gentes vbi est Deus eorum, cognoscatur in gentibus in oculis nostris,

*Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est: * introcat coram te clamor vinctorum,*

Secundum magnitudinem brachij tui relinque filios morti obnoxios.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, probrum eorum qui probris affecerunt te Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum,

In generatione, & generationem narrabimus laudem tuam.

Psalm. LXXX.

Victori super Sosannim testimonium ipsi Asaph Cantus.

QVi pascis Israel ausculta: qui ducis tanquam pecudes Ioseph,

*Qui sedes super Cherubin, illustrare fac: * coram Ephraim, & Biniamin, & Menasseh.*

Suscita fortitudinem tuam, & veni ad salutem nobis.

Deus conuerte nos, & illustra faciem tuam, & seruabimur.

Domine Deus exercituum, vsquequo fumabis in oratione populi tui?

Comedere fecisti eos panem lachrymæ, & propinare fecisti eis lachrymas in mensura.

Posuisti nos contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannabunt sibi.

Deus exercituum conuerte nos, & illumina faciem tuam, & seruabimur.

Vitem ex Ægypto proficisci fecisti: eiecisti gentes, & plantasti eam.

Euacuasti ante eam, & radicare fecisti radices eius, & impleuit terram.

Operti sunt montes vmbra eius, & rami eius vt cedri Altissimæ.

Misisti summitates eius vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius.

Vt quid dirupisti macerias eius, & collegerunt eam omnes transeuntes per viam.